







LELAND·STANFORD·JVNIOR·VNIVERSITY





IOHANNIS VAHLENI

PROFESSORIS BEROLINENSIS

OPUSCULA ACADEMICA

PARS POSTERIOR

PROOEMIA INDICIBUS LECTIONUM PRAEMISSA XXXIV—LXIII


AB A. MDCCCLXXXXII AD A. MDCCCCVI



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCCVIII



LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

IN PARTE POSTERIORE HAEC SUNT PROOEMIA INDICIBUS LECTIONUM PRAEMISSA

XXXIV. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1891/92.

3 Rem arduam esse emendandi operam in veterum scriptorum libris collocandam vel eo cognoscitur, quod ex multis conaminibus, quibus quae manca sunt aut depravata temptantur, perpauca communi omnium consensu excepta manent ac vigent; neque ea re sola difficultas continetur, quod *οὐ τοῦ τυχόντος* est ex lacera vel obscurata quocumque modo oratione divinando ipsam scriptoris manum suscitare, sed non minus eo quod in iis quae legi atque intelligi possunt saepe ambiguum est nec certo dignoscitur, quae vera sint, quae veri specie legentem inducant. Velut Theocritus, ut hoc exemplo utamur, quibus versibus in carmine, cui *Ἀίτης* (XII) inscribitur, *φιλόπαιδος Διοκλέους* in honorem a Megarensibus instituta quotannis puerorum osculis contendentium certamina expressit

Νισαῖοι Μεγαρῆες ἀριστεύοντες ἐρετμοῖς,
ὄλβιοι οἰκείοιτε, τὸν Ἀττικὸν ὥς περίαλλα
ξεῖνον ἐτιμήσασθε Διοκλέα τὸν φιλόπαιδα.
αἰεί οἱ περὶ τύμβον ἀολλέες εἴαρι πρώτῳ
κοῦροι ἐριδμαίνοντι φιλήματος ἄκρα φέρεσθαι.
ὃς δέ κε προσμάξῃ γλυκερώτερα χείλεσι χείλη,
βριθόμενος στεφάνοισιν ἑὰν ἐς μητέρ' ἀπῆνθεν.
ὄλβιος, ὅστις παισὶ φιλήματα κεῖνα διαιτᾷ.
ἦ που τὸν χαροπὸν Γανυμήδεα πόλλ' ἐπιβῶται
Λυδίῃ ἶσον ἔχειν πέτρῃ στόμα, χρυσὸν ὁποίῃ
πεύθονται μὴ φαῦλος ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί

4 eorum qui sunt extremi duo nobis quidem vitii expertes esse videbantur, recepta nimirum optimi codicis Ambrosiani (k) scriptura *φαῦλος* v. 37, cuius locum in ceteris libris quod olim vulgabatur *φαῦλον* occuparat. Sed plerique omnes interpretes haud paulo secus iudicantes haec ferri posse negant variisque modis deformata corrigendo recuperare verum conantur. Qui talia proponunt, ut semel mota suspicione falsi pullulare solent coniecturae.

χρυσὸν ὁποίῃ
πεύθονται μὴ φαῦλον ἔχῃ τύπον ἀργυραμοιβοί.
πεύθονται μὴ φαῦλοι ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί.
πεύθονται μὴ φαῦλος ἐτήτυμοι ἀργυραμοιβοί.
πεύθοντ' εἰ μὴ φαῦλος ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί.
πεύθοντ' ἢ φαῦλος ἢ ἐτήτυμος ἀργυραμοιβοί.
πεύθονται φαῦλον καὶ ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί.

Quorum commentis, quae partim inepta*) esse partim iis quidem quae fides librorum tuetur deteriora iudicabamus, non magnopere movebamur, ut nos de nostra sententia deiici pateremur. Sed accessit etiam Francisci Buecheleri erudita perspicacitas, cui cum eadem illa hunc poetam male decere viderentur, invenit quod ut sua venustate nitet, ita ab Ed. Hillero receptum est nec reprobatum a Chr. Zieglero: quippe Theocritum haec dedisse sibi persuasit

χρυσὸν ὁποίῃ
πεύθονται τρίβοντες ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί,

τρίβοντες autem adscriptis interpretandi causa aliena manu verbis *μὴ φαῦλος* sive *μὴ φαῦλον* loco motum. Quae conformatio sententiae non nos fugit quae commoda orationi impertiat, quamquam iidem sentire nobis videmur esse quo praestabilior sit tradita scriptura et incommodi quiddam emendando una afferri. Ac iam diducta mens est nostra, ut nec illi quamvis cupiamus assentiri fidenter possimus neque ea quam adhuc fovebamus opinione acquiescere securi. Multumque rem reputando versantes haesitabamus incerti, illius plane similes, in versu faciendo qui saepe caput scaberet vivos et roderet ungues. Saepe adeo votum fecimus, utinam et criticis sua quaedam *Λυδία λίθος* esset, qua adhibita in philologorum controversiis curvo dignoscere rectum liceret. Quod quoniam non contigit nec spes est propediem futurum, reliquum est, ut argumentando periclitemur explorare quid probabilitas suadeat eamque ducem sequamur. Initium autem disserendi facimus ab *ἐτήτυμον*, quae una esse origo errorum videtur. Quam 5

*8) Ineptissimum est quod Arm. Fritzschio in mentem venit *χρυσὸν ὁποίῃ πεύθονται μὴ φαυλόσ' ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί.* Quae ipse explicat *μὴ φαυλόσε* scil. *ἀποβάλωσι*, *ne abiiciant illuc, in hanc mensae partem, ubi pravum iacet aurum.* Nam ut mittamus sententiam, *φαυλόσε* nullum est in Graecitate, et *ἀποβάλωσι* verbum necessarium qui fieri potuerit ut poeta mente addi vellet, nec intelligitur nec ipse declaravit. Et tamen talia propagantur quasi vera esse possint.

vocem ad πεύθονται additam esse volunt, ut explorati fides significaretur. Quod quam necessarium fuerit, nondum quaerimus. Sed illi opinioni Meinekius seriem verborum obesse putabat, non iniuria fortasse in hac ambiguitate; ipse cum ἐτήτυμοι reponendum suaderet, ἀργυραμοιβοί ut *erroris immunes* dicerentur, idem consilium sed oratione minus probabili assecutus est. Aliis haec duo φαῦλος et ἐτήτυμος in par quoddam contrariorum coniuganda videbantur; qui cum ita scribunt χρυσὸν πεύθοντ' ἢ φαῦλος ἢ ἐτήτυμος aut χρυσὸν πεύθονται φαῦλον καὶ ἐτήτυμον, nec orationis decorem neque emendandi probabilitatem satis curant, sed quod gravius est, comparant quae in hunc modum comparari ut opposita sermonis proprietas vetabat. Fuerunt etiam qui χρυσὸν ἐτήτυμον dici crederent, ut Reiskius, qui cum ita interpretatur *aurum purum explorant argentarii ne sit vitiosum*, apertum est nec ipsum fugit, inepte in hac oratione μὴ φαῦλος verba addi: itaque μὴ φαῦλοι ἀργυραμοιβοί scriptum fuisse coniecit, non felicius, opinamur, quam Meinekius ἐτήτυμοι ἀργυραμοιβοί. Sed ab eadem opinione Buechelerus profectus videtur; is enim ut πεύθονται χρυσὸν ἐτήτυμον recte dici posset, μὴ φαῦλος verba falso addita esse statuit; quibus summotis locum vacuum τρίβοντες participio attribuit; id quod abesse non posse censuit ob eam causam, ὁποίῃ pronomen ut haberet quo niteretur. Notum est et ab ipso adnotatur τρίβειν, παρατρίβειν in commemoranda βασάνῳ non raro posita verba esse; id quoque manifestum, scite hoc adminiculum ὁποίῃ pronomini parari. Sed dativum pronominis necessario hoc adiecto participio sublevandum fuisse, id nos aegre viro ingenioso concedimus; qui quod scribit 'πεύθεσθαι λίθῳ χρυσόν qui dicat omnem dictionis sanitatem perdere,' fatemur nos parum intelligere, quid hoc tantopere a communi usu dativi Graeci abhorreat, aut cur pravum sit dici χρυσὸν λίθῳ πεύθεσθαι, cum non pravum sit, quod Platoni placuit, λίθῳ βασανίζειν τὸν χρυσόν. Haec enim verba etiamsi non eandem vim habeant, res quae significatur eadem est, neque mirandum videtur, quod id quo haec πύστις aut illa βάσανος instituitur, dandi casu verbis additur. Ex hac igitur parte Buecheleri coniectura auget orationem eo quo facile caremus; ex altera eidem demit, quae, si recte interpretamur, optime locum tueri videntur. Nam licet rectissime dicantur, quae ille coniungi voluit, χρυσὸν ὁποίῃ πεύθονται ἐτήτυμον, quo modo velut scholiasta Platonicus locutus est (p. 410) λίθου γένος ᾧ τὸ καθαρὸν

χρυσίον δοκιμάζεται, tamen cum ea sententia quia *μὴ φαῦλος* verba conciliari non possunt, non haec prava esse et delenda colligimus, sed illam potius explicandi rationem in dubium vocamus, id eo certius, quo magis, misso paulisper *ἐτήτυμον* vocabulo, reliqua in unam orationem coeunt et coagmentantur, *χρυσὸν ὁποίῃ πεύθονται, μὴ φαῦλος*. Ut enim verba *δοκιμάζειν, βασανίζειν, ἐξετάζειν*, similia, sic nude ponuntur de more, velut *βασανίζειν τὸν χρυσόν, τὸ χρυσίον ἐδοκίμαζον, ὁ χρυσὸς ἐξετάζεται*, alia, ita *πεύθεσθαι χρυσόν* non videtur apte dici nisi adiecta interrogatione qualis ea est quam libri scripti exhibent, Buecheleri emendatio removit, *χρυσὸν ὁποίῃ πεύθονται μὴ φαῦλος*. Frequens est hoc genus dicendi, quo interrogandi, quaerendi, considerandi verbis per *μή* 6
particulam interrogatio adnectitur, indicativo elata; qui modus proprius est harum sententiarum, a quibus distant in simili forma enuntiata ea, in quibus *μή* quia vim cavendi habet non potest non coniunctivum regere. Saepe quidem in hoc genere modis permutatis peccatur a librariis, sed examinata sententia facile differentiam prodit ac suum utrique formae modum reddit. Utrumque genus paucis versibus in Sophoclis Electra legimus a v. 581

ὅρα τιθεῖσα τόνδε τὸν νόμον βροτοῖς
μὴ πῆμα σαυτῇ καὶ μετάγνοιαν τιθῇς·
εἰ γὰρ κτενοῦμεν ἄλλον ἀντ' ἄλλου, σύ τοι
πρώτη θάνοις ἄν, εἰ δίκης γε τυγχάνεις).*
ἀλλ' εἰσόρα μὴ σκῆψιν οὐκ οὖσαν τίθης.

Dispar enim sententiarum color etiam in eodem verbo modos distinguere iubet. Eodem referenda sunt quae Plato scribit in Phaedro (p. 46, 23 Sch.) *οὔτοι ἀπόβλητον ἔπος εἶναι δεῖ, ὃ ἂν εἴπωσι σοφοί, ἀλλὰ σκοπεῖν μὴ τὶ λέγουσι*; prave enim in libris *λέγωσι* scriptum est sed pridem correctum; in Gorgia (16, 25) *σκοπεῖν οὖν χρὴ καὶ τὸ τούτων, μή τινας αὐτῶν κατέχομεν βου-*

*23) *τυγχάνεις* cum libris scribimus; vulgatur *τυγχάνοις*. Item 413
εἴ μοι λέγεις τὴν ὄψιν, εἴποιμ' ἂν τότε.
editores *λέγοις* cum Triclinio. Praeterea haec vide
ἦ δᾶν ἐγὼ θαρσοῦσα μᾶλλον ἐς λόγους
315 *τοὺς σοὺς ἱκοίμην, εἴπερ ὧδε ταῦτ' ἔχει.*
799 *οὐκοῦν ἀποστείχοιμ' ἄν, εἰ τάδ' εὖ κυρεῖ.*
1203 *ἐγὼ φράσαιμ' ἄν, εἰ τὸ τῶνδ' εὔνουν πάρα.*
1344 *τελουμένων εἴποιμ' ἄν.*
Adde Euripidis Ion. 943
οὐκ οἶδ', ἀληθῆ δ' εἰ λέγεις φαίημεν ἄν.

λομένους τι καὶ ἄλλο πράττειν; in Lachete (55, 2) *ἀλλ' ὁρῶμεν μὴ Νικίας οἴεταί τι λέγειν καὶ οὐ λόγου ἕνεκα ταῦτα λέγει*. A quibus facile perspicitur quid distent haec in Theaeteto (28, 8) *μετὰ τὸν τόκον τὰ ἀμφιδρόμια αὐτοῦ ὡς ἀληθῶς ἐν κύκλῳ περιθρεκτέον τῷ λόγῳ σκοπουμένους μὴ λάθῃ ἡμᾶς οὐκ ἄξιον ὂν τροφῆς τὸ γιγνόμενον*. Adde Plutarchum in Cat. mai. 24, 4 *ὁ υἱὸς τοῦ Κάτωνος ἠρώτησε τὸν πατέρα μή τι μεμφόμενος ἢ λελυπημένος ὑπ' αὐτοῦ μητρυιὰν ἐπάγεται*. Ad hunc morem putamus Theocritum dixisse *πέτρῃ, χρυσὸν ὁποίῃ πεύθονται μὴ φαῦλός ἐστιν* sive *ὁποίῃ πεύθονται χρυσὸς μὴ φαῦλός ἐστιν*. Ac ne quis miretur in hanc partem interrogationem formari, *μὴ φαῦλος*, hoc oportet intelligi ex suspicione nata aurum ne non sit verum ac purum argentarios explorandi operam sumere*). Sic Euripidis Medea dicit a v. 516

ὦ Ζεῦ, τί δὴ χρυσοῦ μὲν ὃς κίβδηλος ᾖ
τεκμήρι' ἀνθρώποισιν ὤπασας σαφῆ,
ἀνδρῶν δ' ὅτῳ χρὴ τὸν κακὸν διειδέναι,
οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι;

7 et ante Euripidem Theognis 119

χρυσοῦ κιβδήλοιο καὶ ἀργύρου ἄνσχετος ἄτη,
Κύρνε, καὶ ἐξευρεῖν ῥᾴδιον ἀνδρὶ σοφῷ.
εἰ δὲ φίλου νόος ἀνδρὸς ἐνὶ στήθεσσι λελήθῃ
ψυδρὸς ἐών, δόλιον δ' ἐν φρεσὶν ἦτορ ἔχῃ,
τοῦτο θεὸς κιβδηλότατον ποίησε βροτοῖσιν
καὶ γνῶναι πάντων τοῦτ' ἀνιηρότατον,

quique eam sententiam pluribus exsecutus est Apuleius Metam. x 9 *non statim pretium quod offerebatur accepi; 'sed ne forte aliquis' inquam 'istorum quos offers aureorum nequam vel adulter reperiatur, in hoc ipso sacculo conditos eos annulo tuo praenota donec altera die nummulario praesente comprobentur.'* Ab opinione *φαυλότητος* oriri videmus examinandi curam. Quare non est quod ista interrogationis forma culpetur, quae suapte sponte ex rei natura prodit. Quae si recte statuimus, iam illa de *ἐτήτυμον* controversia, ex qua exorsi sumus, nullo negotio videtur componi posse. Etenim non ad *πεύθονται* nec ad *χρυσόν* referendam eam vocem

---

*13) [Macaria in Euripidis Heraclidis (482) cum dicit

θέλω πυθέσθαι, μὴ 'πὶ τοῖς πάλαι κακοῖς
προσκείμενόν τι πῆμα σὴν δάκνει φρένα

percontari cupit quod suspicata est ante.]

arbitramur, sed quo ordo verborum ducit sequentes, cum φαῦλος coniungimus, adverbium cum adiectivo, velut in Iliade (XIII 111) legitur *εἰ δὴ καὶ πάμπαν ἐτήτυμον αἴτιός ἐστιν* ac saepe similiter. Ita enim unice vocabuli vis et utilitas constat. Nam si verum est quod diximus, ex suspicione fraudis istam interrogationem nasci, quid aptius dici potuit, quam argentarios Lydii lapidis ope aurum quaerere essetne *revera* quod opinarentur improbum, h. e. *πέτρῃ χρυσὸν ὁποίῃ πεύθονται, μὴ φαῦλος ἐτήτυμον, ἀργυραμοιβοί**). Sed fallax non esse quod argentarii hac via explorarent, id quod nonnullos in addita *ἐτήτυμον* voce inesse velle diximus, non erat quod in hac sententia affirmaretur, qua hoc tantum agebatur, ut Lydii lapidis usus qui esset significaretur; neque secus Plato, quem supra citavimus, nulla cum asseveratione veri *τὴν λίθον* dicit *ᾗ βασανίζουσι τὸν χρυσόν*, eodemque modo alii. Denique Buechelerus ut *φαῦλος* a Theocriti versu procul haberet, id quoque posuit '*φαῦλος* si malum significaret vilem vocem esse et dedecorare orationem elatiorem.' Fortasse fallimur nec satis recte viri docti sententiam accipimus. Sed profecto 'malum' significare *φαῦλον* non credimus, verum ista vulgari ac paene propria significatione vocis positum esse, qua vel leve quod est sine pondere vel quod vile ac nullius pretii designare solet, ut *nequam* de nummis apud Apuleium loco supra allato et in prologo Casinae; sed et hac et illa vi *φαῦλος* a poetarum oratione alienum non esse, si non Aeschylus aut Sophocles, Euripides quidem documento est, cuius pauca attulisse exempla fortasse inutile non est.

Androm. 324

σὺ δὴ στρατηγῶν λογάσιν Ἑλλήνων ποτὲ
Τροίαν ἀφείλου Πρίαμον, ὧδε φαῦλος ὤν;

ibid. 870

φαύλης (φαύλοις) γυναικὸς βαρβάρου πεισθεὶς λόγοις.

ibid. 378

εἰ μὴ θήσομαι
τἄμ' ὡς ἄριστα, φαῦλός εἰμι κοὐ σοφός. Cf. 482.

Phoen. 495 8

---

*8) [Usum vocis *ἐτήτυμον* quem volo compluribus locis habet Apollonius Argonauticis, ut IV 834 *εἰ μὲν δὴ μαλεροῖο πυρὸς μένος ἠδὲ θύελλαι ζαχρηεῖς λήξουσιν ἐτήτυμον*: refert quae praedicta sunt v. 818—820; III 402 *εἰ γὰρ ἐτήτυμον ἐστε θεῶν γένος*: id quod ante professus erat Iaso 365 s., alibi similiter.]

ἀλλὰ καὶ σοφοῖς
καὶ τοῖσι φαύλοις ἔνδιχ', ὡς ἐμοὶ δοκεῖ.

Iphig. Aulid. 734

οὐχ ὁ νόμος οὗτος, σὺ δὲ φαῦλ' ἡγεῖ τάδε.

Med. 807

μηδείς με φαύλην κἀσθενῆ νομιζέτω.

Sed de lapide Lydio cum dicamus, non omittimus disceptare paucis Platonis verba, iam supra semel et iterum a nobis ascita, quibus is, ut veteres solent, ab eo lapide ductam comparationem instituit. Qui Socratem ita dicentem facit in Gorgia (p. 57, 10 Sch.)

Εἰ χρυσῆν ἔχων ἐτύγχανον τὴν ψυχήν, ὦ Καλλίκλεις, οὐκ ἂν οἴει με ἄσμενον εὑρεῖν τούτων τινὰ τῶν λίθων, ᾗ βασανίζουσι τὸν χρυσόν, τὴν ἀρίστην, πρὸς ἥντινα ἔμελλον προσαγαγὼν αὐτήν, εἴ μοι ὁμολογήσειεν ἐκείνη καλῶς τεθεραπεῦσθαι τὴν ψυχήν, εὖ εἴσεσθαι ὅτι ἱκανῶς ἔχω καὶ οὐδέν μοι δεῖ ἄλλης βασάνου;

De his verbis nuper Hermannus Sauppius egit in Variis Lectionibus in praefatione scholarum academicarum a. 1890 editis; qui profectus ab eo quod scholiasta ad hunc locum, item ad *Πολιτείας* VI p. 308, 20 Bekk. adnotavit, *βάσανον* dici lapidem quo aurum exploraretur, et hunc et reliquos qui idem tradiderint, grammaticos et lexicographos, falsos esse et *βάσανον* in usu poetarum et scriptorum numquam nisi explorandi operam significare affirmat, dein Platonis verba, in quibus est quod iam olim interpretes male habuit, deleto *τινὰ* pronomine, *αἷ* pro *ᾗ* reposito, denique oratione distincta in hunc modum ad pristinam formam revocare studet.

Εἰ χρυσῆν ἔχων ἐτύγχανον τὴν ψυχήν, ὦ Κ., οὐκ ἂν οἴει με ἄσμενον εὑρεῖν τούτων τῶν λίθων αἷ βασανίζουσι τὸν χρυσὸν τὴν ἀρίστην, πρὸς ἥντινα ἔμελλον προσαγαγὼν αὐτήν, εἴ μοι ὁμολογήσειεν ἐκείνη καλῶς τεθεραπεῦσθαι, τὴν ψυχὴν εὖ εἴσεσθαι ὅτι ἱκανῶς ἔχω κτλ.

De utraque re nobis dicendum est. Quamquam de *βασάνου* nominis usu et significatione impedita quaestio est, quam non tetigisse forsitan tutius fuerit. Ut enim apertum est in nonnullis exemplis eorum quae Sauppius collegit admitti eam quam unicam esse voluit nominis explicationem, in aliis secus sentiendum videtur, velut Theognidis v. 449 *εὑρήσεις δέ με . . ὥσπερ ἄπεφθον χρυσόν, ἐρυθρὸν ἰδεῖν τριβόμενον βασάνῳ* aegre adducimur ut non lapidem dici quo aurum temptetur intelligamus, neque ut hoc

mittamus cogi posse videmur altero versu Theognideo 1105 *εἰς βάσανον δ' ἐλθὼν παρατριβόμενός τε μολύβδῳ χρυσὸς ἄπεφθος ἐὼν καλὸς ἅπασιν ἔσῃ*; cumque *ἐν ἀκόναις* dicatur in sententia Chilonis (Diogen. Laert. I 71) *ἐν λιθίναις ἀκόναις ὁ χρυσὸς ἐξετάζεται, διδοὺς βάσανον φανεράν, ἐν δὲ χρυσῷ ἀνδρῶν ἀγαθῶν τε κακῶν τε νοῦς ἔδωκ' ἔλεγχον*, minus recte *ἐν βασάνῳ* eadem vi dici putamus in Pindari versu (Pyth. 10, 67) *πειρῶντι δὲ καὶ χρυσὸς ἐν βασάνῳ πρέπει καὶ νόος ὀρθός*? in quo si est *ἐν βασάνῳ* quod volunt 'in probatione' parum scite oratio onerari videatur. In Gorgia ipso cum dicit Socrates *οὐδέν μοι δεῖ ἄλλης βασάνου* probationem intelligas licet; sed paulo post cum ita dicit (58, 23) *οὐκέτι αὐτὸ δεήσει ἐπ' ἄλλην βάσανον ἀναφέρειν* oratione ipsa admoneri videmur ut de coticula cogitemus. Multaque apud Platonem sunt quae ambigua esse fatendum est in utram earum signi- 9
ficationem accipiantur; velut in Legibus quae leguntur VIII p. 80, 6 Bekk. *φόβον δὲ οἷον τελευτήσαντος ἐν πᾶσι τοῖς τοιούτοις βάσανον οὐχ εὑρήσειν τῶν τε ἀμεινόνων καὶ χειρόνων* qui contulerit cum Gorgiae verbis supra scriptis *οὐκ ἂν οἴει με ἄσμενον εὑρεῖν τούτων τινὰ τῶν λίθων κτλ* fortasse concedet non tam explorationem quam id quo quid explorari possit notari. Ne quid de Aristotele dicamus qui cum scribit de color. 3 p. 793 a 33 *ἐν δὲ τῷ παρατρίβεσθαι πρὸς ὁμαλὲς καὶ λεῖον ἕκαστον τούτων, καθάπερ καὶ πρὸς τὰς βασάνους, ἀποβάλλοντα ἀπολαμβάνει πάλιν τὴν χρόαν*, quamquam subobscura est sententia et fortasse non emendate scripta, *βασάνους* tamen non potuit nisi coticulas intelligere. Sed haec omnis controversia haerebit in lubrico nec certius fundari poterit nisi constiterit quae primitiva vis vocis fuerit, non quasi hanc unam necesse sit scriptores sequantur, sed quia cautius iudicatur in singulis cum perspectum habeas quas vias a capite usus inierit. De qua re linguarum exploratores consulti respondent *βάσανον* primitus lapidis nomen esse idque similibus cognatarum linguarum nominibus confirmari. Quod si illi vere dicunt, mirum non est, si quando scriptores etiam in figurata oratione hanc significationem exprimunt, ex qua facilis transitus erat ad alteram; nec magis mirum quod a scriptoribus profecti grammatici hanc explicandi rationem obtinent. Atque ita cum alios videmus tum Hugonem Bluemnerum iudicare in libro perutili, quo cum veterum *τέχνας τε καὶ ἔργα* complectatur simul cum rebus loquendi modos recenset. Sed nobis satis sit hanc partem quaestionis quae est

de origine et cognatione vocis perstrinxisse, quam exhauriendam ut par est relinquimus iis qui *πέλαγος* linguarum emetiuntur intrepidi. Nos hac leviore cymba per ripam repentes quaerimus, quod alterum erat, quid Plato scripsisse videatur et id quomodo accipiendum sit. Cuius oratio ad Sauppii mentem conformata nihil habet nimirum quod vituperetur aut offendat. Sed non hoc agitur, verum illud potius quo iure antiquitus scriptura tradita emendatorem poscere existimetur. Quod nos olim negandum putavimus disputatione edita a. 1872*), a Sauppio et a ceteris, Schanzio quoque in Platone, neglecta aut repudiata. Est autem duplex offensio quae Sauppium movit, qui primum criminatus est, *ᾗ* pronomen quod non posset non ad *τούτων τῶν λίθων* pertinere, tamen hac forma ad ea verba referri non posse; deinde *τῶν λίθων τινά* absonum esse in hac sententia cui unice conveniret et satisfaceret id quod insequeretur *τὴν ἀρίστην*. Quorum illud alios quoque advertit, qui quo sustentaretur structura, ex *ᾗ* aut *αἷς* aut *αἷ* efficiendum putarunt. Sauppii proprium est alterum quod *τινά* ab interpretis errore falso illatum censuit: quo remoto *ᾗ* necesse est una cadat; in cuius locum si iam aliud substituendum est, *αἷ* probabilius esse quam *αἷς* non tam Parisini codicis fide credimus, in quo illud exaratum exstat h. e. olim a correctore nescio quo recuperatum, quam quod Theophrasti exemplo quo Sauppius usus est illa magis oratio commendatur qua lapides dicuntur, non homines lapidibus, *βασανίζειν*. At nos olim hoc praecipue probavimus, studuimus quidem certe probare, *τούτων τινὰ τῶν λίθων ᾗ βασανίζουσιν*, quamvis a communi more et a recta dicendi ratione abhorreret, non tamen a scriptore abiudicandum esse, qui cum posset aut *λίθον τινὰ ᾗ βασανίζουσιν* dicere aut *τούτων τινὰ τῶν λίθων αἷς* (sive *αἵ*) *βασανίζουσιν* duos modos miscens effecit ut relativum quod ad *τούτων τ. λ.* debebat ad *τινά* applicaretur. Idem enim genus inconsequentiae aliis quibusdam locis si non multis at certis agnosci putabamus*). Primum in eodem Gorgia (106, 24)

---

*9) [*Zeitschrift f. d. österr. gymn.* xxiii (1872) p. 499.]

*32) [Huc referri recte videntur quae Euripides scribit in Hippolyto 66 *Ἄρτεμι . . καλλίστα πολὺ παρθένων, ἃ μέγαν κατ' οὐρανὸν ναίεις . . . ὦ καλλίστα τῶν κατ' Ὄλυμπον παρθένων, Ἄρτεμι*: ubi in uno alterove cod. *αἳ . . ναίετ'* correctum est, sed cogitari voluit *καλλίστα παρθένων αἳ . . ναίουσι*, ut paulo post (71).]

τόδε μέντοι εὖ οἶδ' ὅτι, ἐάνπερ εἰσίω εἰς δικαστήριον περὶ τούτων τινὸς κινδυνεύων ὃ σὺ λέγεις, πονηρός τίς μ' ἔσται ὁ εἰσάγων.

Ita enim haec scripta sunt in codicibus Oxoniensi et Veneto, hoc est iis, quorum praecipua fides est; ubi facile quidem erat pro ὃ reponere *ὧν*, quod habet unum ex apographis et cum Heindorfio edidit Schanzius. Sed nec erat quod relativum cum casu demonstrativi exaequaretur et ὅ apparet non ad *τούτων*, quod debebat, sed ad *τινός* esse accommodatum. Similia haec sunt in Theaeteto (97, 34)

ἡνίκ' οὖν ἐδόξαζον μόνον, ἄλλο τι ᾧ τῶν ἄλλων διαφέρεις, τούτων οὐδενὸς ἡπτόμην τῇ διανοίᾳ;

Pro ᾧ Heindorfius rursus *ὧν* poposcit, quod haec orationis forma vix recipit. Buttmannus et Stallbaumius singulari numero relativum (ᾧ) ad *τούτων* relatum defensitant, sed ut facile intelligatur, eos veram orationis formam non perspexisse: etenim scriptum oportuit *οἷς τῶν ἄλλων διαφέρεις, τούτων οὐδενὸς ἡπτόμην τῇ διανοίᾳ* (cf. 97, 13), idque unice restituendum esset, si quis illud quidquid est *ἀνακολούθου* tolerari nollet; sed videmus scriptorem ᾧ non ad *τούτων* sed ad *οὐδενός*, pari modo ut in superioribus exemplis ad *τινά* vel *τινός*, adaptasse. Quare Schanzium non intelligimus qui hoc loco ab emendando abstinuit, illis aequabilitatem quam putabat orationis recuperandam curavit. Platoni iungimus Aristotelem, qui cum ita scribit *περὶ ψυχῆς* III 3 p. 428 a 1

εἰ δή ἐστιν ἡ φαντασία καθ' ἣν λέγομεν φάντασμά τι ἡμῖν γίγνεσθαι καὶ μὴ εἴ τι κατὰ μεταφορὰν λέγομεν, μία τίς ἐστι τούτων δύναμις ἢ ἕξις, καθ' ἣν κρίνομεν καὶ ἀληθεύομεν ἢ ψευδόμεθα

non fugit Ad. Torstrikii diligentiam, non *καθ' ἣν* ad *μία τις δύναμις* sed ad *τούτων* relatum *καθ' ἃς* scribendum fuisse; idque is Aristoteli reddi iussit cum et ratio posceret et Themistius legisse videretur. Sed Themistius cum sententiam in hunc modum interpretatur *μία τις ἂν εἴη τῶν δυνάμεων καὶ τῶν ἕξεων τῶν κριτικῶν αἷς ἀληθεύομεν ἢ ψευδόμεθα*, qua fide credimus non eadem illa quae nos legisse, quae praesertim, teste Guilelmo Biehlio, et Philoponus legerit et Sophonias. Quid vero quod Platoni damus Aristoteli ademptum volumus?

His nos exemplis adduci patiebamur, in hac oratione scriptores etiam praeter severiorem loquendi normam nonnihil sibi permisisse,

addimusque, ne legentes si qui erunt nimis increduli haec fastidiant, quae in simili non compari genere perquam memorabilia leguntur in Legibus Platonis XI p. 235, 2

> *ἐὰν δὲ ὡς αὐτοῦ ἐφάπτηται ζῴου καὶ ὁτουοῦν ἢ τινος ἑτέ-*
> 11 *ρου τῶν αὐτοῦ χρημάτων, ἀναγέτω μὲν ὁ ἔχων εἰς πρα-*
> *τῆρα ἢ τὸν δόντα ἀξιόχρεών τε καὶ ἔνδικον ἢ τινι τρόπῳ παραδόντα ἄλλῳ κυρίως, εἰς μὲν πολίτην ἢ καὶ μέτοικον τῶν ἐν τῇ πόλει ἡμερῶν τριάκοντα, εἰς δὲ ξενικὴν παράδοσιν πέντε μηνῶν, ἧς μέσος ὁ μὴν ἐν ᾧ τρέπεται θερινὸς ἥλιος εἰς τὰ χειμερινά.*

Quis enim in hac oratione ἧς et non ὧν exspectaverit; quod tamen quis qui sobrio sit iudicio ultro obtrudere scriptori animum inducat?

In Graecis qui has conformationes orationis observaverit neminem novimus: in Latinis nonnulla Nicolaus Madvigius adnotavit ad Ciceronis de finibus p. 212 (ed. II.), sed is tamen magis universe relativi cum demonstrativo non exaequati modos qui varii sunt attendit. Nobis satis est pauca attulisse, sed quae accurate conspirent cum Graecis quae supra posita sunt. Itaque Ciceronis haec sunt de inventione II 5, 19

> *— amplificare debebit et ostendere, quanta vis sit amoris, quanta animi perturbatio ex iracundia fiat aut ex aliqua causa earum qua impulsum aliquem id fecisse dicet*

in oratione pro Balbo 21, 48

> *— num quis eorum, qui de foederatis civitatibus esset civitate donatus, in iudicium est vocatus?*

Et haec qui consideraverit, in quibus omissum *earum*, *eorum* pronomen legitimam reddere orationem potuit, non repugnabit, si quis censeat etiam de oratore III 4, 16

> *— is erit ex iis, qui aut illos non audierit aut iudicare non possit,*

haec quae scripta sunt in libris ut videtur plerisque, non quae vulgantur et facile ex illis corrigi poterant, *audierint* et *possint*, a Cicerone profecta esse.

Similia Francogallorum sermoni tam vetustiori quam recentiori concessa fuisse Adolphi Tobleri symbolae ad syntaxin Francogallicam collatae docent. Ex cuius copiis duo exempla prae ceteris simplicia, ut genus quidem significetur, afferimus.

> *c'est cy une des grans douleurs qui soit sur terre.*
> *c'est une des grandes erreurs qui soit parmi les hommes.*

Ex nostratibus Goethius scribit in prologo Fausti

> *Er scheint mir, mit Verlaub von Euer Gnaden,*
> *Wie eine der langbeinigen Cicaden,*
> *Die immer fliegt und fliegend springt*
> *Und gleich im Gras ihr altes Liedchen singt*

et qui Goethii vitam composuit Hermanus Grimmius

> *An anderer Stelle nennt er Tasso eine der Phantasiegestalten, der man seine eignen 'Albernheiten' anhänge und die man dann Tasso nenne,*

idemque alio loco

> *die Büste Schillers, eine der besten Büsten, welche überhaupt in Deutschland je gearbeitet worden ist**);

neuter, opinamur, negligentia, sed hanc mixtam orationem ex du- 12
plici genere dicendi praeoptabant prudenter.

Ad Gorgiae locum, ex quo egressi sumus, ut redeamus, hoc iam paene probatum est, in verbis *τούτων τινὰ τῶν λίθων ᾗ βασανίζουσι* nec *αἷς* nec *αἵ* requiri, modo *τινά* retineatur, et huic quoque ipsi ex iis quae diximus nonnihil fidei, ut videtur, accessit. Sed hoc additum Sauppio etiam ipsum per se valde displicuit: 'optimam' inquit 'coticulam nancisci Socrati in votis erat, *unam aliquam* haud ita difficile fuisset invenire.' Socrates autem utrumque dicit, primum perapte ad institutam comparationem, *εἰ χρυσῆν ἔχων ἐτύγχανον τὴν ψυχήν, οὐκ ἂν οἴει με ἄσμενον εὑρεῖν τούτων τινὰ τῶν λίθων ᾗ βασανίζουσι τὸν χρυσόν;* deinde appositi loco addit, ad sententiam quod faciebat, *τὴν ἀρίστην*, ut cui maxime fides in exploranda anima haberi possit. In qua re videmur nobis consilium scriptoris agnoscere, ut vel sine exemplo haec nos tueri oporteat. Sed non desunt similiter formatae orationis exempla. Velut similia videntur, nisi specie decipimur, haec quae Aristoteles scribit in rhetorica II 2 p. 1378 b 1

> *καὶ (ἀνάγκη) πάσῃ ὀργῇ ἕπεσθαί τινα ἡδονὴν τὴν ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ τιμωρήρασθαι,*

aut quae in Philebo Plato p. 132, 11

> *ὡς νῦν ἡμῶν ἑκάτερος ἕξιν ψυχῆς καὶ διάθεσιν ἀποφαίνειν τινὰ ἐπιχειρήσει τὴν δυναμένην ἀνθρώποις πᾶσι τὸν*

---

*12) [*einer der schärfsten Angriffe, welcher jemals gemacht worden ist* H. Grimmius; *eines der nicht zahlreichen Mitglieder, das einen Beitrag geliefert hat* Ad. Harnackius; *dass ihr einen der grössten Kriege siegreich geschlagen, den die Weltgeschichte je gesehen* Guilelmus I imperator.]

βίον εὐδαίμονα παρέχειν (conf. Aristotelis πολιτικά v 8 p. 1308b 21).

Utroque loco τινά abesse potuit, removeri non potest sine detrimento orationis. Et hoc genus omne appositorum, quae tamquam supplementa quaedam praemissae orationi subiiciuntur, late patet multisque fuit valde familiare. Talia dicimus qualia haec sunt Platonis, pauca de multis selecta,

οὔκουν ἄλλο καὶ ἔργον ἑκατέρῳ προσήκει προστάττειν τὸ κατὰ τὴν αὐτοῦ φύσιν Πολιτ. v 223, 3;

ἐκλέγονται ἐκ τοσούτων χρωμάτων μίαν φύσιν τὴν τῶν λευκῶν ibid. iv 184, 1;

καὶ ἅμα μία καὶ αὕτη τῶν βασάνων οὐχ ἐλαχίστη, τίς ἕκαστος ἐν τοῖς γυμνασίοις φανεῖται ibid. vii 368, 2;

τῶν δὲ φυλάκων τοὺς μὲν νέους οἷον ἐν ἄκρᾳ κορυφῇ ἀπειλημμένους, τοὺς εὐφυεστάτους, ὀξύτητας ἐν πάσῃ τῇ ψυχῇ ἔχοντας περὶ ὅλην κύκλῳ τὴν πόλιν ὁρᾶν Leg. xii p. 325, 19.

Vel haec Diodori

καὶ τῶν θυγατέρων μίαν συνοικίσας αὐτῷ τὴν πρεσβυτάτην Φίλαν xviii 18, 7;

ἐπέκρινον ἐξ ἑαυτῶν ἕνα τὸν ἄριστον i 75, 4;

τριάκοντα δὲ τῶν πολιτῶν εἰς τὸ συνέδριον τοὺς ἀρίστους κατατάξας xiv 79, 1.

Quae plurima sunt in omnibus Diodori libris; eundemque usum frequentem esse apud Thucydidem, cuius hoc sit instar omnium, i 2, 6

ἐκ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες παρ᾽ Ἀθηναίους οἱ δυνατώτατοι ὡς βέβαιον ὂν ἀνεχώρουν,

interpretes semel et iterum adnotarunt. Quoniamque hoc nativum
13 genus est dicendi, non artificiose quaesitum, hoc idem in communi fonte cultioris Graecitatis reperias, Homero: sic enim Agamemno Diomedem appellat in Iliade x 235

τὸν μὲν δὴ ἕταρόν γ᾽ αἱρήσεαι, ὅν κ᾽ ἐθέλησθα,
φαινομένων τὸν ἄριστον.

Laetabimur si forte Gorgiae verba, quae nescio quo pacto rore puro divinae venustatis conspersa esse sentimus, satis tutati disputando videbimur cum aliis tum viro venerabili cuius sententiam ἑκόντες ἀέκοντί γε θυμῷ impugnandam duximus. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπῃ τῷ θεῷ φίλον ταύτῃ ἐχέτω τε καὶ λεγέσθω. Nos vero

properamus ad Theocritum redire, ne a Platone abrepti alterius *ἐρωμένου* immemores videamur abiisse.

Volumus autem de versu quodam carminis decimi septimi disserere, non ut emendationem temptemus tamquam depravati, ne quis censeat, sed ut integrum quem credimus esse a temptata et iam pridem recepta emendatione si fieri potest liberemus. Theocritus enim posteaquam Ptolemaei Philadelphi, cui hoc *ἐγκώμιον* dicatum est, beneficentiam ac liberalitatem dilaudavit, qua cum multos tum Musarum interpretes prosecutus est, haec addit poetarum vim et virtutem extollens, qui soli vera et aeterna gloria remunerari possunt eos quorum beneficiis aucti sunt.

Μουσάων δ' ὑποφῆται ἀείδοντι Πτολεμαῖον
ἀντ' εὐεργεσίης· τί δὲ κάλλιον ἀνδρί κεν εἴη
ὀλβίῳ ἢ κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἀρέσθαι;
τοῦτο καὶ Ἀτρείδαισι μένει· τὰ δὲ μυρία τῆνα,
ὅσσα μέγαν Πριάμοιο δόμον κτεάτισσαν ἑλόντες,
Ἅιδι πάντα κέκρυπται, ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος.

Versum extremum iam a multis annis clarissimi editores, Meinekius, Zieglerus, Hillerus, sic uti supra scriptus est adornatum edere solent. Quam orationis formam quo magis comprobent et confirment, Catulli admonent, qui quia scribit de passere mortuo

Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc unde negant redire quemquam,

hunc Orci designati modum ex hoc versu Theocriteo expressisse existimandus sit; addidit Hauptius quae ab hac sententia non aliena Claudianus dixerit de raptu Proserpinae I 20

Di, quibus innumerum vacui famulantur Averni
Vulgus iners, opibus quorum donatur avaris
Quidquid in orbe perit.

Non negamus speciosam esse istam scripturam eamque his exemplis firmius vindicari. Est tamen in hac sententia quod accurate interpretanti displicere possit. Cum enim ita dicat poeta, gloriam manere Atridis, immensa vero illa quae captae post moenia Troiae acquisiverint in Orco condita esse, ex quo iam reditus non pateat, intelligere videare, Atridas etiam tum vivere et gloria frui, opibus ad inferos ablatis, unde ad eos redire non possint. Quare 14
quoniam et ipsi pridem vada pallida Lethes traiecerunt, malles aut aliter formata esset oratio, ut gloria manere, opes simul cum ipsis (vel eodem quo ipsi) cecidisse in Orcum diceren-

tur*), aut ab appellando Orco abstinuisset omnino poeta aliisque coloribus usus esset quibus istam sententiam ornaret qua dicit Atridarum opes Troianas direptas esse gloria manente. Quod si recte dicimus neque nos sensus fallit, dubitatio oritur de veritate scripturae, quae non ita accepta est librorum fide sed coniectura doctorum inventa. Librorum enim consensus hanc versus formam testatur

τὰ δὲ μυρία τῆνα,
ὅσσα μέγαν Πριάμοιο δόμον κτεάτισσαν ἑλόντες,
ἀέρι πα κέκρυπται ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος,

nisi quod aut πᾶ aut πα scriptum exhibent. Sed haec certe prava esse cum superioribus criticis consentientes alii, quia quae ante memoravimus aspernabantur, nova procuderunt, litterarum ductus magis quam sententiae necessitatem secuti. Qualia haec H. L. Ahrensii sunt ab ipso per aliquot editiones propagata

τὰ δὲ μυρία τῆνα,
ὅσσα μέγαν Πριάμοιο δόμον κτεάτισσαν ἑλόντες
ἄορι, γᾷ κέκρυπται, ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος

aut illa Mauricii Schmidtii in museo Rhenano vol. XXVI p. 179 proposita

ὅσσα μέγαν Πριάμοιο δόμον κτεάτισσαν ἑλόντες
ᾇ ἀρετᾷ, κέκρυπται ὅθεν π. ο. ν.

Quorum illud Meinekius propriis argumentis refutavit, cadit autem in utrumque, quod sententiam cumulant eo quo nihil opus erat et scitam orationis descriptionem pessumdant. Sed hi tamen et ipsi, nisi fallimur, moti maxime verbis ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος, inferna significari volunt, quibus, excidio Troiae quae parta fuerint Atridis, abscondita iacere dicantur. Eandemque sententiam A. Fritzschius secutus est, cum ἀέρι intemptatum relinqueret, 'caliginem' interpretatus, Orci autem significationi ne indefinitum πά obesse videretur, τᾷ restituendum coniiceret.

*1) Sententiae formam dicimus similem illis quae Diodorus scribit I 2, 3 . . . καὶ τοῖς μὲν ἐν τῷ ζῆν μηδὲν ἀξιόλογον πράξασιν, ἅμα ταῖς τῶν σωμάτων τελευταῖς συναποθνήσκει καὶ τὰ ἄλλα πάντα τὰ κατὰ τὸν βίον, τοῖς δὲ δι' ἀρετὴν περιποιησαμένοις δόξαν αἱ πράξεις ἅπαντα τὸν αἰῶνα μνημονεύονται, aut quae Euripides (fr. 734 Nauck. ed. II.)

ἀρετὴ δὲ κἂν θάνῃ τις οὐκ ἀπόλλυται,
ζῇ δ' οὐκέτ' ὄντος σώματος· κακοῖσι δὲ
ἅπαντα φροῦδα συνθανόνθ' ὑπὸ χθονός.

τὰ δὲ μυρία τῆνα . . .
ἀέρι τᾷ κέκρυπται ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος.

Qui illud non sensit, satis inepte poetam, cum verbis τᾷ ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος inferos significasset, insuper ἀέρι h. e. caligine additurum fuisse.

His igitur emendandi periculis apparet, etiamsi sua forma tam probabilia essent quam nobis futilia visa sunt et reiectanea, eam offensionem non tolli quam diximus, iisque longe praestare scripturam, ex qua profecti sumus, Meinekio ceterisque probatam, quae scitam quidem habet et poeta non indignam orationem. Sed quoniam ne hanc quidem sententiae desiderium explere vidimus, recurrimus ad antiquitus propagatam formam attentius perspiciendam, si forte remotis Orci tenebris praebeat quod quaerimus et poetae consilio satisfaciat.

τοῦτο καὶ Ἀτρείδαισι μένει· τὰ δὲ μυρία τῆνα,
ὅσσα μέγαν Πριάμοιο δόμον κτεάτισσαν ἑλόντες,
ἀέρι πα κέκρυπται ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος.

Reiskius, qui primus adnotavit πᾶ esse indefinitum et accentu liberandum, 'nescio ubi et quomodo', addidit posse etiam πάντα scribi 'illa omnia caligine mersa iacent unde reditus non patet.' Non inepte ille quidem, ut solet recto et simplici iudicio uti, quamquam caligo parum definite dicitur et verendum est ne per hanc caliginem rursus in Orcum deveniamus, ex quo aufugere cupimus. Itaque nos ἀέρα aërem esse dicimus et sepositis paulisper verbis ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος, hoc poetam dicere putamus, alicubi (nescio ubi) in aëre opes istas Troianas absconditas esse. Neminem fugit quam scite πά huic sententiae se implicet, sed et illud reminiscamur oportet, veteribus, cum aut se evanescere cuperent aut alia evanuisse ex hominum conspectu dicerent, non solum Orcum patuisse aut terrae hiatum, sed et aethera ac superiora loca parata fuisse, quae duo saepe in exsecratione sua aut aliena, sed et alias, afferre coniunctim solent. Itaque in Sophoclis Aiace (1192) chorus Alexandrum detestatur verbis

ὄφελε πρότερον αἰθέρα δῦναι μέγαν ἢ τὸν πολύκοινον Ἅιδαν
κεῖνος ἀνήρ,

Iaso autem de Medea (1296 sq.) dicit

δεῖ γάρ νιν ἤτοι γῆς σφε κρυφθῆναι κάτω,
ἢ πτηνὸν ἆραι σῶμ' ἐς αἰθέρος βάθος
εἰ μὴ . . δώσειν δίκην πέποιθεν.

Nec dissimilia Plato in Legibus x p. 219, 4 Bk. *οὐ γὰρ ἀμεληθήσει ποτὲ ὑπ' αὐτῆς (δίκης)· οὐχ οὕτω σμικρὸς ὢν δύσει κατὰ τὸ τῆς γῆς βάθος οὐδ' ὑψηλὸς γενόμενος εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναπτήσει.* Polymestor in Hecuba (1100) quo suam ignominiam abscondat nescius lamentatur

ποῖ τράπωμαι, ποῖ πορευθῶ;
αἰθέρ' ἀμπτάμενος) οὐράνιον*
ὑψιπετὲς εἰς μέλαθρον . .
ἢ τὸν ἐς Ἀίδα
μελανόχρωτα πορθμὸν ᾄξω τάλας;

Et ut Hecuba Troasin ait (1320)

κόνις δ' ἴσα καπνῷ πτέρυγι πρὸς αἰθέρ'
16 *ἄιστον οἴκων ἐμῶν με θήσει* (cf. 1298),

ita *ἀμπτάμενα πρὸς αἰθέρα* saepe dicuntur quae inrita facta sunt, velut Iphigenia Taur. 842

ἄτοπον ἡδονὰν ἔλαβον,
δέδοικα δ' ἐκ χερῶν με μὴ πρὸς αἰθέρα
ἀμπτάμενος φύγῃ.

Andromacha 1219 *ἀμπτάμενα φροῦδα πάντα κεῖται.*
Hecuba 334 *οὑμοὶ μὲν λόγοι πρὸς αἰθέρα*
φροῦδοι μάτην ῥιφέντες.

Quibuscum qui contenderit quae in similem sententiam in Euripidis Supplicibus dicuntur (1155)

λόγων δὲ παρακέλευσμα σῶν
ἀέρι φερόμενον οἴχεται

et ex altera parte haec in Hercule (649) quibus tristem abominantur senectutem

κατὰ κυμάτων
δ' ἔρροι . . . ἀλλὰ κατ' αἰθέρ' ἀεὶ πτεροῖσι φορείσθω

cum iis quae sunt in Troasin (418 sq.)

Ἀργεῖ' ὀνείδη καὶ Φρυγῶν ἐπαινέσεις
ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι,

intelliget, variari orationis formam, ut tamen his omnibus sursum ablata dicantur, quae ad nihilum redacta sunt aut esse volunt*).

---

*7) [*πολιὸν αἰθέρ' ἀμπτάμενος* Orest. 1376. *ἀν' ὑγρὸν ἀμπταίην αἰθέρα* Ion. 796.]

*34) Ventis auferenda dare quae vana sunt, ut Theocritus ipse loquitur 22, 167, nemo nescit genus dicendi esse quo nihil familiarius fuerit poetis Romanis, Catullo, Tibullo, Propertio, aliis.

Haec quae selegimus ex plurimis (utinam iusto cum dilectu) qui consideraverit et ut oportet ex iis quae dicta sunt cognoscere sciet quae dici potuerint, non dubitabit, opinamur, quin quas opes Theocritus direptas ac dissipatas esse dicere volebat, *ἀέρι πα κεκρυμμένας* appellare recte potuerit; hoc quoque dabit, cum duo loquendi modi fuerint in usu, non esse quod flagitemus, ut poeta ex nostro arbitratu alterum adhibeat, alterum aspernetur, et quae funditus perisse dicenda erant, *εἰς Ἅιδην* potius detrusa quam sursum sublata *εἰς ἀέρα* vel *πρὸς αἰθέρα* dicat. Electra Sophoclea optionem facit sorori in iis quae auferri cupit (435)

ἢ πνοαῖσιν ἢ βαθυσκαφεῖ κόνει
κρύψον νιν,

eademque genera duo communi usu maxime trita Fausti tragoedia componit.

Ma. *Hat er's vielleicht vergraben?*
Me. *Wer weiss, wo nun es die vier Winde haben.*

Verum tamen non sine causa accidit ut viri docti spreta librorum scriptura, quam nos postliminio restituendam arbitramur, alia anquirerent. Augustus Pflugkius, qui a. 1830 primus propo- 17
suit quod a Meinekio et a multis deinceps receptum est, *Ἅιδι* (vel *Ἅιδῃ*) *πάντα*, nisi quod *πάντα* Reiskius praeiverat, rationes etiam attulit quibus se motum esse diceret ut testatam scripturam relinquendam esse censeret. Qui primum Friderico Iacobsio fidem habebat dicenti verba *ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος* sua sententia et Catulli versu comparato *unde negant redire quemquam* non posse nisi ad inferos referri; deinde ita existimabat *κέκρυπται* verbum cum *aëre* parum apte, perapte cum *Ἅιδου* nomine coniungi posse. Itaque ex utraque parte hoc suaderi videbatur, ut semoto *aëre* in eo loco *Ἅιδης* reponeretur. Utrumque oportet perspiciamus. Ac notum quidem est, quibus *Ἅιδης* ornari epithetis soleat. Euripides (de quo Wilamowitzius nonnulla adnotavit ad Hercul. v. 1202) *τὰν ἀνόστιμον . . βίου κέλευθον* appellat in Hercule 430; alibi *ζοφερὰν ἀδίαυλον ἕδραν* dixerat teste grammatico in Anecdotis Bekkeri p. 343, qui *ἀδίαυλος* inquit *τόπος, ὅθεν μή ἐστιν ἐπανελθεῖν*; Theocritus ipse 12, 19 *ἀνέξοδον εἰς Ἀχέροντα*; Philetas in Mercurio *ἀτραπὸν Ἀίδεω τὴν οὔπω τις ἐναντίον ἦλθεν ὁδίτης*, de quo versu et carmine Meinekius egit in Analectis Alexandrinis p. 350. Ad talia Catulli versus *unde negant redire quemquam* accedit. Sed accedere etiam Theocriti verba *ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος* et haec esse de Orco

elata, mera ista similitudine probari non potest, ex ea ut adeo emendandi necessitas petatur. Versus enim Theocriteus, quem libri demonstrant, Ἅιδου commemorationem non habet, ac nobis ne recipere quidem visus est; ad aërem vero illa verba addi non potuisse, quis hoc instabit qui cogitet, quae poeta alicubi in aëre abscondita esse dicit, ea ut irreparabili clade perisse affirmaret, nulla re aptius effici potuisse. Non plus Ἅιδι addere aut demere ἀέρι poterit κέκρυπται verbum; quod quidem saepe de mortuis, in terra vel in Orco conditis poni solere nemo ignorat; velut Theocritus ipse dicit (16, 30) εἰν Ἀίδαο κεκρυμμένος; Sophocles κρυφθεὶς ὑπὸ γῆς κεῖται τεθνεώς, alibi τὸν ἐν τάφῳ κρυφθέντα; Euripides νεκρὸν . . κρύψας χθονί et κρυφθῆτον χθονί. Sed nec unicus est hic usus et in his tamen et reliqua varietate dicendi nusquam non propria vis verbi agnoscitur, quae est auferendi a conspectu, quod unum est, sed non una de causa fit nec consilio uno. Quare κέκρυπται in versu Theocriteo qui ἠφάνισται esse dicunt, recte dicunt, Fridericus Iacobsius ad Theocritum, Lobeckius in Aiacem v. 1035 p. 356 s., qui hoc versu tuetur et a zeugmatis opinione liberat verba Sophoclis in Electra v. 435

ἀλλ' ἢ πνοαῖσιν ἢ βαθυσκαφεῖ κόνει
κρύψον νιν, ἔνθα μή ποτ' εἰς εὐνὴν πατρὸς
τούτων πρόσεισι μηδέν· ἀλλ' ὅταν θάνῃ,
κειμήλι' αὐτῇ ταῦτα σῳζέσθω κάτω,

in quibus vix tandem desierunt critici coniecturis ludere, qui quia dubitabant, κρύψον etiam ad πνοαῖσιν posse recte referri, in alia omnia abrepti sunt; sed nos qui Lobeckio assentimus in eo quod negat ad πνοαῖσιν aliunde verbum asciscendum esse, de tota oratione ita iudicamus, ut, quod ad zeugmatis naturam accedit, idem verbum non eandem utrobique prae se ferre significationem
18 statuamus: quod enim in altera parte positum verbum est, eo, si recte mentem accipimus, abscondi iubetur quod condatur conservandi causa, sicut in Aiace 658

κρύψω τόδ' ἔγχος τοὐμόν, ἔχθιστον βελῶν
γαίας ὀρύξας ἔνθα μή τις ὄψεται,
ἀλλ' αὐτὸ νὺξ Ἅιδης τε σῳζόντων κάτω,

(cf. Iphig. Taur. 826), ad πνοαῖσιν idem non auditur nisi vi simplicissima tollendi ex oculis. Et hac igitur significatione in versu Theocriti κέκρυπται cum *aëre* coniunctum esse volumus; neque eo minus recte locutum putamus Theocritum, quam aut Dionysium

Halicarnassensem, cum ita scribit III 47 de aquila Tarquinio pileum auferente *ἄνω πάλιν ἀνέπτη κατὰ τὴν ἐγκύκλιον αἰώραν φερόμενος καὶ εἰς τὸ βάθος τοῦ περιέχοντος ἀέρος ἀπέκρυψεν*, aut Silium Italicum in Punicis I 315

Terque levi ducta circum caput altus habena
Permissum ventis abscondit in aëre telum.

Denique Lucretii versus, qui ita scribit de aëre V 275

Semper enim, quodcumque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare; qui nisi contra
Corpora retribuat rebus recreetque fluentis,
Omnia iam resoluta forent et in aëra versa,

vel in diversitate sententiae docere possunt, quae in terris interierint potuisse recte dici in aëre alicubi abscondita esse; et si quis tantum tribuit Claudiano ut, quia dixit, inferorum diis donari quiquid in orbe perierit, inculcatam Theocrito sententiam confirmari credat, non negabit nonnihil in contrariam partem valere versus Lucretianos et traditam scripturam adiuvare posse. Itaque, ut iam nobis conclusa sit haec omnis oratio, ex iis quae dicta sunt hoc colligendum videtur, in hoc quoque versu Theocriti emendandi operam inutiliter sumptam Theocritumque scripsisse quae ab eo scripta esse libri testantur

τοῦτο καὶ Ἀτρείδαισι μένει· τὰ δὲ μυρία τῆνα,
ὅσσα μέγαν Πριάμοιο δόμον κτεάτισσαν ἑλόντες,
ἀέρι πα κέκρυπται, ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος.

Scr. mense Aprili a. MDCCCLXXXXI.

XXXV. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1892.

3 De versibus nonnullis Plautinis prooemiandi causa agemus, qui prave scripti in libris, doctorum hominum cura nondum videntur in integritatem restituti esse. Etsi enim haec, quae selegimus pauca, simplicitate sua operosam disputationem non requirunt, tamen quia argumentandi itinera patefacimus, nostra ut emendandi conamina confirmemus si possumus ac defendamus, habebunt ii si qui haec legent, non doctos dicimus sed discentes et quorum ea causa scribi solent, quo paulisper animum occupent aut oblectent, cum deliberant, quid recte quid falso olim aut a nobis propositum sit, et his quoque exemplis cognoscunt, quas cautiones ac dubitationes habeat emendatio Plautina.

1. In Asinariae actu primo extremo Argyrippo amanti erili filio postquam Cleaereta lena se ei velle solutis scilicet viginti minis Philaenium quam amat in annum permittere professa est, is in hunc modum declamare incipit

Interii, si non invenio ego illas viginti minas,
Et profecto, nisi illud perdo argentum, pereundum est mihi.
Nunc pergam ad forum atque experiar opibus omni copia.
Supplicabo exobsecrabo, ut quemque amicum videro:
Dignos indignos adire atque experiri certumst *mihi:*
Nam si mutuas non potero, certumst sumam faenore.

Sic haec scripta sunt in libris, cetera recte, ut nostra fert opinio. Nam quod Goetzius Loewiusque versu tertio *experiar omnes omni copia* ediderunt, coniectura utuntur non inepta illa quidem sed
4 tamen non necessaria: nobis certe Ussingii et Leonis sententia probatur, qui haec ad figuram ἀπὸ κοινοῦ referentes epitheton semel positum bis intelligi iubent, ut hoc dicat ille *experiar opibus omnibus et omni copia.* Sed versum paenultimum labem traxisse metri vitium fidem facit, quamquam eandem cum Plauti codicibus scripturam Nonius testatur, qui p. 296 haec habe mancat et vitiosa

'*experiri temptare* . . . *Plautus in Asinaria "dignos adire atque experiri certum est mihi".*' Claudenti versiculi mensurae variis modis mederi critici temptarunt, velut par editorum quod modo diximus haec recipienda duxit *Dignos indignos adire precibus decretumst mihi;* in qua re *experiendi* verbum ex versu tertio per errorem in quintum translatum statuunt, *precibus* autem exempli causa positum esse volunt. Et haec et Friderici Leonis sententia est, qui 'alteram versus partem' ab *atque* particula cruce critica insignitam 'interpolatam esse' illis editoribus assentitur. A quibus nostra mens tota discedit, qui primum, quod est in tertio versu *atque experiar*, in quinto *atque experiri* redit sententia diversa, dubitamus quam recte Plauti sermonem dedecere credatur: de quo genere Langenus nonnulla in symbolis Plautinis adnotavit p. 91. Deinde *precibus* parum apte huic orationi inseri recte interpretata sententia docere poterit. Denique, quod summum est, haec duo verba *adire atque experiri* (quae III 3, 132 in re dispari iterum copulata exstant *Ad me adi vicissim atque experire*) utrumque per se et hoc modo coniuncta tam apposita sunt si quid sentimus ad hanc orationem, ut in iis nisi cum detrimento nihil possit moveri, et ne iis quidem accedendum sit, qui mutato verborum ordine versus formam recuperatum iverunt. Nos in hac causa ut saepe alias ita censemus, vitium ibi tollendum esse ubi sedere manifestum est. Itaque cum iis facimus qui reliqua sana esse, depravatum credunt unum ipsum quod versiculi cursum impedit, *certum est.* Ex quibus Fleckeisenus *adire atque experiri stat mihi,* Langenus autem *adire atque experiri certa rest* scribendum esse coniecerunt. Quorum neutrum non habet qua parte placere possit; et *stat* quidem, scita divinatione inventum, quod si verum erat facile intelligitur *certumst* unde natum sit, Ussingius recepit, qui ascito exemplo (Nepotis qui in vita Attici 21, 6 *nam mihi* inquit *stat alere morbum desinere*) dicendi usum stabilivit, illud quoque adnotavit, evitari hoc modo incommodum, quod idem *certum est* in duobus versibus continuis legentem offendat. Cui rei quamquam non nimium tribuendum est, corrigendi certe probabilitati non obesse apparet. Sed Langenus perquisito sermone Plautino hunc modum loquendi quo *stat mihi* dicatur pro eo quod est *certum est, decretum est mihi,* Plautinis exemplis probari posse negat praeter unum, quod ne est quidem plane compar, Curculionis II 1, 35, *Quod eis respondi, ea omnes stant sententia.*

Ipse quod scribi maluit, *certa rest*, non infrequens est genus dicendi in fabulis Plautinis, et hoc potuisse cum altero quod est in libris, *certum est mihi*, proclivi errore permutari, eius rei indicium est, quod in Trinummo II 1, 34 libri scripti ita discedunt, ut Ambrosianus *certa est res*, reliqui libri *certumst* exhibeant. Acquiescimusne igitur in hac scriptura, quam videmus quot nominibus commendetur? Non, opinamur. His enim quae disputavimus tantum apparuit, versus integritatem non uno modo posse satis probabiliter restitui, sententiae autem, de qua non agunt critici, iis viis quas adhuc ingressi sunt, quae eo tendunt, ut consilii significandi vocem metro aptatam ponant, satisfieri nobis non videtur. Etenim Argyrippus captum consilium quocumque modo viginti minas parandi ita enarrat, ut primum se amicos experiri velle dicat mutuas ut ab iis accipiat; quos secundo loco aditurus sit, cum eo fatetur quod ait *si mutuas non potero, sumam faenore*, tum quod iuxta *dignos indignos* appellat; faeneratores igitur vel argentarios designat, qui quanto opere homines indigni habiti fuerint cum aliunde tum ex iis cognoscitur quae in Curculione non uno loco in eos opprobria iaciuntur, IV 2, 20 sqq. V 3, 1 sqq. Quamobrem probabile non esse diximus, Plautum *dignos indignos adire precibus* scripsisse. Atqui hoc genus alterum eorum quos aditurus esset post amicos simpliciter afferre poterat, ut ita diceret, supplicabo amicis, ut quemque videro; quod si ab iis mutuas accipere minas non potero, a faeneratoribus sumam faenore. Ille vero orationem amplificavit, cum sententiam universam interponeret, cui explicandi causa adderetur altera, *nam si mutuas non potero, certumst sumam faenore.* Ex hac autem quae plana est perspicuum esse potest, non illud eum ante dixisse quod vulgo credunt, sibi certum esse vel se constituisse dignos et indignos adire, sed hoc potius, nihil interesse sibi digni an indigni sint adeundi atque experiundi, idque demum commode excipi ab enuntiato causali, *nam si mutuas non potero, sumam faenore.* Itaque excussa sententia sic statuimus Plautum nec *certum est mihi*, quod a versu abhorret, nec quod huic significationem similem habet, versui quidem accommodatum, sed quod pariter et sensui et versui serviebat *unum est mihi* scripsisse, totamque orationem per suas partes hoc modo fuisse explicatam.

Nunc pergam ad forum atque experiar opibus omni copia.
Supplicabo exobsecrabo, ut quemque amicum videro:

Dignos indignos adire atque experiri unumst *mihi:*
Nam si mutuas non potero, certumst sumam faenore.

Dignis indignis ita compositis loquitur generatim, ut tamen vis maior cadat in indignos, quos se non magis quam dignos evitaturum profitetur. *Unum* autem nemo nescit significare quod *idem* vel *unum idemque;* itaque Plautus ipse loquitur cum alibi tum in Captivis III 1, 27

Abeo ab illis, postquam video me sic ludificarier,
Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios: una *res.*

Quo posito illud quoque contigit, ut offensio si qua erat iterati *certumst* tolleretur. Sententia autem et oratio si satis tueri videbuntur hoc quod proponimus, de emendandi probabilitate non est quod nimis anxii simus. Quis enim ignorat multa vitia in his comoediis orta esse librariorum oculis ab altero ad alterum versum aberrantibus; quod genus peccati est in Milite Glorioso II 6, 35. 36; II 4, 50. 51; in Mostellaria quoque II 1, 10 *hastis* ex proximo versu translatum. Itaque nullo negotio fieri potuit, cum in insequente versu paene eodem loco *certumst* legeretur, ut eo deerrans 6 librarius hoc scriberet pro eo quod debebat *unumst.* Immo vel omissa hac proximi versus similitudine, *unumst* si paulum modo obscuratum erat scriptura, in promptu erat ponere *certumst,* quod ad sententiam facere videbatur et quo nihil frequentius est apud Plautum, cui *certumst facere, ita facere certumst, mihi certumst facere,* similia, usitata admodum sunt, saepe tam nullo pondere poni solita, ut a simplici *velle* verbo non multum distare videantur. Quamobrem et recte scriptum putamus, de quo dubitarunt, quod est in Asinaria II 2, 42

Lib. Quid istuc est negoti? Leon. Certumst credere. Lib. Audacter licet:

etenim Libano interroganti *quid est negoti* Leonida conservus respondet *certumst credere,* h. e. volo, paratus sum tibi id credere; tum ille hanc voluntatem confirmans *audacter licet;* et in eadem fabula III 3, 23 a Friderico Leone primo recte edita esse, quae sunt,

Nam quid me facturam putas, si istuc quod dicis faxis?
Mihi certum est facere in me omnia eadem quae tu in te faxis.

Nam *efficere* quod est in libris parum ab usu et oratione probatur, et qui hoc ut stabiliretur aut *mihi* deleverunt aut *est,* a vera ratione videntur aberrasse.

2. Alter locus, cuius emendationem temptaturi sumus, ex Milite Glorioso petitus est: in qua fabula actu quarto scena sexta

Acroteleutium, se deperire militem simulare iussa, ubi sui amoris indicia multa dedit praesente milite sed quem illa adesse se scire dissimulat, sensim ad militis domum propius accedit, cum interim sermonis vices ita se excipiunt.

Milphidippa

Quid astitisti obstupida? cur non pultas?

Acroteleutium

40 *Quia non est intus quem ego volo.*

Milphidippa

Qui scis?

Acroteleutium

Scio edepol facio:

41 *Nam odore nasum sentiat, si intus sit.*

Pyrgopolinices

Hariolatur.

Quia me amat, propterea Venus fecit eam ut divinaret.

Acroteleutium

Nescio ubi hic prope adest quem expeto videre: olet profecto.

Pyrgopolinices

44 *Naso pol iam plus haec quidem videt quam oculis.*

Agitur de versu quadragesimo, cuius extrema vox in codicibus Decurtato Vaticanoque *facio* est, in Vetere Camerarii *ſcio*. In ea voce peccatum esse apertum est, sed unde emendatio petenda sit
7 ambiguum. Cum enim plerique ita statuant, *facio* esse antiquitus traditam scripturam, ex qua, si tolerari ipsa non possit, efficiendum sit, quod poeta dignum videatur, nuper Theodorus Hasperus in Commentationibus Fleckeisenianis, cum hanc fabulam luculenta copia coniecturarum augeret, p. 183 de hoc loco ita iudicavit, ut a *ſcio* Veteris scriptura proficiscendum ratus, hanc orationis formam Plauto vindicaret *Scio edepol, ſat ſcio.* Cui invento ingeniosi hominis quominus calculum addamus non una res nos prohibet. Ille quidem, quo vix opus fuisse dicas, *sat scio* multum esse in usu Plautino Terentianoque exemplis congestis docuit; sed idem *scio* et in extremo versu monosyllabum esse posse neque docuit neque credibile est. Quod etiamsi ita esse concedatur, tamen haec tota oratio non potest placere, sic soluta et hoc ordine componens, quorum utrumlibet, sive *sat scio*, sive, quod certe praestabat, *scio edepol*, per se satis erat; sive quid fortius asseverandum erat, aptioribus uti licuit, velut II 6, 103 *sat edepol certo scio*, vel in

eadem fabula II 3, 2 *certo edepol scio*, aliisque similibus; quibus
qui istam orationem contulerit, percipiet, opinamur, novicium in-
ventum a nativo ac vetusto sermone quid differat. Sed quod
maxime illi opinationi adversatur, isti Veteris codicis scripturae
non potest tantum tribui, ut hoc esse fundamentum cedatur, quo
emendandi operam niti oporteat; in discrepantia enim trium illorum
codicum ex communi fonte derivatorum tantum abest ille ut
habere soleat quod propius sit a vero ut nimis quam saepe con-
trarium occurrat; velut hoc ut exemplo utamur in re quae pluri-
mis probatur, II 6, 98 a vera scriptura, quae suis testimoniis fir-
mata constat, *hodie escam petam* ita illi libri discedunt, ut *hodie
capetam* Decurtatus cum Vaticano, progrediente errore Vetus *hodie
capiam* exhibeat; cf. IV 2, 42; IV 2, 90. Itaque *facio* quod est in
istis duobus primitivam esse scripturam obtinemus, *ſcio* autem cum
Veteris scriba exararet, levi errore, eadem voce proxime praece-
dente, inductum exarasse. *Facio* quoniam ipsum nihili est, ex eo
Bothius praeeunte Grutero *facile* effecit, id quod cum Ritschelius
olim, tum qui nuper Ritschelii opus sua cura renovatum edidit
G. Goetzius receperunt, neque aliter aut Ussingius aut Lorenzius
et Brixius iudicarunt. Neque vituperabilem omnino hanc orationem
et Hasperiano invento certe praestabiliorem ducimus, *Scio edepol
facile: nam odore nasum sentiat si intus sit*, quamquam iidem
fatemur ne sic quidem omni ex parte desiderium legentis expleri.
Idque videtur Ribbeckius sensisse, qui, quo fidentius illa affirmaret
quod dicit, non *facile* sed *scio edepol certo* scribendum putavit, et
hoc nos alteri, si optio esset eligendi, praeferremus. Sed *facio*
non magis corruptum esse ex *certo*, quam hoc recuperari ex illo
potest. Itaque Ribbeckius, quo suae probabilitatem coniecturae
sustentaret, aliam rationem iniit; quia enim in codice Lipsiensi
et in editione principe non *facio* exstat sed *olfacio*, hoc esse
glossema statuit ad hanc sententiam a nescio quo adscriptum, ex
eodemque glossemate in libris Palatinis, extritis scilicet post *edepol*
duabus litteris, *facio* superesse; quocirca ex ea verbi forma nihil
eliciendum esse sed libera emendatione reponendum quod sen-
tentia et oratio poscat aut ferat. Quae quamvis acute exposita
sint, tamen Ribbeckio de glossemate non assentimur ob eam cau- 8
sam, quia aegre adducimur ad glossatorem ut reiiciamus quae
poetam ipsum decebant. Nam Ribbeckius cum istam scripturam
quae editioni principi cum codice Lipsiensi communis est, ut par

fuit, attendisset, paene miramur eum non simul illud perspexisse, nihil potuisse aptius in hac sententia poni quam ipsum illud *olfacio*, cuius originem a glossatoris consilio maluit quam a poetae manu repetere. Ut enim paulisper ponamus interroganti *Qui scis* Acroteleutium respondisse *Scio edepol: olfacio: nam odore nasum sentiat si intus sit*, quid in hac oratione non modo recte sed non plane egregie dici putamus. Quae cum affirmaverit *scio edepol*, causam fiduciae addit *olfacio*, et rursus huic explicandi causa subiicit illa *nam odore nasum sentiat si intus sit*, cum hanc *olfaciendi* vim ita interpretatur, ut se nihil scilicet *olfacere* dicat, ex eaque re colligere quem expetat non esse intus, velut paulo post (v. 43) ex odore qui sit eundem prope adesse divinat. Plauto autem ipsi *olfacio* si tribuitur, Palatinorum librorum scriptura non difficilius quidem explicatum habet quam glossatoris opera interposita. Itaque mordicus tenendum esse *olfacio* aiimus, neque hoc singulare est in hac fabula istos duos testes, quibus nunc integrum *olfacio* acceptum fertur, exhibere plena aut emendate scripta quae in libris Palatinis mutila sunt vel depravata: quod genus quale sit, ne sine exemplo loquamur, intelliget si quis vel ad IV 2, 87 quae adscripta sunt testimonia attentius perspexerit. Unum restat agendum, ut hanc rem totam disputemus. Etenim versus qui ita natus est

Quia nón est intus quem ego volo. ‖ *Qui scis?* ‖ *Scio edepol: olfacio*

intolerabili duritie laborat. Quam quidem facile effugias pro *edepol* reposito *hercle: Qui scis? Scio hercle: olfacio**). Id quod

*25) [Adhuc ita sentio nihil aptius ad orationem et sententiam potuisse scribi quam a me commendatum: M. *cur non pultas?* A. *Quia non est intus quem ego volo.* M. *Qui scis?* A. *Scio edepol olfacio*: *nam odore nasum sentiat, si intus sit.* (cf. Ter. Andr. 352 *Qui scis?* D. *Scio.*); in eaque re paene assentientem habui Leonem, qui *olfacio* quidem, quo nihil verius est (cf. Men. I 2, 53 *ecquid tu de odore possis, siquid forte olfeceris*, *facere coniecturam*), mecum retinuit. Atqui *edépol* hoc accentu si defendi non potest (quae similia sunt aut esse creduntur non ignoro), in incerto haec res relinquenda est: nam quae praeterea proposita vidi, quae praesertim *olfacio* destituunt, dubito quam probabilia sint. Ego quod *hercle* pro *edepol* restituendum idque mulieri dandum opinabar, reiectaneum fuisse Fleckeisenus (in annal. 1892 p. 214) coarguit eo argumento quod teste Gellio *mulieres Romanas per Herculem non deiuravisse* constaret. Cf. Charisius p. 198, 18 K. Ac licet exempla exstent apud Plautum, perpauca quidem nec ea certa (vide maxime Cistell. I 1, 54) et licet Gellius ita scribat XI 6, 3 *nusquam scriptum invenire est apud idoneos quidem scriptores aut mehercle feminam dicere aut me castor*

non minus recte dicitur quam illud, et ut *scio hercle* sic *cupio hercle* est in hac fabula IV 3, 35 et in Asinaria III 3, 57. Itaque sic ratiocinari possis, librariorum incuria duas interiectiones comparis significationis inter se permutatas; sic certe in eadem scena IV 6, 55

Verbum édepol facere non potis, si accesserit prope ad te

libri ipsi variant et Vetus codex *edepol*, ceteri *hercle* testantur, quorum neutrum a versus forma respuitur. Et critici Aululariae versum (II 2, 84)

sed nuptias
Hódie quin faciamus num quae causast? ‖ Immo edepol optuma

in eadem particula claudicantem, altera pro altera restituta interiectione, ad integritatem revocari posse existimarunt.

Hodie quin faciamus num quae causast? ‖ Immo hercle optuma.

Sed hoc quidem ambiguum est, et fuerunt qui alio modo versus mensurae prospicerent; velut nuper Fr. Leo auctore Brixio servato *edepol* sed mutato in priore parte versiculi verborum ordine hunc probabilem versum edidit

sed nuptias
Num quae causast quin faciamus hodie? ‖ Immo edepol optuma.

Verum hoc utut est, permutatio istarum particularum satis constat, cuius exempla quaedam O. Seyffertus in Studiis Plautinis (1874) 9 p. 5 disceptavit. At tamen eandem versui de quo dicimus adhibere dubitamus. Si enim ita statuimus Plautum dedisse *scio hercle: olfacio*, librariorum autem oscitantiam peperisse *scio edepol: olfacio*, deinde errore errorem creante, quod nunc est in libris, ortum, *scio edepol facio*, quamquam in his nihil est quod incredibile sit aut improbabile, tamen haec explicandi ratio simplicitate sua praestare non videbitur. Itaque Plautum quidem asseveramus scripsisse ea quae diximus, quae unice sententiae et orationi conveniunt.

Quia non est intus quem ego volo ‖ Qui scis? ‖ Scio hercle: olfacio:
Nam odore nasum sentiat si intus sit.

Viam autem depravationis significare aliam licet, quae nobis veri similior visa est. Qui enim meminerit *hercle* in Palatinis libris, etiam in Vetere, non ita raro *ercle* sive *erde* scribi, velut Mil.

virum, tamen opinando hoc temptari non debuit. De iurandi formulis Plautinis et Terentianis egit Frank W. Nicolson in Harvard Studies in class. philol. IV 1893 p. 99.]

Glor. I 1, 19 *ercle* B; II 3, 39 *ercle* BD, *erde* C; Asin. I 1, 14 *ercle* B, praeterea in iisdem libris nulla re saepius pristinam scripturam deformatam esse quam litteris aut syllabis prave dispestis, velut, ut eius quoque rei cuius innumera sunt exempla pauca afferamus, haec sunt in una scena Militis, IV 6, 47 *videre spolia mares* B h. e. *videres pol si amares;* IV 6, 43 *prope adest*] *properat ē* B; IV 6, 4 *Tuum espa incipiū* B h. e. *tuum est principium*, haec igitur qui reputaverit, fatebitur, opinamur, ex *scio ercleol facio* non ita difficile potuisse oriri quod libros occupavit *scio edepol facio.*

3. Impeditiora sunt quae tertio loco disceptaturi sumus: quae sumpsimus ex primo cantico Mostellariae quod est actu primo scena secunda. In eo cantico Philolaches adolescens meretricis amore irretitus de sua condicione lamentatur, ut amorem subito invectum insimulet omnia corrupisse ac sustulisse quae parentum cura educando et excolendo bene fecerit. Hanc ille sententiam per se satis tenuem non ita parce exsecutus est, sed dum vitae morumque humanorum vicissitudines cum aedium factarum et pessumdatarum simulacro ambitiosius contendit, dilatavit orationem miraque loquacitate μονῳδίαν prolixam admodum replevit. Quam cantilenam nos nolumus exigere totam, quamqum ea habet quibus Plauti consuetudinem in condendis canticis conspicuam, a multis saepe falso aestimatam, declarare utiliter possis; sed nimis multa sunt in ea etiam post insignem criticorum operam in ambiguo relicta aut nondum satis certo ad suam formam revocata, in quibus expendendis veremur ne nec nobis nec aliis satisfacturi simus. Unum modo locum videbamur nobis melius quam ceteri interpretari, unde spes nata est, posse fieri ut quae vitiosa sunt in eo loco certiore emendatione quam adhuc factum est recuperentur.

Exposita igitur aedium fortuna earumque fabrorum opera ad parentum curas transit, quibus ut illi aedes sic hi filios suos colunt et expoliunt.

37 *Haec argumenta ego aedificiis dixi; nunc etiam volo*
Dicere homines aedium esse ut similes arbitremini.
Primumdum parentes fabri liberum sunt,
40 *Et fundamentum substruunt liberorum,*
Extollunt, parant sedulo in firmitatem,
Et in usum ut boni sint et in speciem populo.
Sibique aut materiae neparcunt
Nec sumptus sibi sumptu esse ducunt.

45 *Expoliunt, docent litteras, iura, leges suo sumptu et labore.*
Nituntur ut alii sibi esse illorum similes expetant.
47 *Ad legionem* comita *adminiculum eis danunt*
Tum iam aliquem cognatum suum.
Eatenus abeunt a fabris. Unum ubi emeritum est stipendium
50 *Igitur tum specimen cernitur quo eveniat aedificatio.*
Nam ego ad illud frugi usque et probus fui,
In fabrorum potestate dum fui.
Posteaquam immigravi in ingenium meum,
54 *Perdidi operam fabrorum ilico oppido.*

In versu quadragesimo septimo *comita*, quod esse depravatum apparet, quomodo emendandum videatur, priusquam dicamus, de more quem ibi Plautus designat, nonnulla afferemus, nota illa quidem, sed quorum admonuisse ad hanc rem quam agimus non inutile habebitur. Itaque Phoenix in Iliadis nono Achillem commonefaciens dicit

σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεύς
ἤματι τῷ ὅτε σ' ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπεν
440 *νήπιον, οὔ πω εἰδόθ' ὁμοιίου πολέμοιο*
οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσιν.
τοὔνεκά με προέηκε, διδασκέμεναι τάδε πάντα,
μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων.

Apollonius Rhodius in Argonauticorum primo

190 *Οἰνείδης δ' ἐπὶ τοῖσιν ἀφορμηθεὶς Καλυδῶνος*
ἀλκήεις Μελέαγρος ἀνήλυθε Λαοκόων τε,
Λαοκόων Οἰνῆος ἀδελφεός· οὐ μὲν ἰῆς γε
μητέρος, ἀλλά ἑ θῆσσα γυνὴ τέκε· τὸν μὲν ἄρ Οἰνεύς
ἤδη γηραλέον κοσμήτορα παιδὸς ἴαλλεν·
ὧδ' ἔτι κουρίζων περιθαρσέα δῦνεν ὅμιλον
ἡρώων.

In Aeneide*) cum Sino de se et Palamede (II 86) dicit

*31) [Ex Aeneide haec addantur IX 644
Antiquum in Buten. hic Dardanio Anchisae
Armiger ante fuit fidusque ad limina custos;
Tum comitem Ascanio pater addidit.

v 545
At pater Aeneas nondum certamine misso
Custodem ad sese comitemque impubis Iuli
Epytiden vocat eqs.

ad quae Servius adnotavit: *custodem ad sese: secundum Tullium qui dicit ad*

Illi me comitem et consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis,

tum de Pallante et eius comite Acoete haec narrantur in undecimo 30.

Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes
Servabat senior, qui Parrhasio Euandro
11 *Armiger ante fuit, sed non felicibus aeque*
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.

His sententiam similem Plautus*) illis versibus expressit; in quibus ex *comita* olim *quom itant* vel *quom itur* effecerunt, quorum illud Camerarii est, hoc quod Ritschelius recepit, iam in codicibus quibusdam correctum legitur. Postea hac via derelicta aliam ingressi sunt, O. Seyfferto principe, qui a. 1870 in Philologi Leutschiani vol. XXIX p. 393 ita disputat, *comita* vel *comitum* (sic enim interpretatur quod in codice Vetere adnotatur legi *comita*) *l. tum* nihil esse nisi *comitem*, idque ad *adminiculum* glossema adscriptum a Plauti oratione segregandum esse. Qua voce sublata duos versus iambicos recuperavit

Ad legionem adminiclum is danunt
Tum iam aliquem cognatum suum.

Hoc commentum, quia speciosum est et quia hoc genus emendandi prae ceteris captare solet eos qui hodie criticam artem factitant, perplacuit multosque nactum est comites ac plausores. Ita A. Spengelius, qni unum ex duobus versum iambicum constituit, in libro a. 1882 edito, quo metrorum Plautinorum doctrinam instaurare aggressus est, p. 225 (cf. p. 380) narrat se pridem ultro in eam opinionem incidisse quam postea in Mostellaria a Sopho Buggio a. 1873 edita ab eo occupatam offenderit; eodemque Buggio auctore glossema illud expulit Ussingius, neque clementius tulit Lorenzius, qui ut par fuit Seyffertum auctorem appellat. De versibus ita factis nihil dicimus. Sed sententiam dum diligentius perspicimus, quamvis audaculum sit tot viris doctis et in arte Plautina egregie versatis obloqui, tamen non possumus quin fateamur, nobis vix credibile fieri, hanc orationem veram esse et a Plauto profectam. In qua primum non *ad legionem adminiculum iis dant* sed saltem *ad legionem euntibus dant adminiculum*

militiam euntibus dari solitos esse custodes, a quibus primo anno regantur. Phoenicis et Pallantis exemplo in eadem re utitur Statius Silv. II 1, 90 ss.]

*8) [Cf. Mercat. 90 ss.]

scribendum fuisse existimamus, deinde *tum* vel *tum iam* quo referamus apte ambigimus. Utrumque melius erat in antiqua scriptura quam olim editores probabant, *ad legionem cum itant* (vel *itur*) *adminiculum iis dant tum iam aliquem cognatum suum.* Sic enim et *ad legionem* recte locum obtinet et praemisso enuntiato temporali *tum* habet quo niti possit. Porro *adminiculum* quid esset communi usu Latini sermonis notum erat (velut Livius, ut hoc utamur, scribit x 22, 2 *oratio . . versa postremo ad collegam P. Decium poscendum: id senectuti suae adminiculum fore*) et habet hoc loco tam perspicuam vim, ut hoc nomen quo explicaretur *comitem* adiectum esse parum probabile videatur. Sed esto: neque enim in hoc genere fidentius licet affirmare aut negare. Tamen veri simile non est in *comita**) nihil latere nisi *comitem*, quod praesertim sententiae accommodari non potest; et quod scriba 12
Veteris codicis *tum* supra *comita* posuit, videtur *comitatum* voluisse h. e. nisi fallimur *ad comitandum* scil. *dant adminiculum;* sed huius correctoris vestigia legere, nisi forte ducere ad verum videntur, nihil est quod nos cogat. Sententiam autem consulentibus, ex qua sola peti potest quo pedem figas, pristina scriptura *quom itant* (vel quod illo deterius erat *quom itur*), quam rationi nuper probatae praestare diximus, non tamen nihil reliqui facere videbitur. An nos fallit sensus cum putamus non tam de euntibus quam de mittentibus ad legionem h. e. de fabris sive parentibus dicendum fuisse, qui iidem iis adminiculum dare dicuntur? Et hoc quod sentimus requiri, levi opera nancisci licet, cum *comita*, quod non depravatum est sed mancum, sic ut oportet supplemus. *Ad legionem com ita* [mittunt], *adminiculum eis danunt tum iam aliquem cognatum suum.* In qua oratione ne quis *ita* supervacaneum esse obiiciat, hoc primum dicimus, hac particula inserta commodissime sententias connecti; quippe ab explanata cura, quam parentes in educandis et instituendis liberis suscipiunt, *expoliunt*, inquit, *docent litteras, iura, leges*, quae extrema sunt eius orationis et prave a nonnullis expelluntur, recte progreditur oratio: cum ita, h. e. his rebus paratis sive hac opera sumpta, filios ad legionem mittunt, iis adminiculum dant*). Sic ista particula non exuta sua

*13) Alia res est in Milite Glorioso IV 3, 10, ubi haec sunt in libris *Quibus cum comita recte deveniat domum*; sed *comitata* sententia flagitat idque pridem repositum est; cetera quae temptarunt incerta sunt et fortasse inutilia.

*35) Poterat profecto continuari narratio in hunc modum *Ita mittunt ad*

propria significatione paene ad vim temporalem accedit (*alsdann*); neque insolens est is usus, quem vel haec exempla Plautina prae se ferunt, Menaechm. v 6, 29 *Postquam in tabernam vasa et servos conlocavi, ut iusserat, Ita venio advorsum*, Curcul. v 3, 11 *Quia ego ex te hodie faciam pilum catapultarium Atque ita* (h. e. postquam te feci pilum catapultarium) *te nervo torquebo, itidem ut catapultae solent.* Porro *com ita* quod *quom ita* interpretamur (nam ne est quidem quod ita scribatur), in eadem fabula II 2, 84 in libris scriptum est *quom merui* vel *quommerui*, quod *commerui*, et IV 2, 50 in contrariam partem *copiam*, quod *quopiam* esse debebat; *mittunt* autem post *comita* facili errore negligi potuit; in qua re illud quoque attendendum est, in Mostellaria multis locis syllabas vel voces expulsas esse in libris, nonnumquam spatiis relictis, sed saepe nullo indicio omissorum facto. Denique vox ista adiecta, quam sententia poscere videbatur, simul versuum par probabilium efficit, servata metrorum descriptione quae est in Vetere codice

Ad legionem com ita mittunt *adminiculum eis danunt*
*Tum iam aliquem cognatum suum.**)

Nondum satis dictum est de his versibus. Sed quod addituri
18 sumus ut recte disceptetur, ordiendum est a proxima sententia *Eatenus abeunt a fabris.* Quae quamquam satis esse perspicua videtur, tamen interpretes plerique omnes aut haeserunt in ea neque se expedierunt aut emendando corruperunt quae recte scripta erat. Velut Ritschelius inanem ex perapta orationem effinxit, cum inducente metri ratione sed nulla cum probabilitate *protenus* ederet pro *eatenus*; quo tamen usus A. Spengelius et ipse metri causa cum hoc adderet ut *fabro* legi iuberet pro *fabris*, bis graviter in tam pusilla sententia peccavit*). Unus Seyffertus vere iudicavit, videtur quidem nobis vere iudicasse; nam nec Ussingio neque Lorenzio persuasit, qui interpretando in longe diversa abierunt.

---

legionem. Non aliter nunc in protasi positum est *ita* ut superiorem orationem complectatur.

*18) Incertum est utrum *cognatus aliquis suus* dicatur an *aliquis cognatorum suorum*, poterat enim utrumque. *nostrum salute socium* est in Menaechmis; et in Milite Glor. II 5, 22 dicitur *vicinorum aliquis;* sed in eadem fabula II 2, 84 *cum amatore aliquo suo*; et hoc igitur, ut magis proprium videtur, nunc quoque voluisse poetam putamus.

*28) *Fabro* a se positum Spengelius quo tueatur conferri iubet v. 33. Sed facile intelligitur, *fabrum aedium* recte dici, diciturque non solum eo loco sed etiam 20, *parentes* vero nisi *fabros* non potuisse appellari.

Quid ergo est? Parentes cum filios sedulo a se educatos ad exercitum mittunt, ne iam plane ex sua potestate exeant, cognatum quidem aliquem suum iis comitem esse volunt, is ut quasi vicem gerat parentum: itaque, qui mos est horum canticorum, hoc ipsum superiori sententiae confirmandi causa adiicitur, sed ita ut de filiis dicatur quod etiam de parentibus poterat; cum enim de illis posset *eatenus a se dimittunt*, maluit de filiis dicere *eatenus abeunt a fabris*, h. e. eatenus tantum, ut nostro sermone loquimur, non ultra, sed ut cognato comitante aliqua pars auctoritatis parentum maneat. Emerito vero stipendio, cum plane sui facti sunt, tum demum conspicitur, quo fabrorum aedificatio h. e. parentum cultura eveniat in filiis libertatem vivendi nactis. Ita si recte harum sententiarum tenorem evolverimus, cum *eatenus* et haec oratio satis stabilita videbitur, tum fortasse non improbabile esse iudicabitur, quod addere volebamus, in superiore parte non *tum iam* sed *tum tam* h. e. *tamen* scriptum fuisse. Neque enim hoc dicit, cum ad exercitum abeunt, *tum iam* ex parentum iure dimittuntur, sed illud potius, cum abeunt ad exercitum, *tum tamen* aliquid curae et potestatis parentum restat, propterea quod cognatum iis comitem addi volunt. Sic certe haec enuntiata duo ex utraque parte inter se nexa et colligata videbuntur alterique ex altero aliquid adminiculi ac firmamenti accedere, *ad legionem cum ita mittunt, adminiculum iis dant tum tamen aliquem cognatum suum: eatenus abeunt a fabris. Tam* pro *tamen* poni apud Plautum si non saepe, at aliquot exemplis certis, constat; de qua forma olim Ribbeckius egit in libello de particulis Latinis a. 1869 edito p. 27 sq., nuper H. T. Karstenus, qui in Mnemosyne anni 1890 p. 310 sqq. *tamen* particulae usum Plautinum accurata disputatione persecutus est. Qui quam *tamen* vocis explicandae rationem probavit, a propria vi *tam* particulae ductam, eam facile possis etiam huic loco applicare, *adminiculum dant tum tam aliquem cognatum suum*, h. e. *quam si ipsi adsint;* sed malumus in simplicissima particulae significatione, quam ne ille quidem negat aut a Plauto abiudicat, acquiescere, ut haec sit sententia, *cum ad legionem mittunt, adminiculum iis dant tum tamen* (*quamquam ipsi absunt*) *aliquem cognatum suum.*

De metris non multa dicenda sunt. Ex Veteris codicis descri- 14
ptione hi quattuor versus prodeunt

'*Ad legionem com ita* [mittunt], *adminiculum eis danunt*

Tum tam áliquem cognatum suum:
Eátenus abeunt a fabris. 'Unum ubi emeritumst stipendium,
Igitúr tum specimen cernitur quo eveniat aedificatio.

Quorum de duobus primis supra diximus ne in hac quidem forma quam recuperavimus esse quod mensura addubitetur; neque quartus non integerrimam conformationem habet. Sed de tertio qui unus est in codice ambigi non iniuria potest, sitne revera unus an in duas particulas dispescendus. Et nos quidem ita sentimus, has duas partes quae neque continuitate numeri comprehenduntur neque sententiae unitate (nam prior pars superiori orationi adnectitur, ab altera nova incipit narratio) melius in duos versus dividi. Sed quidquid statuitur (nihil enim definitius affirmamus), hoc cavendum esse etiam atque etiam aiimus, ne orationem, in qua nihil est quod emendando temptari debeat aut liceat, metri scilicet causa ad nostrum arbitratum conformemus ac pessumdemus.
Scr. m. Novembri a. MDCCCLXXXXI.

XXXVI. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1892/93.

Lectiones academicas proximis mensibus hibernis habendas 3
cum indicimus, ne desit ea quam praemitti moris est prolusio ex litteris petita olim communibus nunc paucorum gratia aegre sublevatis, Q. Ennii versus nonnullos singulares disceptare volumus, ex annalibus illos quidem oriundos sed de quorum sede quam obtinuerint in libris annalium nihil compertum est testimoniis. Iuvat enim periclitari numquid forte etiam in huius modi versibus cognosci possit de occasione qua in Ennii carmine elati fuerint. Quod genus disserendi non ignoramus suapte natura lubricum esse et in quo saepius operam ludas quam certi quicquam ratiocinando efficiatur. Neque tamen praetermitti omnino sine detrimento potest, si quis etiam disiecti membra poetae curare et concinnare animum inducat: nisi quod quo magis impeditum est iter quod necesse est insistatur eo maiore cautione utendum ne vagemur et vanis opinionibus rapiamur Et nonnumquam vel illud nonnihil utilitatis habet intelligere, non quae fuerint sed quae fieri potuerint. Ut autem in hoc argumento ambiguitatis pleno probabilia sectemur, asciscenda quidem sunt etiam aliunde si qua similitudinem quandam cum versibus Ennii prae se ferre videantur, sed inprimis quam accuratissime ipsa Ennianae orationis forma expendenda est, ex ea ut si forte auguremur, quo fere tenore versus in continuo carmine haberi potuerint: in qua re qui nuper et qui olim Ennianorum carminum reliquiis colligendis et explicandis curam impenderunt, non ita raro a vera ratione aberrarunt cum eas esse sententias poetae volunt quae cum verbis eius conciliari non possunt. Itaque redit haec opera maxime ad interpretandi negotium, et ad interpretandos quidem hos versus quos tractamus aliquid conferre nobis videmur, etiamsi fortasse non contigerit ut eorum locum et occasionem certius definiremus.

1. Incipimus a versu (559) 4

Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis.

Uni Prisciano versus Ennii quem dicit acceptus fertur: quo is usus est ut 'necatum ferro, nectum vero alia vi peremptum' dici confirmaret. Praeterea nihil edocemur a grammatico: et Ennii editores, Columna et qui Columnae opus renovandum curavit Hesselius, item Baehrensius, nihil de loco versiculi coniectantes, ad incerta annalium rettulerunt. Novissime vero qui totum Ennium edendum sibi sumpsit, in quarto annali versum posuit fidenter, quem in adiectis commentariis adnotavit potuisse 'dici de Gallis Capitolium obsidentibus' coll. Liv. v 48: quamquam ibidem 'eis etiam alibi locum esse potuisse' conceditur 'veluti in Marcelli obsidione Syracusarum, quando simili pestilentia Poeni sint afflicti' coll. Liv. xxv 26. Liviana quae attulit qui inspexerit, intelliget utroque loco sed magis altero de pestilentia quidem agi ad belli mala accedente, sed aegre quicquam offendet quod declarandae Ennianae orationis proprietati inserviat. Haec enim quae Ennius dicit *Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis* non tam narrationem rerum gestarum sapere dicas quam nescio quo consilio universam quandam rerum condicionem designare. Peritius ut saepe Paulus Merula hanc rem disputavit qui versum, in quo *duelli* vel *duello* scribi maluit, hoc sane prave, libro decimo sexto annalinm attribuit propterea quod putabat haec quae Ennius dicit posse lu cm accipere ex iis quae sunt apud Livium lib. xl 19, 7 (a. u. 573 P. Cornelio Lentulo M. Baebio Tamphilo coss.) *pestilentiae tanta vis erat ut cum propter defectionem Corsorum bellumque ab Iliensibus concitatum in Sardinia octo milia peditum ex sociis Latini nominis placuisset scribi et trecentos equites, quos M. Pinarius praetor secum in Sardiniam traiiceret, tantum hominum demortuum esse, tantum ubique aegrorum consules renuntiaverint, ut is numerus effici militum non potuerit.* Itaque sic existimabat Ennii verba 'vel poetae vel Romanorum vel denique sociorum qui novum militum delectum detrectabant querelae esse multos superioribus bellis necatos, nectos vero peste infinitos.' Addidit alia, ut luxuriari saepe coniectando solebat, quibus in hoc explicando versu uti liceat, velut ea quae ab Augustino de civitate dei iii c. 17 (et post eum ab Orosio iv 2, 1) de a. u. 478 narrantur *in tanta strage bellorum etiam pestilentia gravis exorta est mulierum* e. q. s., aut quae Livius in septimo c. 1. a. u. 389 *L. Genucio et Q. Servilio consulibus, et ab seditione et a bello quietis rebus, ne quando a metu ac peri-*

culis vacarent, pestilentia ingens orta. Quorum haec manifestum est ab Ennio aliena esse, illa nihil certe habent quod cum versu nostro conferatur nisi quod in strage bellica etiam pestilentia orta dicitur. Sed illud quod Merula primo loco posuit quodque in digerendis reliquiis secutus est haud inscite excogitatum est et inprimis subtiliter intellexit posse Ennii verba non narrantis poetae sed eius esse qui his duabus causis in excusando vel detrectando usus fuerit cum diceret partem hominum bello perisse, partem autem alteram morbo esse absumptam. Verum tamen in ipsa Livii narratione qua haec opinio nititur ista duplex ratio inopiae hominum non affertur sed haec quae scribit *tantum hominum demortuum esse, tantum ubique aegrorum* ad unam pestilentiam extollendam pertinent. Itaque non acquiescemus hac Merulae explicatione; sed eo quod verum est in ea usi dum circumspicimus num qua forte inveniantur quae accuratius Enniani versus formam recipiant, incidimus in talia quale hoc est apud eundem Livium lib. XXXVII 46, 9 (a. u. 564) *ex Gallia legatos Placentinorum et Cremonensium L. Aurunculeius praetor in senatum introduxit: iis querentibus inopiam colonorum,* a l i i s b e l l i c a s i b u s, a l i i s m o r b o a b s u m p t i s, *quosdam taedio accolarum Gallorum reliquisse colonias, decrevit senatus, uti C. Laelius consul, si ei videretur, septem milia familiarum conscriberet quae in eas colonias dividerentur.* Haec gesta sunt paulo post quam M'. Acilius triumphum de Aetolia egit; poterantque ab Ennio referri in annali decimo quarto. Qui si revera legatos de colonorum inopia conquerentes induxerat, eorum orationem egregie decebant verba *Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis.* Sed ne uno allato exemplo defuncti videamur, sunt alia in promptu ad hanc rem quam agimus non minus accommodata. Non illa dicimus quae sunt apud Livium lib. III 7, 6 *haud minor Romae fit morbo strages quam quanta ferro sociorum facta erat* (cf. 7, 8), quamquam ne haec quidem sine consilio afferimus; sed quae II 35, 8 Marcius Coriolanus et Attius Tullius Volscus inter se agitavisse dicuntur m u l t i s s a e p e b e l l i s, p e s t i l e n t i a p o s t r e m o a m i s s a i u v e n t u t e *fractos spiritus esse; arte agendum in exoleto iam vetustate odio, ut recenti aliqua ira exacerbarentur animi**); aut quae XXVII 9, 3 (a. u. 545) a militibus in Siciliam trans-

*35) Non inutiliter comparabuntur etiam haec quae Plutarchus habet in vita Coriolani c. 13, 2 *εἶτα ὥσπερ οὐκ ἀρκουμένους τοὺς μὲν ὑπὸ λιμοῦ διολλύναι τῶν πολιτῶν τοὺς δὲ λοιμῷ προσβάλλειν, ἔτι καὶ πόλεμον αὐθαίρετον ἐπάγειν.*

portatis, quorum pars maior Latini nominis sociorumque erat, in conciliis fremebantur, *decimum annum dilectibus, stipendiis se exhaustos esse; quotannis ferme clade magna pugnare; alios in acie occidi, alios morbo absumi; magis perire sibi civem, qui ab Romano miles lectus sit quam qui ab Poeno captus: quippe ab hoste gratis remitti in patriam, ab Romanis extra Italiam in exsilium verius quam in militiam ablegari*, haec vere ita comparata sunt ut Ennianae sententiae peraptum aperire locum possint. Itaque ineptas quidem criticorum opiniones aspernari licebit, sed tamen versum ipsum, cuius non unam sed plures occasiones ostendimus pari paene iure probabiles, non uni libro certo attribuemus sed in incertis ferre pergemus. Nec vero erit, opinamur, qui haec a nobis inutiliter esse composita arguat, quibus natura tamen Ennianae sententiae aestimari recte potuerit. Quisquis enim fuit qui haec dixerit, ex oratione ea sumpta esse et qua mente in ea oratione elata fuerint iam liquido apparet.

2. Secundus nobis esto versus (160)

Nobis unde forent fructus vitaeque propagmen;

quem Nonius, qui solus est eius auctor, bis attulit (64, 32 et 221, 9) levibus quidem maculis aspersum sed ut vera et primitiva forma versus ambigua esse non possit. Nam nos ne nunc quidem *propagmen*, cuius loco novissimi Ennii editores *propagen* edi maluerunt, abiiciendum putamus, quod et Nonii librorum indiciis firmatur nec destituitur ratione, quam Lachmannus (ad Lucr. VI 613 p. 382 s.) congestis compluribus eius formae nominibus declaravit. De sententia et sede versus nec Columna, qui mirifice in eo alucinatus est, quicquam probabile attulit nec nuperi editores, qui versum in incertis annalium recensent de loco securi. Unus Merula de hoc quoque versu protulit non indignum quod perpendatur; quem ille annalium quarto adscriptum L. Quinctii Cincinnati verba ab aratro ad suscipiendam dictaturam vocati (a. u. 296) referre coniecit. Qua in re Livium, quem non nominat, auctorem sequitur; cuius verba cum libertate quadam ad suam opinionem stabiliendam convertit. Livius autem, cuius verba plene adscribenda duximus, haec III 26, 7 tradit. *Operae pretium est audire, qui omnia prae divitiis humana spernunt neque honori magno locum neque virtuti putant esse nisi ubi effuse affluant opes**): *spes*

*37) Non omittimus adnotare huic exordio, cui quasi exempli causa

unica imperii populi Romani, L. Quinctius, trans Tiberim contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt, quattuor iugerum colebat agrum, quae prata Quinctia vocantur. Ibi ab legatis, seu fossam fodiens palae innixus seu cum araret, operi certe, id quod constat, agresti intentus, salute data in vicem redditaque, rogatus, ut quod bene verteret ipsi reique publicae togatus mandata senatus audiret, admiratus rogitansque 'Satin' salve' togam propere e tugurio proferre uxorem Raciliam iubet; qua simul, absterso pulvere ac sudore, velatus processit, dictatorem eum legati gratulantes consalutant, in urbem vocant . . . transvectum excipiunt. Haec Livius, in quibus tamen nihil est quod Ennianae sententiae simulacrum prodat. Et Merula cum Quinctio huiusmodi responsum dedit, 'obticet paulisper ac demum ecfusis lacrumis "Ergo inquit hoc anno agellus non seretur, *Nobis unde forent fructus vitaeque propagmen* et de vita periclitabimur?"' Livianis haec affinxit de suo*) orationemque formavit recepta Enniani versus sententia nec per se probabilem nec satis ad hunc usum accommodatam. Neque tamen Merulae de Cincinnato opinionem relinquendam ducimus sed eam curiosius explicatam vindicare studebimus. Proficiscimur autem a condicionali orationis forma, quam *forent* ostendit; quae sententiam 7
in hunc fere modum conceptam fuisse indicio est: 'hoc ego si facere vellem, unde nobis fructus forent?' Quae est interrogatio negantis se id facere velle quod iubetur, sed negantis cum excusatione. Sic relabimur ad agellum quem Quinctius sua manu colere solebat ac tum colebat cum a legatis Romanis ad dicta-

---

illa de Cincinnato dictatore creato subiiciuntur, plane similem esse sententiam qua Dionysius x 17 p. 28, 1 K. suam de consule Cincinnato narrationem concludit: *ταῦτα δὲ οὐχ ἑτέρου τινὸς χάριν εἰπεῖν προήχθην, ἀλλ' ἵνα φανερὸν γένηται πᾶσιν, οἷοι τότε ἦσαν οἱ τῆς Ῥωμαίων πόλεως προεστηκότες, ὡς αὐτουργοὶ καὶ σώφρονες καὶ πενίαν δικαίαν οὐ βαρυνόμενοι καὶ βασιλικὰς οὐ διώκοντες ἐξουσίας, ἀλλὰ καὶ διδομένας ἀναινόμενοι· φανήσονται γὰρ οὐδὲ κατὰ μικρὸν ἐοικότες ἐκείνοις οἱ νῦν, ἀλλὰ τἀναντία πάντα ἐπιτηδεύοντες, πλὴν πάνυ ὀλίγων, δι' οὓς ἕστηκεν ἔτι τὸ τῆς πόλεως ἀξίωμα καὶ τὸ σῴζειν τὴν πρὸς ἐκείνους τοὺς ἄνδρας ὁμοιότητα.* Quodsi quid hariolationi largiri licet, possis cum Ennii quoque Cincinnato quem credimus suspicari aliquid moratae orationis coniunctum fuisse eique exordii loco praemissos versus

Audire est operae pretium procedere recte
Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis.

*15) Nisi quod in quibusdam Dionysii memor videtur sed eorum quae Dionysius refert de consule Cincinnato.

turam. vocatus est. Quam ille repudiare coepit cum ita diceret 'Hunc ego agellum si relinquere vellem incultum, unde nobis fructus et vitae propagatio foret?' Sic demum orationis formae satis fieri videtur. In qua suscitanda sententia cum Livio auctore uti non liceat, ne merae fingendi libidini indulgeamus, ad alterum confugimus auctorem Livio non deteriorem. Dionysius enim Halicarnassensis cum fabulam de Cincinnato dictatore rustico in summa rei cum Livio conspirans referat x 24 p. 37 K. haec tradit de Quinctio ὁ δὲ μαθὼν ὅτι δικτάτωρ ἀποδέδεικται τῆς πόλεως οὐχ ὅπως ἠγάπησε τηλικαύτης τιμῆς τυχών, ἀλλὰ προσαγανακτήσας εἶπεν· Ἀπολεῖται ἄρα καὶ τούτου τοῦ ἐνιαυτοῦ ὁ καρπὸς διὰ τὰς ἐμὰς ἀσχολίας, καὶ πεινήσομεν ἅπαντες κακῶς. Quae sunt sane valde similia verbis Ennianis. Atqui si quis quaerat, quid Dionysius ad Ennium, nihil sane, respondebimus, nisi quod quae Dionysius Quinctium locutum fingit, iis comparia eundem apud Ennium loqui potuisse incredibile non est. Sed Dionysius, ut rursus copia magis rerum quam inopia laboremus, alteram non dissimilem in eodem Cincinnato Ennianae sententiae occasionem affert. Quem consulem surrogatum paucis annis ante a. u. 294 item ab opere rustico arcessitum narrat, cuius fabulae a Livio (III 19) praetermissae Dionysius etiam postea memor erat cum Cincinnatum dictatorem ita respondentem faciebat ἀπολεῖται ἄρα καὶ τούτου τοῦ ἐνιαυτοῦ ὁ καρπός. Sed de consule creato haec scribit x 17 p. 27 K. ... ἡ βουλὴ δὲ ἔπεμπε τοὺς παραληψομένους τὸν ὕπατον καὶ ἄξοντας ἐπὶ τὴν ἀρχήν. ἔτυχε δὲ τηνικαῦτα ὁ Κοίντιος ἄρουράν τινα ὑπεργαζόμενος εἰς σποράν, αὐτὸς ἀκολουθῶν τοῖς σχίζουσι τὴν νειὸν βοιδίοις ἀχίτων, περιζωμάτιον ἔχων καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πῖλον. ἰδὼν δὲ πλῆθος ἀνθρώπων εἰς τὸ χωρίον εἰσιόντων τό τε ἄροτρον ἐπέσχε καὶ πολὺν ἠπόρει χρόνον, οἵτινές τε εἶεν καὶ τίνος δεόμενοι πρὸς αὐτὸν ἥκοιεν ... ἠσπάσαντό τε ἅπαντες οὐκ ἐκ τοῦ ὀνόματος ἀλλὰ ὕπατον καὶ ... ἀκολουθεῖν εἰς τὴν πόλιν ἠξίουν. κἀκεῖνος μικρὸν ἐπισχὼν καὶ διαδακρύσας τοσοῦτον εἶπεν· Ἄσπορον ἄρα μοι τὸ χωρίον ἔσται τοῦτον τὸν ἐνιαυτόν, καὶ κινδυνεύσομεν οὐχ ἕξειν πόθεν διατραφῶμεν. Itaque optio est Ennianam orationem consuli velimus an dictatori tribuere: nam a Cincinnato omnino ut segregetur non videmus quid suadeat. Quae enim de Regulo similia feruntur, in iis, nisi quid nos fugit, nihil est, quod propius ad Ennianae sententiae colorem accedat. Quamobrem hunc

versum non temere agere videatur qui ex incertis subiatum suo loco hoc est in quarto annalium libro reponi iubeat.

3. Apud Festum p. 376 M. 574, 1 Thewr. haec leguntur: *[venenari dice]bant antiqui cuius color inficiendo mutatur, ut Ennius cum ait* (535)

Cum illud quo iam semel est imbuta veneno.

Vetusti Ennii interpretes *veneni* quidem et *venenandi* vim pluribus declararunt, sed in versu, quem in incertis annalium ferunt, quae tum erat verecundia, nihil temptarunt. Ex recentioribus qui 8
Cupa illud reposuit Odofredus Muellerus, cum hiatum tolleret, illud non satis attendit, non de odore agi sed de colore neque in ea sententia cupae locum esse sed lanae vel vesti. Id qui intellexit Th. Bergkius (in libello academico a. 1863. Opp. I p. 315) cum meminisset *conchyli colorem, conchyli fucum* dici apud Lucretium et Catullum, nulla verecundia prohibente, hanc scripturam doctis hominibus propinavit. *Concili ut quom lana semēl imbuta veneno est* h. e. ut cum lana semel conchyli veneno imbuta est. Qua in emendatione ambiguum est utrum magis admirere, inconsultamne audaciam, quam multi sagacitatem habent, quae hoc effecit, paene nulla vox ut intacta suo loco maneret, an singularem levitatem qua *semēl* ultro in versum invectum et *est* temere traiectum defensitare aggressus est. Sed certe illud non quaesivit vir doctus essetne *conchyli* vox huic sententiae adeo necessaria, ut ei vel cum vi restitutae reliqua omnia parere iuberentur. A Bergkio monstratum iter sed sine Bergkii audacia persecuti novissimi Ennii editores, alter *Conchyli quom iam semel est imbuta veneno*, alter autem *Cum villus quo iam semel est imbutu' veneno* pro certo edendum curaverunt. Quae sunt commenta vix satis digna quae accuratius refellantur. Nos dum traditam versus formam studiosius perspicimus, sententiam quidem poetae, quantum ex hac imperfecta oratione cognosci potest, hanc fuisse colligimus, *Cum illud quo iam semel est imbuta veneno* lana retinet perpetuo neque amissum reparare potest colorem; sed simul in oratione tria inesse intelligimus, quae criticos offenderunt aut morari legentem possint: primum hians versiculi initium *Cum illud;* secundo autem loco *iam semel* cum huic sententiae merum *semel* satisfecerit; denique in hunc modum formata oratio *illud quo imbuta est veneno.* Atque haec tria incommoda sive offensiones appellari malis Bergkii quidem emendatio una opera sustulit,

posteriorum criticorum conaminibus primum et tertium removetur, secundum non videntur sensisse omnino aut non attendisse*). Atqui hiatum putamus posse fortasse Ennio condonari, quoniam in *m* desinentes voces cum hiatu in versu poni ne Lachmannus quidem (comm. Lucr. p. 131) negavit, quamquam idem hoc genus in Ennio angustissimis finibus circumscripsit (ibid. p. 99); quod tamen quam late patuerit nunc quidem satis certo definiri non potest*). Sed si quis hanc librarii vitio scripturam ortam malit, levi opera tolli hiatus potest, cum aut littera addita *Cumq; illud* scribitur aut mutata littera *Cur illud;* quia vero tota oratio, cuius illa pars est, quomodo formata fuerit, sciri non potest, abstinendum est ab omni coniectura et hic ut saepe in eo subsistendum, quod satis est, ut intelligamus, hiare orationem eamque fortasse integram non esse. Porro *iam* ad *semel* adiectum in hac sententia tantum non requiritur ut melius abesse videatur, ut in Horatii versu (ep. I 2, 69) *quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu* aliisque similibus. Sunt tamen quibus praeter sententiae rationem ea particula alteri addita legatur, velut Cicero de finibus primo 1, 2 de philosophiae studio scribit *Qui autem, si*
9 *maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel iam missum coerceri reprimique non potest; ut propemodum iustioribus utamur illis, qui omnino avocent a philosophia, quam his, qui rebus infinitis modum constituant.* Si modo ita scripsit ut libri testantur. Nam Madvigius quidem negabat aut *iam* adiectum ferri posse aut *missum* aptum verbum esse recepitque veterem correctionem *in eo quod semel admissum* (hoc est, ut interpretatur, *in animum admissum*, quod *ammissum* exaratum abierit in librorum scripturam) *coerceri reprimique non potest.* Quae vituperabilis nimirum oratio non est, tamen etiam atque etiam ambigimus, quam recte repudietur altera, quam videmus etiam Fridolfo V. Gustafsono (in libello de his Ciceronis libris a. 1878 Helsingforsiae edito p. 33) probari, cui *missum* (h. e. *losgelassen*) inprimis conveniens huic sententiae verbum esse visum est. De Lucretio nemo dubitavit, qui cum ita scribit (VI 1040)

*2) Nisi quod Muellerus posse etiam *quoniam* scribi pro eo quod posuit *quom iam* adnotavit.

*3) [De quo genere universo nunc accuratius edocuit Fr. Leo in quaestionibus Plautinis (1895) c. v.]

hic igitur, penitus qui in ferrost abditus aër,
sollicito motu semper iactatur eoque
verberat anellum dubio procul et ciet intus,
scilicet: ille eodem fertur, quo praecipitavit
i a m semel et partem in vacuam conamina sumpsit

si quidem recte mentem poetae accepimus, omissa *iam* particula sensum constare apparet: *eodem fertur quo semel praecipitavit.* Denique quod ita scriptum est *illud quo imbuta est veneno,* mirere sane si cui offensioni fuerit: adeo hoc ex verissima Latini sermonis natura promptum est et consuetudine confirmatum. Sed quoniam hoc loco criticorum studiis mutatum est in ea quoque re ut videtur offendentium, age selectis quibusdam exemplis hoc genus declaremus. Plautus igitur scribit (Capt. I 2, 76) *nisi qui meliorem adferet Quae mihi atque amicis placeat condicio magis.* Lucretii talia sunt *et simul ex illa quae tum res excipit ictum* (VI 313); *et in illam Transtulerunt proprio quae tum res nomine egebat* (III 134); *unde hic cognitus est ipsi quem nominat ignem* (I 695). Catullus quod scripsit *si nobis is datur unis Quem lapide illa diem candidiore notet* (68, 148), corrumpunt qui quia *dies* est in libris mero errore, traiecta voce edunt *illa notat candidiore, dies.* Horatius in epodon libro (2, 37) *quis non malarum quas amor curas habet Haec inter obliviscitur;* in carminibus autem (IV 13, 18) *quid habes illius, illius Quae spirabat amores, Quae me surpuerat mihi, Felix post Cinaram notaque et artium Gratarum facies?* h. e. ut putamus *quid habes illius faciei felicis notaeque quae spirabat.* Ovidius quoque (Am. II 2, 4) *Illa quae Danai porticus agmen habet.* Et haec ne quis poetarum propria esse existimet, Livius similiter scribit (XXI 32, 5) *eo, qui circa Padum erat exercitus, Italiam defensurus;* item XXXI 22, 6 (cf. XXXII 5, 9) *nam et terrestres ab Corintho, quae per Megara incursiones in agros fieri solitae erant;* quare quae sunt apud eundem (XXXIII 18, 12) *steterunt tantum acies utraque super ripam qui tenui tum aqua interfluebat torrens* nobis quidem iniuria videntur pro depravatis haberi: deleverunt *qui* aut *torrentis* reposuerunt, quorum etsi utrumque probum erat, tamen si recte dici poterat, quod nemo negat, *super ripam eius qui interfluebat torrens,* cur illa quae sunt in libris **10** vitiosa esse instamus? cum praesertim in hoc genere quid Livio placuerit etiam talia documento sint *capiuntur castra: captis, quae pars maxime a pugnantibus conspici poterat, iniecit Acilius ignem*

(XL 31, 9; cf. XXVII 42, 10). Quam consuetudinem Latini sermonis si quis a capite repetere volet, ab eo usu proficiscendum erit quo cum pronomine relativo nomen sive idem quod praecessit sive simile ei vel cognatum coniungi solet; quod genus Ennius scribit (in Alexandro) *Iudicabit inclitum iudicium inter deas tris aliquis, Quo iudicio Lacedaemonia mulier . . adveniet*, et in annalibus (306) *is dictust ollis popularibus olim Qui tum vivebant homines;* quibus similia sunt Horatii (sat. I 4, 1; cf. I 10, 24) *Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae Atque alii quorum comoedia prisca virorum est;* Catullus quoque (c. 96) *si quicquam gratum accidere a nostro dolore potest, Quo desiderio veteres renovamus amores;* de quo sunt qui prave sentiant; aliique multi similiter; verum nos nunc hanc rem persequi nolumus. Sed ut redeat unde egressa est oratio, ex iis quae diximus si recte colligitur verba *illud quo est imbuta veneno* certissimum morem Latini sermonis referre, eo confidentius asseverare licet criticorum conamina quae memoravimus, quibus haec ipsa depravatum ibant, irrita esse et reiectanea. Ac licet haereat ea quam significavimus dubitatio de *cum* et *iam* particulis tamen cavendum est ne nostro arbitratu versum remediis curemus morbo gravioribus.

Sed nos de sententia et usu versiculi quaerere institueramus. Quam rem interpretes plerique versu ad incerta reiecto praetermiserunt: ne Muellerus quidem qui versum ita scriptum ut diximus *Conchyli quom iam semel est imbuta veneno* in decimo annalium cum hoc altero item purpura distincto *Et simul erubuit ceu lacte et purpura mixta* coniunctum dedit, quid maxime senserit patefecit. Unus E. Spangenbergius versum quem sic formatum *Quum illa ut quae iam semel est imbuta veneno* in septimo annali edidit, ex Reguli oratione de captivis Poenorum dissuadentis sumptum esse voluit, sic interpretatus 'Quodsi captivi non redduntur, Poenis deerunt milites acres, novi enim quos adsciverunt nullius momenti sunt; iuventus Poenorum ita cladibus perculsa, ut deficiat animus; novi delectus, *ut testa quae iam semel erat imbuta veneno* semper *remorbescat* (hanc enim vocem Ennianam huc revocandam et cum versu illo coniungendam censuit, quem ipsum prave ad Horatii mentem ita loquentis ep. I 2, 69 *quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu* accepit) nec ullum salubrem cibum servare potest, semper ignavi in pugnando erunt.' Quae licet absurda sint, ut in iis refellendis tempus terere ine-

ptum sit, tamen praeteriri non poterant, quia quod Reguli mentionem iniecit, quamvis caecutiens aliquid veri tetigit. Quod quale sit ut aperiamus, primum illud tenemus quod diximus, in versu Enniano de lana dici quae quo semel imbuta fuerit veneno id amittere non possit; non tamen ut Ennius de lanae natura egerit, quemadmodum Lucretius scribit VI 1074 *purpureusque colos conchyli iungitur uno Corpore cum lanae, dirimi qui non queat usquam*, sed ut ab hac natura lanae simile repetat quo illustret aliud. Simili a lanae coloribus ducto, quoniam vis varia esse potest, multi non uno modo usi sunt: velut Quintilianus scribit I 1, 5 *natura tenacissimi sumus eorum quae rudibus animis percepimus, ut sapor quo nova imbuas durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.* Cicero autem in Hortensio (p. 54 libelli academici quo nuper Hortensii Tulliani reliquias Ottonis Plasbergii nostri diligentia complexa est) *ut ii qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, sic litteris talibusque doctrinis ante excoli animos et ad sapientiam concipiendam imbui et praeparari decet.* Et utroque superior Plato *Πολιτείᾳ* IV p. 184 Bekkeri *οἱ βαφεῖς, ἐπειδὰν βουληθῶσι βάψαι ἔρια ὥστ' εἶναι ἁλουργά, πρῶτον μὲν ἐκλέγονται ἐκ τοσούτων χρωμάτων μίαν φύσιν τὴν τῶν λευκῶν, ἔπειτα προπαρασκευάζουσιν οὐκ ὀλίγῃ παρασκευῇ θεραπεύσαντες, ὅπως δέξεται ὅτι μάλιστα τὸ ἄνθος, καὶ οὕτω δὴ βάπτουσι· καὶ ὃ μὲν ἂν τούτῳ τῷ τρόπῳ βαφῇ, δευσοποιὸν γίγνεται τὸ βαφέν, καὶ ἡ πλύσις οὔτ' ἄνευ ῥυμμάτων οὔτε μετὰ ῥυμμάτων δύναται αὐτῶν τὸ ἄνθος ἀφαιρεῖσθαι*, quae deinceps ad institutionem ac disciplinam referuntur. Quibus addi possunt quae scribit Plutarchus Num. comp. 4, 5 *ὥστε πεντακοσίων ἐτῶν πλείω χρόνον τὰ κυριώτατα καὶ μέγιστα διαμεῖναι τῆς νομοθεσίας, ὥσπερ βαφῆς ἀκράτου καὶ ἰσχυρῶς καθαψαμένης.* Hi cum in aliis discedant in eo conspirant, praeterquam quod Cicero hanc partem sententiae praetermisit, quod colores semel a lana iusto modo receptos elui ac deleri posse negant. Eamque esse sententiam Ennii nobis veri simile visum est. Qui quem in usum simile illud convertisse potuerit dum quaerimus, Horatii reminiscimur, apud quem in carminum tertio 5 (nam non ea dicimus quae Ennii interpretes asciverunt ex epistola libri primi secunda) Regulus a Carthaginiensibus Romam missus ut de permutandis captivis ageret, hoc cum dissuaderet, cum alia disseruit tum hunc locum induxit egregie

auro repensus scilicet acrior
miles redibit. flagitio additis
damnum: neque amissos colores
lana refert medicata fuco,
nec vera virtus, cum semel excidit,
curat reponi deterioribus.

De militibus Romanis videlicet (non ut ille somniabat Poenorum*) militibus) agitur, quos captos ab hostibus ne auro redimere velint patribus auctor est Regulus ob eam causam, quia vera virtus cum semel exciderit reponi deterioribus non curet, non magis hercle quam lana cum semel medicata est fuco sive ut ait Ennius *imbuta est veneno* referre amissos colores h. e. pristinum candorem potest. Sic enim haec Horatii verba esse accipienda censuimus cum plerisque, quamquam Kiesslingius aliam interpretandi viam ingressus *amissos colores* dici voluit non primitivam lanae naturam sed receptos venenando colores, qui vetustate depravati restitui non possint. Quod quas rationes habeat non obscurum est, sed quomodo cum reliqua sententia, cui necesse est simile inserviat, concilietur ambiguum. Illud autem facile intelli-
12 gitur cum hac Horatiana sententia ab Ennio institutam comparationem, si quidem ex parte iudicare licet de toto, optime convenire potuisse. Ut si fuit apud Ennium Regulus in senatu de captivis Romanis verba faciens, quod credibile est, quamquam nullo certo indicio confirmatur, ad huius orationem illa esse referenda probabile sit. Et ad Regulum quidem probabilius quam ad alium nescio quem: quoniam etiam aliae huius generis disceptationes Romae fuerunt, velut T. Manlius Torquatus apud Livium (XXII 60) post pugnam Cannensem captivos ex ea pugna milites Romanos non esse redimendos in senatu ponderosa oratione exposuit. Sed nos Horatium sequi malumus, qui habet certe eam sententiam, cuius partem agnoscere apud Ennium videmur.

---

*7) [In qua re tamen non negligendum est Ciceronem, qui multus est de Reguli casu in officiis III c. 26—31 et cogitasse ipsum et Regulum agitare voluisse de remittendis Poenorum captivis; et quamquam ibid. I 13, 39 de *captivis commutandis* Regulum Romam esse missum scribit, statim hanc duplicem causam a parte *reddendorum captivorum* disputat. Contra Horatium apertum est suum Regulum nisi de redimendis Romanorum militibus non cogitantem nec orantem facere; idque credibile est item in versum Ennii cadere quem dicimus.]

4. Unum etiam versum incertae notae (379) disceptabimus paucis,

Contempsit fontes quibus exerugit aquae vis.

Quem versum, cuius de origine ac fide superiores Ennii editores, Columna, Merula, non satis plene edocti erant, nos nunc scimus ab uno Macrobio esse servatum: ex cuius opere De differentiis et societatibus Graeci Latinique verbi duplicis generis excerpta quae exstant Henricus Keilius in quinto grammaticorum Latinorum volumine collegit. Ibi igitur in Excerptis Bobiensibus (p. 651, 35) ubi de verbis frequentativis agitur haec leguntur *eructo etiam a quo principali veniat quaeritur et est a verbo erugit. Ennius Contempsit fontes quibus ëxerugit* (sic B) *aquae vis.* Eadem sed omissis verbis pluribus curtata habent Excerpta Parisina (p. 626, 21) *eructat frequentativum est a principali erugit aquae vis.* Quae, quoniam propter iteratum *erugit* media intercepta sunt, ex altero loco in hunc modum supplenda sunt *eructat frequentativum est a principali erugit [Ennius Contempsit fontes quibus exerugit] aquae vis.* Principalis quam grammaticus dicit formae unus Ennius videtur auctor exstitisse; ad eundemque et auctorem et versum redeunt quae epitoma Festi p. 83 M. p. 58, 30 Thewrewk. memorat *erugere semel factum significat quod eructare saepius. illud enim perfectae formae est, hoc frequentativae.* In Ennii versu dubium movet de forma *exerugit* cum grammatici testimonium tum quod *ex* in codice Bobiensi punctis notatum dicitur. Neque ineptum, quamquam non plane certum, erat quod olim a nobis propositum est, . . . *quibu' sese erugit aquae vis,* cum praesertim *eructare* vim activam habeat plerumque. Illud erat ineptum quod Bergkius leviter admodum iecit (Opp. I 345) *erugit* Ennium quidem scripsisse sed hanc esse perfecti formam totumque versum in hunc modum conformatum fuisse *Contempsit fontes quibus ērugit acüae vis.* In quibus expendendis aut refutandis non est quod operam sumamus. Nuper maluerunt *fontes quibus ex erugit aquae vis;* neque id vituperandum est; quod genus Lucretius scribit (VI 788) *haec ideo terris ex omnia surgunt.* Sed quoniam Graeci non solum *ἐρεύγειν, ἐρεύγεσθαι,* verum etiam *ἐξερεύγεσθαι* eadem vi saepius posuerunt, velut Lycophro in Alexandra (725) *ἔνθα λάβρος Ἶς Γείτων θ' ὁ Λᾶρις ἐξερεύγονται ποτά,* Dionysius Halic. I 9 p. 11, 21 K. (*Λῖρις καὶ Τέβερις*) *εἰς τὸ Τυρρηνικὸν ἐξερεύγονται πέλαγος,* Diodorus Sic. II 11, 2 *τὴν Βαβυλωνίαν διελθόντες*

εἰς τὴν Ἐρυθρὰν ἐξερεύγονται θάλατταν, alii, et haec verba *erugo* et ἐρεύγω, quamquam nemo nescit inter has formas quid intersit, a se segreganda non sunt, fatendum est fortasse Ennio ipsum illud *fontes quibus exĕrugit aquae vis* placuisse. Sed hoc utut est, nobis agendum est de versus sententia et loco. Quam rem vetusti editores non tetigerunt; quae vero E. Spangenbergius excogitavit, absona sunt, qui legentes ad Nilum et Aegyptios Nili beneficio fontium contemptores relegat; sed proxime Bergkius in Ennii versu Capitolium a Tito Tatio obsessum indicari sibi asseclaeque suo persuasit. Cui quod ab Ovidio in Fastis (I 269) Ianus *repentinas eiaculatus aquas*, in Metamorphoseon libro XIV (787) nymphae *venas et flumina fontis sui elicientes* praeclusisse iter dicuntur, Tarpeia quoque Propertiana (IV 4, 48) Tatium iubet *rorida terga iugi cavere*, quia via *tacentes Fallaci celet limite semper aquas*, ex iis ingeniosi homines efficiunt fontes Capitolinos esse quos Ennius dicat, ob eamque causam Bergkius, ut sibi constare videretur, *erugit* perfecti formam esse voluit versumque eo modo quem diximus deformavit. Sed hi viri docti ab istis fontibus divinis ut videtur obstupefacti illud non curarunt quod summum erat, quis quave de re contempsisse fontes diceretur. Quod nisi quis liquido demonstraverit, aegre fidem nanciscetur de reliquis. Atqui nobis hanc orationem cum cura pertemptantibus his quae poeta dicit *quibus exerugit aquae vis* fontium natura depingi videtur, non ornamenti causa in speciem, sed quia forte contrariorum ratio in ea re vim sententiae positam voluit. Nam quod quis contempsisse fontes dicitur, quibus tamen aquae copia accepta fertur, eam non narrationem esse arbitramur, sed id similitudinis causa ad declarandum aliud et gravius adhibitum. Id tamen quale esset vix umquam intellexissemus nec probare aliis valuissemus, nisi aliunde quid accessisset, quod huic versui lucem e tenebris afferre videretur. Etenim Iustinus in Trogi Pompeii historiarum Philippicarum epitoma lib. XXXI c. 5 Hannibalem refert cum Antiocho rege de belli gerendi cum Romanis ratione in hanc sententiam egisse. *Veniam libertati praefatus nihil se aut consiliorum aut coeptorum praesentium probare ait, neque sedem belli Graeciam sibi placere, cum in Italia uberior materia sit: quippe Romanos vinci non nisi armis suis posse nec Italiam aliter quam Italicis viribus subigi: siquidem diversum ceteris mortalibus esse illud et hominum et belli genus. Aliis bellis plurimum momenti habere*

*priorem aliquam cepisse occasionem loci temporisque, agros rapuisse, urbes aliquas expugnasse: cum Romano, seu occupaveris prior aliqua seu viceris, tamen etiam cum victo et iacente luctandum esse**). *Quamobrem si quis eos in Italia lacessierit, suis eos opibus, suis viribus, suis armis posse vincere, sicut ipse fecerit. Sin vero quis illis Italia velut fonte virium cesserit, proinde falli ac si quis amnes non ab ipsis fontium primordiis derivare, sed concretis iam aquarum molibus avertere vel exsiccare velit.* Paene totam orationem Hannibalis descripsimus quo magis tenor 14 ac decursus sententiarum eius dispiceretur. Ex eo autem et maxime his postremis quae dicit, quibus ipsa quam volumus similitudo explicatur, iam par est intelligi, quam in rem apud Ennium a fontibus vel fontium contemptu ductum simile converti apte potuerit. Sic enim sententiae particulam, quam habet versus Ennianus, supplemus: si quis contempserit fontes quibus exerugit aquae vis, qui valebit is amnes concretis aquarum molibus auctos regere ac domare. Et iam statim apparet quid fuerit quod fontium natura additis illis *quibus exerugit aquae vis* depingeretur. Hoc autem simili, sic ut est apud Iustinum, Ennii quoque Hannibalem usum putamus, ut Antiocho persuaderet, non in Graecia aut Asia sed in Italia, ubi fontes virium eorum essent, bellum cum Romanis gerendum esse*). Consiliis quidem Hannibalis usum esse Antiochum Ennius quoque auctor est, cuius hos tres versus (381 — 383) e decimo tertio annali depromptos Gellius tradidit, qui hoc quoque quod apertum est affirmat Antiochum Asiae regem esse qui haec dicat.

Hannibal audaci cum pectore de me hortatur
Ne bellum faciam quem credidit esse meum cor
Suasorem summum et studiosum robore belli.

---

*3) Prope ut Hannibal Horatianus (C. IV 4, 65) dicit de Romanis
merses profundo, pulchrior evenit;
luctere, multa proruit integrum
cum laude victorem.

*22) Sic apud Livium quoque Hannibal coram Antiocho loquitur XXXVI 7, 16 *De Philippo meam sententiam habes; de ratione universi belli quid sentirem, iam ab initio non ignorasti. Quod si tum auditus forem, non in Euboea Chalcidem captam et castellum Euripi expugnatum Romani, sed Etruriam Ligurumque et Galliae Cisalpinae oram bello ardere et, qui maximus iis terror est, Hannibalem in Italia esse audirent* e. q. s. Cf. etiam Iustinus XXXI 3, 7.

Unde tamen noli colligere apud Ennium aliam Hannibali de universo bello Romano sententiam fuisse quam nos propter illum versum statuendam duximus eumque hoc suasisse ut abstineretur a bello, non ut eo quo decebat modo gereretur. Neque enim una de re aut semel credibile est apud Ennium quoque Hannibalem Antiocho res gerendas aut suasisse aut dissuasisse. Quorum virorum ingenio diversissimorum quale et quam varium et anceps in consiliis gravissimis fuerit commercium, vel Liviana narratio patefacit quae est in libro XXXVI c. 15, 2. et c. 41, 2. 6; quibus addantur etiam haec Diodori XXIX 3 p. 382 Dind. Itaque illos versus non tam impedire quam adiuvare nostram opinionem putamus, qua versum

Contempsit fontes quibus exerugit aquae vis

una cum illis tribus in tertio decimo annali h. e. in rebus Antiochi locum habuisse opinamur. Scr. m. April. a. MDCCCLXXXXII.

XXXVII. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1893.

De Euripidis Hercule quem furentem dicere solebant non- 3
nulla disputaturi sumus: quam fabulam novissime U. de Wilamo-
witz-Moellendorff egregia arte ita pertractavit, ut et verbis poetae
cum cura editis praeter consuetudinem cummaxime obtinentem
commentarium adderet omnibus interpretis officiis cumulate satis-
facientem et res rationesque cum tragoediae Graecae natura et
historia et huius tragoediae fatis coniunctas ab ultima origine re-
petitas exponeret. Quos libros duos, doctos Iuppiter et laboriosos,
cum invitante materia et editoris elegantia tenente multo usu
tereremus, accidit hic illic ut in singulis quibusdam versibus in-
telligendis haesitaremus dubitareque inciperemus num eorum sen-
tentia iam satis recte in omnibus explanata sit an fortasse alia
via temptandum poetae consilia patefacere. Quarum dubitationum
nonnullas quod hac scribendi opportunitate proferendas duximus,
strenuis adolescentibus, quorum studia regimus, aliquid incitamenti
addere volumus, quo impensius hoc duce, qui quid esset tragoediam
Graecam interpretari praeclaro exemplo edocuit, ad huius poetae
artem penitus cognoscendam se dare cupiant. Et est haec fabula
τῶν ἄριστα πεποιημένων et quae facile quemvis, qui intrare, non
a limine salutare, animum inducat, mixtae gravitate dulcedinis
compede detineat: adeo ut vel has particulas quas nos discepta-
bimus sperare liceat, quidquid de nostra earum interpretatione
aestimabitur, ipsas per se aliquid iucunditatis legentibus allaturas.

1. Pulcherrima ῥῆσις est Megarae a v. 451, qua revertens
cum Amphitryone socero et filiis ornatu funebri ut voluit in-
structis iam omnia parata esse ad caedem fassa, memoria recolit
quae olim a pueris prospera exspectaverit si vita maneret, iam
ut apparet ad irritum redacta, denique ardentissima prece Her-
culem adit, ut exoriens ex inferis se suosque liberos et patrem 4
in summo discrimine pendentes servatum properet. In hac ora-

tione prolixa sed mira venustate explicata, olim multa salebra impediente lectorem, alia interpretandi cura partim autem emendandi sollertia optime administrata sunt: restat vel videtur quidem nobis restare aliquid ambiguitatis in principio orationis et in exitu. Exorditur autem Megara ab his versibus

451 *εἶεν· τίς ἱερεύς, τίς σφαγεὺς τῶν δυσπότμων*
— *ἢ τῆς ταλαίνης τῆς ἐμῆς ψυχῆς φονεύς;*
ἕτοιμ' ἄγειν τὰ θύματ' εἰς Ἅιδου τάδε.
ὦ τέκν', ἀγόμεθα ζεῦγος οὐ καλὸν νεκρῶν,
455 *ὁμοῦ γέροντες καὶ νέοι καὶ μητέρες.*

In quibus Wilamowitzius vim propriam verborum *ἱερεύς, σφαγεύς**) et quae cum his conspirat vox *θύματα* probe explicuit; a quorum figurata oratione quoniam versum medium *ἢ τῆς ταλαίνης τῆς ἐμῆς ψυχῆς φονεύς* abhorrere censuit, hunc non esse Euripidis Paleio assentiens posuit sed interpolatoris consilio Megaram inter *θύματα* referri nolentis appictum; quo excluso orationem ad suam formam, illo versu impediente turbatam, redire: hoc enim dici *τίς σφαγεὺς ἄγειν τὰ θύματα τάδε ἕτοιμα εἰς Ἅιδου*; nec probabile esse, hoc quidem loco, insequente praesertim *ἀγόμεθα*, infinitivum *ἄγειν* ab *ἕτοιμα* pendentem positum pro passivo. Atqui nos primum in orationis forma evolvenda ab eruditissimi viri iudicio discedimus; qui sublato versu secundo tamen has duas esse sententias alteram alteri confirmandi explicandi causa subiectam malumus: 'quis mactator: paratae (enim) sunt hic hostiae quae ducantur in Orcum.' Qua in re cum verba ipsa *ἕτοιμα* et *τάδε* hanc magis iuncturam recipere videantur, tum illud nos movet, quod *ἱερεὺς* vel *σφαγεὺς ἄγειν τὰ θύματα* proprie dici non potuit, potuit *σφάζειν, θύειν**); dirempta autem sententia in partes duas, cum *θύματα* ut oportebat inductum orationis colorem retineat, reliqua *ἄγειν εἰς Ἅιδου* iam liberiore modo adnecti nullo incommodo poterant. Infinitivum autem activum, ubi passivam formam exspectaveris, Wilamowitzius

*11) Iphig. Taur. 359
οὔ μ' ὥστε μόσχον Δαναΐδαι χειρούμενοι
ἔσφαζον, ἱερεὺς δ' ἦν ὁ γεννήσας πατήρ.
Ibid. 617—624.

*27) In Alcest. 24 sq. quae leguntur
ἤδη δὲ τόνδε Θάνατον εἰσορῶ πέλας,
ἱερῆ θανόντων, ὅς νιν εἰς Ἅιδου δόμους
μέλλει κατάξειν
non videntur repugnare.

ipse Graeci sermonis usu vel maxime comprobari admonuit; et quod deinceps sequitur *ἀγόμεθα*, sed in sententia nova et nova imagine expressa, quamquam vel sic tenue quoddam filum ab *ἄγειν* ad *ἀγόμεθα* duci non negamus, tamen hoc quid illi obsit quam praeferimus orationi aegre dispicimus. Itaque de versu in suspicionem vocato seorsum agendum est, quoniam is sive adest sive deest orationis forma non mutatur. Qui versus si nullus esset, a nemine desideraretur, neque in hoc exordio

εἶεν· τίς ἱερεύς, τίς σφαγεὺς τῶν δυσπότμων;
ἕτοιμ' ἄγειν τὰ θύματ' εἰς Ἅιδου τάδε

esse dicas quod non plene aut non recte elatum sit, adeo ut ne interpolator quidem habuisse videatur, quod hoc aut ullo supplemento orationem augeret. Quem quod Wilamowitzius scribit Megaram quia non inter *θύματα* referret desiderasse, de Megara fortasse recte sentit, sed interpolatori veremur ne nimium subtilitatis attribuat. Verum versus adiecti quaecumque est origo, si habet eam quam vulgo credunt sententiam, ut Megara se suis quos ante dixerit eodem tenore adnumeret, hoc alieno dicendi genere immixto quae scite composita erant duriuscule corrumpuntur. Quare aut condemnandus est versus aut aliter interpretandus. Et hoc ut faciamus dictio ipsa videtur suadere, in qua nihil est quod non mirum esset, si id ageret Megara ut semet infelicibus quos dixit adnecteret. Quid ergo est? Megaram vidimus filios, quibus petierat ante ut sibi liceret vestitum funebrem induere (329), nunc ut voluit ornatos reducere: haec igitur *ἕτοιμα θύματα* appellat, quibus *ἱερέα* vel *σφαγέα* exposcit. Quamobrem de pueris cum ita dicit 'quis iam mactator est infelicium?', haec dolore materno expressa addit 'vel (quod idem est) meae miserae vitae interfector' ita videlicet sentiens, qui liberos suos mactaverit, vere suam matris animam haurire*). Quae si est sententia notati versus, non iam mirabimur orationem quae non habet nisi quod egregie ad eam applicetur, neque verendum est, ne hoc versu interiecto, qui nihil nisi superioris vim et sententiam diverso quidem genere dicendi interpretatur, reliquae orationis color aut compages violetur ac solvatur. Tribuimusne igitur versum, qui cui consilio inserviat intelligimus, poetae potius quam interpolatori? Non nos fugit, quid responderi possit: nos Megaram ita loquentem facere, quasi

*30) [Apud Ovidium (Metam. XIII 495) Hecuba caesam Polyxenam ita alloquitur: *nata, iaces, videoque tuum, mea vulnera, vulnus.*]

liberorum tantum caedes ac non ipsius quoque et Amphitryonis ageretur; quae tamen statim omnia complectens dicat

ὦ τέκν', ἀγόμεθα ζεῦγος οὐ καλὸν νεκρῶν,
ὁμοῦ γέροντες καὶ νέοι καὶ μητέρες.

At his rursus quae subiiciuntur (456 sq.)

ὦ μοῖρα δυστάλαιν' ἐμή τε καὶ τέκνων
τῶνδ', οὓς πανύστατ' ὄμμασιν προσδέρκομαι,

qui attenderit, matrem videbitur audire quae sibi filios quos pepererit violenta nece auferri conqueratur, non quae ipsa simul cum iis mortem obitura sit. Et hoc per primam partem fabulae ita comparatum est, ut, quamvis *παῖδας Ἡρακλείους* una cum matre et patris patre tyranni superbia acerbae morti obiiciat, tamen illi adeo ceteris superiores sint, ut saepe soli appellentur, velut ab Amphitryone v. 317 s. et 343, aut a senibus chori v. 430 *στέγαι δ' ἔρημοι φίλων, τὰν δ' ἀνόστιμον τέκνων Χάρωνος ἐπιμένει πλάτα βίου κέλευθον ἄθεον ἄδικον* et 439, et vel ibi ubi tres partes designantur, tamen pueros potissimam esse, ut erant, agnoscatur: quales sunt versus 39 et 47, de quibus hoc quod volumus Wilamowitzius ipse adnotavit, et quae Hercules vv. 574 sq. 577 et 580 dicit memorabili varietate usus sed ut liberos principem locum obtinere appareat. Porro Megara filiis funebria ut impertire liceret flagitavit v. 329 *κόσμον πάρες μοι παισὶ προσθεῖναι νεκρῶν* eoque vestitu indutos liberos conspicatur Hercules v. 525 *τί χρῆμα τέκν' ὁρῶ πρὸ δωμάτων στολμοῖσι νεκρῶν κρᾶτας ἐξεστεμμένα*, 548 *κόσμος δὲ παίδων τίς ὅδε νερτέροις πρέπων*, putamus enim *παίδων* recte scriptum esse neque quicquam efficiendum ex eo quod *πέπλων* in codice errore exaratum est pro *πρέπων**); neque impedit quod Megara interroganti illa Herculi respondet *θανάτου τάδ' ἤδη περιβόλαι' ἐνήμμεθα*, aut quod Lycus, cum Megarae hoc petenti concedit, generatim verba facit 333 *κοσμεῖσθ' ἔσω μολόντες κτλ*, idem 702 sq. Itaque ut senes Thebani se advenientes funesta veste

*27) Wilamowitzius enim hunc versum edidit

κόσμος δὲ πέπλων τίς ὅδε νερτέροις πρέπων

πέπλων (pro *παίδων*) restituens sive recipiens quod A. Nauckius in illa docta censura operis Wilamowitziani in libris quibusdam scriptis et impressis legi testatur. Sed quod in extremo versu *πέπλων* scriptum est in codice, in apographis correctum *πρέπων*, ei errori ne nimium tribuatur, v. 925

χορὸς δὲ καλλίμορφος εἱστήκει πέπλων

exaratum est in codice, a Cantero restitutum *τέκνων*.

insignes filios Herculis una cum matre et Amphitryone videre pronuntiant 442

ἀλλ' ἐσορῶ γὰρ τούσδε φθιμένων
ἔνδυτ' ἔχοντας τοὺς τοῦ μεγάλου
δή ποτε παῖδας τὸ πρὶν Ἡρακλέους,
ἄλοχόν τε φίλην ὑποσειραίους
ποσὶν ἕλκουσαν τέκνα καὶ γεραιὸν
πατέρ' Ἡρακλέους,

ita dubium esse non potest, quin Megara, cum ita infit v. 451 εἶεν· τίς ἱερεύς, τίς σφαγεὺς τῶν δυσπότμων; ἕτοιμ' ἄγειν τὰ θύματ' εἰς Ἅιδου, perfecto scilicet acerbo ornandi negotio filios ut θύματα paratos adesse et mactatorem exspectare dicat. Neque secus in eadem ῥήσει filios tantum cogitat cum in versibus supra allatis 456 sq., tum rursus cum sperata sua omnia fracta et in vanum lapsa lamentatur v. 480

καὶ ταῦτα φροῦδα· μεταβαλοῦσα δ' ἡ τύχη
νύμφας μὲν ὑμῖν Κῆρας ἀντέδωκ' ἔχειν,
ἐμοὶ δὲ δάκρυα λουτρὰ δυστήνῳ φέρειν·
πατὴρ δὲ πατρὸς ἑστιᾷ γάμους ὅδε,
Ἅιδην νομίζων πενθερόν,

quae mater dicere videtur non quae statim ipsa simul cum liberis interitura est, sed quae filiorum sortem qui ad necem rapiuntur deplorat. Quae qui consideraverit, intelliget nostrae versus reiecti interpretationi illud non iam obesse quod Megarae una cum liberis moriendum est; ac nobis quidem poeta laudandus videtur, qui cum ita loquentem inducit

εἶεν· τίς ἱερεύς, τίς σφαγεὺς τῶν δυσπότμων, 7
ἢ τῆς ταλαίνης τῆς ἐμῆς ψυχῆς φονεύς;
ἕτοιμ' ἄγειν τὰ θύματ' εἰς Ἅιδου τάδε,

matrem depingit, quae sui plane obliviscens filiorum tantum sortem reputat et quo dolore eam exceptura sit. Immo vel ea quae dicit v. 492 θνήσκει πατὴρ σὸς καὶ τέκν', ὄλλυμαι δ' ἐγώ, ἣ πρὶν μακαρία διὰ σ' ἐκληζόμην et rursus 537 καὶ τἄμ' ἔθνησκε τέκν', ἀπωλλύμην δ' ἐγώ, quamquam iis minime obloquimur quae Wilamowitzius ad h. l. de neglecta anaphora adnotavit, in similem sententiam accipere malumus non ut suam Megara mortem sed cladem sibimet ex filiorum fato nascentem significet, in eum modum quem Electra dicit 914 ἀπώλεσάς με κὠρφανὴν φίλου πατρὸς καὶ τόνδ' ἔθηκας (cf. 1092) aut Hercules 1392 ἅπαντας πενθήσατε νεκρούς

τε κἀμέ· πάντες ἐξολώλαμεν μιᾷ πληγέντες τύχῃ. Sed de his quidquid iudicabitur, istam orationem, ex qua exorsi sumus, videmur nobis satis recte expediisse neque ei quicquam putamus impedimenti ex ordine sententiarum oriri. Principium enim ῥήσεως cum ita decurrat (volumus enim haec qui legant ipsos iudicare)

εἶεν· τίς ἱερεύς, τίς σφαγεὺς τῶν δυσπότμων,
ἢ τῆς ταλαίνης τῆς ἐμῆς ψυχῆς φονεύς;
ἕτοιμ' ἄγειν τὰ θύματ' εἰς Ἅιδου τάδε.
ὦ τέκν', ἀγόμεθα ζεῦγος οὐ καλὸν νεκρῶν,
455 ὁμοῦ γέροντες καὶ νέοι καὶ μητέρες.
ὦ μοῖρα δυστάλαιν' ἐμή τε καὶ τέκνων
τῶνδ', οὓς πανύστατ' ὄμμασιν προσδέρκομαι.
ἔτεκον μὲν ὑμᾶς, πολεμίοις δ' ἐθρεψάμην
ὕβρισμα κἀπίχαρμα καὶ διαφθοράν,

apparet has tres esse sententias quae non suapte sponte manant et tamquam continuae una serie se excipiunt sed fluctuante loquentis animo, cum identidem denuo orditur, ex intimo pectoris motu promuntur. Quo magis infelicissimae matri demus hoc quoque, ut filios suos mactare hoc esse matris vitam interimere dolore oppressa fateatur.

Ultimi vero versus eiusdem ῥήσεως, de qua dicimus, quibus Megara, postquam omnia irrita facta quae bona speraverat lamentata est, ad extremum praeter exspectationem Herculem quem se mortuum credere asseveravit ante (296 sq.) impensa prece invocat, ut ex inferis ad se suosque servandos acceleret, varie illi quidem temptati sunt a doctis sed scripti in libro sunt in hunc modum.

490 ὦ φίλτατ', εἴ τις φθόγγον εἰσακούσεται
θνητῶν παρ' Ἅιδῃ, σοὶ τάδ', Ἡράκλεις, λέγω·
θνήσκει πατήρ σὸς καὶ τέκν', ὄλλυμαι δ' ἐγώ,
ἣ πρὶν μακαρία διὰ σ' ἐκληζόμην βροτοῖς.
494 ἄρηξον ἐλθὲ καὶ σκιὰ φάνηθί μοι·
— ἅλις γὰρ ἐλθὼν ἱκανὸν ἂν γένοιο σύ·
— κακοὶ γὰρ εἰς σέ γ' οἳ τέκνα κτείνουσι σά.

In his quae dicit εἴ τις φθόγγον εἰσακούσεται θνητῶν si vera sunt, non possunt nisi hoc modo intelligi εἴ τις παρ' Ἅιδῃ εἰσακούσεται θνητῶν φθόγγον, sed sintne vera an quod plerisque visum est depravata, qui fere Nauckii commento usi scribunt εἴ τις φθόγγος εἰσακούεται, certo diiudicare non audemus. Sed de tri-

bus ultimis versibus dicendum est*). Quorum in primo qui sunt tres imperativi *ἄρηξον ἐλθὲ καὶ σκιὰ φάνηθι*, critici varie copulari voluerunt, *ἄρηξον, ἐλθὲ καὶ σκιά, φάνηθι*, vel *ἄρηξον, ἐλθὲ καὶ σκιὰ φάνηθι*, neutrum probabiliter, ac vim verborum qui accuratius examinaverit, non dubitabit, quin haec tria sint *κομμάτια, ἀσυνδέτως* composita, et *καὶ* particula non coniungendi officio fungatur sed vim diminuendi habeat (*auch nur*) qua id extollitur quod tamquam minimum ponitur. Megara autem quamquam Herculem mortuum ante pro certo posuit, nunc invocat ut vivum sed sibi satis fore subindicat si vel umbra redierit ex inferis. Neque est quod de invocatione mortuorum cogitetur cum Wilamowitzio, quia haec tria sint, quae ne sunt quidem tria proprie ut ipse memoravit, cum illa duo *ἄρηξον, ἐλθὲ* in unum coalescant, velut Electra Sophoclea dicit 115 *ἔλθετ', ἀρήξατε, τίσασθε πατρὸς φόνον*, ubi Nauckius *ἔλθετ' ἀρωγοί* scribi voluit, inutiliter sed ad sententiam recte (cf. Rhes. 370). In duobus reliquis quia in altero utro aut in utroque aliquid incommodi haeret, fuerunt, quicumque primum, qui hos duos, Euripideae orationi male assutos, auferri iuberent. Quibus sublatis haec restant (talia enim uti saepe dicimus oculis subiicienda sunt, ut qualia sint quae criticorum arbitratu efficiantur libero sensu aestimari possit)

ὦ φίλτατ', εἴ τις φθόγγον εἰσακούσεται
θνητῶν παρ' Ἅιδῃ, σοὶ τάδ', Ἡράκλεις, λέγω·
θνῄσκει πατὴρ σὸς καὶ τέκν', ὄλλυμαι δ' ἐγώ,
ἣ πρὶν μακαρία διὰ σ' ἐκλῃζόμην βροτοῖς.
ἄρηξον, ἐλθέ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι.

Non dicimus mutilam esse horum orationem aut sententiam, quae sanae menti tribui non possit, sed hoc *μείουρον* genus orationis affirmamus a vera Euripidis consuetudine abhorrere, qui, quod multis exemplis docetur, extremas *ῥήσεις* non tam praecisas desinere quam quodam nativo cursu evolvi maluit. Itaque duos istos versus quos illi demunt excutimus ipsos, ut quid veri in iis, quid falsi sit aut quo modo ad veram formam revocari possint cognoscamus. Ut structurae satis fieret in priore, Reiskius *ἄλκαρ γὰρ ἐλθὼν ἱκανὸν ἂν γένοιο σύ* restituendum coniecit coniectura speciosa, quae adhuc claris editoribus, Hartungo, Nauckio probatur. Sed in hac oratione *ἐλθὼν* tam non requiritur ut paene mole-

*1) [De his versibus iterum agitur in prooem. bib. a. 1897/98.]

stum videatur adiectum, qui vero ἄλις, ἄλις γάρ, ἄλις δέ quam frequens sit in usu Euripideo circumspexerit, in hac sententia non dubitabit quin, si quid aliud, hoc sit certissimum. Hoc igitur relinquentes alii ex ἱκανόν peti maluerunt, quod oratio reciperet, velut collega noster, Adolphus Kirchhoffius, hos duos versus antiquitus hanc fere speciem habuisse suspicatus est olim

ἄρηξον [ἐλθὲ καὶ σκιὰ] φάνηθί μοι·
ἄλις γ' ἂν ἐλθὼν καὶ σκιὰ γένοιο σύ,

corruptelae genere usus quod vel in hac fabula quaedam habet exempla, velut 1303 sq.

χορευέτω δὴ Ζηνὸς ἡ κλεινὴ δάμαρ
κρούουσ' Ὀλύμπου [Ζηνὸς] ἀρβύλῃ πέδον,

1101 sq. οὔ που κατῆλθον αὖθις εἰς Ἅιδου πάλιν
Εὐρυσθέως δίαυλον [εἰς Ἅιδου] μολών,

cf. 845 sq., nisi quod nunc quam iniit paulo artificiosior est corrigendi ratio nec satis probabilis ob eam causam quia priorem versum ex integro mancum efficit, ut habeat quo alterum emendet. Quare eandem ceteroquin viam secutus Wilamowitzius priorem versum non mutavit, ex solo ἱκανόν extundendum ratus quod sententiam expleret: similem igitur illi orationem effecit scribendo

ἄρηξον, ἐλθὲ καὶ σκιά, φάνηθί μοι·
ἄλις γὰρ ἐλθὼν κἂν ὄναρ γένοιο σύ,

quod in Analectis Euripideis (a. 1875) p. 234 propositum tenuit deinceps in utraque quam paravit et ornavit editione Herculis; et splendidam emendandi facilitatem valde laudamus, nec Wecklinum intelligimus, in summa rei adsentiens cur huic illud ἐλθὼν κὤναρ ἂν γ. praeferendum duxerit. Wilamowitzius autem a se scriptum κἂν ὄναρ non leviter sustentari arbitrabatur iis quae Amphitryo, quem voluit, illius sententiae memor diceret v. 517 εἰ μή γ' ὄνειρον ἐν φάει τι λεύσσομεν. Nos utrumque addubitamus et haec Amphitryonem esse qui dicat, et si sit, inde aliquid redundare quo ad stabiliendam illius versus formam utare. Etenim ut hoc in transcursu agamus, quos versus Wilamowitzius Kirchhoffio auctore, qui tamen ipse postea de sua opinione descivit, sine codicis indicio inter Megaram et Amphitryonem distribuit 516—519

M. ὦ πρέσβυ, λεύσσω τἀμὰ φίλτατ', ἢ τί φῶ;
A. οὐκ οἶδα, θύγατερ· ἀφασία δὲ κἄμ' ἔχει.
516 *M.* ὅδ' ἐστὶν ὃν γῆς νέρθεν εἰσηκούομεν.

Α. εἰ μή γ' ὄνειρον ἐν φάει τι λεύσσομεν.
Μ. τί φημί; ποῖ' ὄνειρα κηραίνουσ' ὁρῶ;
οὐκ ἔσθ' ὅδ' ἄλλος ἀντὶ σοῦ παιδός, γέρον,

eos olim cunctos uni Megarae adscripserunt. Et nobis quidem ipso quo utitur Wilamowitzius exemplo Vergiliano *cernimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt* probari videtur illa *ὅδ' ἐστὶν ὃν γῆς νέρθεν εἰσηκούομεν εἰ μή γ' ὄνειρον ἐν φάει τι λεύσσομεν* unius loquentis esse; si vero Amphitryo haec *εἰ μή γ' ὄνειρον . . λεύσσομεν* interposuerat, ad ea Megarae verba *ποῖ' ὄνειρα κηραίνουσ' ὁρῶ* vix satis apte accommodari posse. Sed sive Amphitryo haec quae sunt in v. 517 sive verius Megara dicit, oratio ipsa adeo clara est et ad rem apposita, vix ut aliunde lucem exspectet. Itaque *κἂν ὄναρ* v. 495 missis alienis adminiculis suis rationibus necesse est probetur aut si id fieri non possit repudietur. Atqui licet nihil vituperandum sit in hac oratione *ἄλις γὰρ ἐλθὼν κἂν ὄναρ γένοιο σύ*, tamen hic versus priori adnexus *ἄρηξον, ἐλθέ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι* incipit displicere: quippe bis idem in ambobus versibus quamquam cum varietate dicitur: unde fit ut alterius oratio proba per se praemisso priore inutiliter onerari videatur et ipsa varietate quaesita sensum offendat*). Quam ob rem nobis non fit credibile, quamvis ingeniosi critici inventum pungat animum, ista scriptura veram poetae manum esse recuperatam. Simplicitate sua excellit quod Godofredus Hermannus instituit, qui structuram adiuvans *ἱκανὸν* mutavit in *ἱκανὸς* et hunc versum edidit *ἄλις γὰρ ἐλθὼν ἱκανὸς ἂν γένοιο σύ*, cuius sententiam ita interpretatur 'satis erit etiamsi nihil aliud quam veneris.' Probamus hanc rationem, quamquam in ea sententia desideratur aliquid quod referas ad id quod supra tertio loco tamquam gravissimum positum erat, *καὶ σκιὰ φάνηθί μοι*. Praeterea fallimur aut *ἄλις* non satis apte et praeter sermonis morem ad *ἱκανὸς* adiicitur, quod per se solum sententiae satisfaciebat. Haec dum cogitamus, in eam opinionem incidimus ut hanc non unam sed duas esse sententias opinaremur; quibus sic ut par erat distinctis, utraque quam diximus offensio auferri videatur.

---

*19) Cumulantur talia velut in designanda extrema imbecillitate Phoeniss. v. 1543 *πολιὸν αἰθέρος ἀφανὲς εἴδωλον ἢ νέκυν ἔνερθεν ἢ πτανὸν ὄνειρον* (cf. 1722); sed *σκιὰν* de Hercule quia proprie accipiendam ducimus (*ταὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν*), *ὄναρ* alienum videtur, neque nos in nostra causa adiuvat quod *σκιᾶς ὄναρ* dixerunt veteres.

ἄρηξον, ἐλθέ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι.
ἅλις γάρ· ἐλθὼν ἱκανὸς ἂν γένοιο σύ·
κακοὶ γὰρ εἰς σέ γ' οἳ τέκνα κτείνουσι σά.

Quae sic intelligimus *ἅλις γὰρ καὶ σκιὰ φανείς* vel *ἅλις γὰρ καὶ σκιάν σε φανῆναι**). Altera autem pars versus habet eam quam Hermannus totius esse voluit sententiam, in qua cum vi positum *ἐλθών* (quasi dixerit *μόνον ἐλθών*) qui recte ceperit intelliget, quid haec sententia ab altera distet et quam recte ei tamquam generalior sine coniunctione addi potuerit: neque enim haec distinguendo magis quam sententia separari volumus et hanc bipertitam esse orationem putamus ultro agnosci. Quodsi ita est, ne tertium quidem versum apparet abesse posse; qui ut perficit sententiam, ita videmus hanc invocationem Herculis in duas partes distribui aptissime. Ut ita dicat Megara *ἄρηξον, ἐλθέ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι· ἅλις γάρ* et ex altera parte *ἐλθὼν ἱκανὸς ἂν γένοιο σύ· κακοὶ γὰρ εἰς σέ γ' οἳ τέκνα κτείνουσι σά*: 'opitulare, veni, vel umbra appare mihi; satis enim.' et 'quocumque modo veniens par fueris, ignavi enim te aspecto qui liberos tuos interficiunt.'

Sed his complexi sumus de quibus singillatim disserendum est. Ac primum quia fuit, qui probabile esse negaret *ἱκανὸν* in
11 *ἱκανός* mutari, haec dicta sunto: *ἐλθὼν ἱκανὸν γένοιο σύ* recte dici ad eum modum quo *σφαλερὸν ἡγεμὼν θρασύς* (Suppl. 508), *ἐλπὶς βροτοῖς κάκιστον* (ibid. 479), *τερπνὸν τράπεζα πλήρης* (Hippol. 109) credibile non est, sed *ἱκανὸς* in *ἱκανὸν* eo praesertim loco non difficilius abire potuit quam vel *λαμπρός* in *λαμπρόν* abiit Suppl. 440 *καὶ ταῦθ' ὁ χρῄζων λαμπρός ἐστιν* (libri *λαμπρόν*), in iisdemque terminationibus notum est saepe fluctuare testimonia scripturae velut Suppl. 914 et Orest. 1300, ut utrum sententiae ratio poscat sine haesitatione restitui possit. De asyndeto autem quod volumus esse in eodem versu, cum multa afferri possint, satis sit duo ex hac ipsa fabula promi exempla: 617 *οὐκ οἶδεν· ἐλθὼν τἀνθάδ' εἰδείην πάρος* sive quod Wilamowitzius scripsit probabiliter *οὐκ οἶδεν· ἦλθον τἀνθάδ' εἰδέναι πάρος*, et 1414 *ἄγαν γ'· ὁ κλεινὸς Ἡρακλῆς ποῦ κεῖνος ὤν* ab eodem Wilamowitzio pulchre restitutum in hunc modum *ἄγαν γ'· ὁ κλεινὸς Ἡρακλῆς οὐκ εἶ νοσῶν.* Quae exempla apertum est quid similitudinis inter se et cum nostro habeant et quam facile his tribus

*5) Heraclid. 576 *δίδασκέ μοι τοιούσδε τούσδε παῖδας εἰς τὸ πᾶν σοφοὺς ὥσπερ σύ, μηδὲν μᾶλλον· ἀρκέσουσι γάρ.*

addi coniunctio potuerit. In versu tertio *εἰς σέ γε*, de quo olim variabant iudicia doctorum (Anal. Eurip. 234), si vere traditum est, quod iam Wilamowitzii silentio credi oportet, non destituemus nec accedemus iis qui *εἰσιν* edere maluerunt, si quidem illud habet quod optime ad hanc sententiam facere videatur. Etenim *εἰς* praepositio nunc non ita posita est ut *κακίστην εἰς παῖδ' ἐμόν* (223), vel *εἰς φίλους ἔφυς κακός* (Orest. 424), vel *Μενέλεως κάκιστος ἐς ἐμέ* (ibid. 736), neque in vim comparationis accipitur, sed usu noto (de quo Wilamowitzius ad v. 63 et 171 adnotavit) 'quod attinet' vel 'de quo agitur' indicat. Ut haec sit sententia 'de te quidem si agitur (*im Hinblick auf*) ignavi sunt.' Neque *γε* particula non affert quod utile sit: sic enim Hercules in quo illi ignavi sunt opponi videtur liberis eius in quibus fortitudinem prae se ferunt ut occidere audeant. Sed hunc versum Wilamowitzius, ut alii ante eum, delendum censuit; et concedi oportet, in ea forma quam ipse superiori versui dedit, hunc non requiri, in nostra, uti diximus, abesse non potuit. Quod vero hunc versum ineptum esse dicit, quia Lycus non solum cum Hercule comparatus sed suapte natura *κακός* fuerit et si Hercules *καὶ σκιὰ φανείς* saluti esse possit, id in ipsius magnitudine, non in inimicorum ignavia positum sit, hoc respondemus, Megaram, quamquam Herculem etiam umbrae instar revertentem satis salutis allaturum confidit, tamen, quidquid ante locuta est moriendi certa, minime iam spem abiecisse fore ut vivus redeat ex inferis; redeuntem autem quocumque modo Herculem quod parem fore dicit inimicis quippe inbellibus, non cum dedecore Herculis dici, non magis quam quod Amphitryo reducem filium commonefacit (586 sqq.) ne imprudens in inimicorum plagas incurrat; de quo Megara fere sentire videtur, quod milites Salaminii in Aiace de duce suo cum ita dicunt

χἠμεῖς οὐδὲν σθένομεν πρὸς ταῦτ'
ἀπαλέξασθαι σοῦ χωρίς, ἄναξ.
ἀλλ' ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ' ἀπέδραν,
παταγοῦσιν ἅτε πτηνῶν ἀγέλαι·
μέγαν αἰγυπιὸν δ' ὑποδείσαντες
τάχ' ἂν ἐξαίφνης, εἰ σὺ φανείης,
σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι.

Lycum autem intelligimus non tam comparari cum Hercule quam 12
describi qualis adversus Herculem reducem sit futurus et qualem

nunc se gerat erga filios patre orbatos: in qua re Lycus depingitur prope ut Eurystheus in Heraclid.

816 *ἦν κάκιστος· εἶτα τοιοῦτος γεγὼς*
τοὺς Ἡρακλείους ἦλθε δουλώσων γόνους.

De quo Iolaus quoque (ibid. 744) non ineptius, opinamur, quam Megara de Hercule, loquitur, cum dicat *οἷος ἂν τροπὴν Εὐρυσθέως θείμην· ἐπεί τοι καὶ κακὸς μένειν δόρυ.* Quare cum ita sentiamus in Megarae precibus nihil esse quod vel ipsam vel poetam dedeceat, tum illud inprimis scite institutum existimamus, quod cum imploratio eius ordiatur ab his

σοὶ τάδ', Ἡράκλεις, λέγω·
θνήσκει πατὴρ σὸς καὶ τέκν', ὄλλυμαι δ' ἐγώ,

redeat in fine ad id quod summum erat, *οἳ τέκνα κτείνουσι σά,* admonens in quanto discrimine filiorum sors haereat.

Sed Wilamowitzius in hoc exemplo additicii versus eandem interpolatoris manum prodi putavit quae aliis huius tragoediae locis prava sedulitate Euripidis versus augendo deformarit. De quibus versibus fortasse non inutile erit superioris disputationis causa in transcursu quaerere quid probabile sit. Primum igitur dicendum est de v. 1108, qui Herculis *ῥῆσιν* claudit, qua is modo excitus e somno circumspiciens se nihil eorum quae circa sunt agnoscere secum cogitat, denique in haec verba erumpit:

1105 *ἔκ τοι πέπληγμαι· ποῦ ποτ' ὢν ἀμηχανῶ;*
ὠή, τίς ἐγγὺς ἢ πρόσω φίλων ἐμῶν,
δύσγνοιαν ὅστις τὴν ἐμὴν ἰάσεται;
— *σαφῶς γὰρ οὐδὲν οἶδα τῶν εἰωθότων.*

Horum igitur versuum extremum Wilamowitzius in eadem officina cum v. 496, de quo supra disseruimus, paratum confirmandi consilio inutiliter ad integram orationem adiectum statuit sic ratiocinatus (Anal. Eurip. 207) absurdum esse ab Hercule dici 'nihil soliti scio', quod vero desideraretur 'nihil soliti agnosco' in illa oratione inesse non posse. Largimur potuisse versum abesse. Quidni? qui nihil proprii habet nisi quod priorem sententiam explicat et confirmat. Quamquam talia addi, ne id quidem a consuetudine poetarum alienum est, et si quid eius modi hic illic vere ab interpolatoribus adiectum legitur, credibile est eos ad poetarum usum se accommodasse. Sed controversia de versu nostro redit ad explorandam vim et sententiam verbi *οἶδα*, quod si habeat eam quam ille negat agnoscendi cognoscendi significa-

tionem, non sit quod probam sententiam expungamus. Atqui
Wilamowitzius ipse quod ab *οἶδα* procul habet in modorum for-
mis cum illo coniunctis agnoscit: velut in v. 617 quem supra te-
tigimus, *ἐλθὼν τἀνθάδ' εἰδείην πάρος*, in quo *εἰδείην* Hermannus
'cognoverim' interpretatur, Wilamowitzius *ἦλθον . . εἰδέναι* repo-
suit, et hoc et illud non sciendi, sed agnoscendi, aspiciendi vim
habere manifestum est: quod quo iure fieri potuerit, compluribus
exemplis approbat; idem ad v. 1196 *οὐκ ἂν εἰδείης ἕτερον πολυ-* 13
μοχθότερον, ubi fuerunt qui *ἴδοις* scribi mallent, ascito Suppli-
cum versu 622 *εἰδείης ἂν φίλων εἰδείης ἂν τύχας* affirmat utro-
que loco *εἰδείης* ab *ἴδοις* diversum non esse. Possumus alia
addere velut Phoen. 1328 *οὐκ εἰς τόδ' ἦλθον ὥστε καὶ τάδ' εἰδέ-
ναι*; ibid. 1358; Orest. 259 *ὁρᾷς γὰρ οὐδὲν ὧν δοκεῖς σάφ' εἰδέ-
ναι*, ubi *ἰδεῖν* vel *εἰσιδεῖν*, concinnitate ipsa suadente, exspectave-
ris; sed credendum est *εἰδέναι* id significasse quod sententia po-
scebat; Rhes. 658 *χὡ μὲν οὐκ εἰδὼς λέγει, ὁ δ' εἰσιδὼν μολόντας
οὐκ ἔχει φράσαι* pro *εἰδὼς* eadem ratione ducti *ἰδὼν* restitui vo-
luerunt; nos illud in eundem sensum interpretabimur; Suppl. 396
λόγων τις ἐμποδὼν ὅδ' ἔρχεται (*Καδμεῖος, ὡς ἔοικεν οὐ σάφ'
εἰδότι*) *κῆρυξ* h. e. 'ut videtur ei qui non perspicue cognovit,' si
quidem haec ita recte scripta sunt ut plerisque, Wilamowitzio
quoque, visum est. Nec illud negligimus quod Immanuel Bekke-
rus scribit in schedis Homericis II p. 1 sq. apud veteres *εἴσομαι,
εἴσεαι* non solum 'sciam' sed etiam 'videbo' valuisse. Haec dum
reputamus, quamquam non nescimus inter *οἶδα* et modorum for-
mas quid intersit, tamen haud improbabile esse ducimus, ab illo
non alienum fuisse quod in his non potest non agnosci: in qua
re hoc tenendum est in his verbi formis quod sciendi, cognoscendi,
comperiendi significationes discernimus, has differentias magis ad
nostrum morem dicendi relatas sentiri quam quod Graecis haec
differre visa sint. Sed in Phoenissis 141 cum Antigonae inter-
roganti *σὺ δ', ὦ γέρον, πῶς αἰσθάνει σαφῶς τάδε*; paedagogus
respondeat *σημεῖ' ἰδὼν τότ' ἀσπίδων ἐγνώρισα, ἃ προσδεδορκὼς
οἶδα τοὺς ὡπλισμένους*, non inepte dicas *οἶδα* esse 'agnosco,' scilicet
ex indiciis antea conspectis. Et in Electra a v. 765 cum haec legantur

ΗΛ. *τίς δ' εἶ σύ; πῶς μοι πιστὰ σημαίνεις τάδε;*
ΑΓΓ. *οὐκ οἶσθ' ἀδελφοῦ μ' εἰσορῶσα πρόσπολον;*
ΗΛ. *ὦ φίλτατ', ἔκ τοι δείματος δυσγνωσίαν
εἶχον προσώπου· νῦν δὲ γιγνώσκω σε δή,*

si quid ex responso colligere licet, *οἶσθα* quod est in interrogatione interpretere 'agnoscisne me aspiciens,' ut ibid. 283 *οὐ γνοίην ἂν εἰσιδοῦσά νιν*. Et quam Electra *δυσγνωσίαν* dicit, Hercules *δύσγνοιαν*, cognoscendi difficultatem notat quae utrobique ex eo oritur quod et hic et illa *οὐκ οἶδε* quae voluit. Haec quae selectis paucis exemplis disseruimus non confidimus iam satisfacere ad stabiliendam illam quam dicimus *οἶδα* verbi significationem versumque hoc nomine suspectum suspicione solvendum, sed tamen tantum fortasse videbuntur valere, ne imprudenter abiiciatur quod verum esse possit.

Versus alter, quem Wilamowitzius ab eadem manu Euripideae orationi assutum esse statuit, est 1162. Hercules compertis quae insania correptus egerit, cum secum consilia mortis agitat, in his cogitationibus Thesei adventu turbatur atque impeditur.

ἀλλ' ἐμποδών μοι θανασίμων βουλευμάτων
Θησεὺς ὅδ' ἕρπει συγγενὴς φίλος τ' ἐμός.
ὀφθησόμεσθα, καὶ τεκνοκτόνον μύσος
εἰς ὄμμαθ' ἥξει φιλτάτῳ ξένων ἐμῶν.
οἴμοι, τί δράσω; ποῦ κακῶν ἐρημίαν
14 *εὕρω πτερωτὸς ἢ κατὰ χθονὸς μολών;*
φέρ' ἄν τι . . . κρατὶ περιβάλω σκότος.
αἰσχύνομαι γὰρ τοῖς δεδραμένοις κακοῖς
καὶ τῷδε προστρόπαιον αἷμα προσλαβὼν
— *οὐδὲν κακῶσαι τοὺς ἀναιτίους θέλω.*

Omittimus alia in his de quibus haud inutiliter disputari possit: de extremo versu dicemus, quo sublato Wilamowitzius duobus qui praecedunt hanc formam induit

αἰσχύνομαι γὰρ τοῖς δεδραμένοις κακοῖς
καὶ τῷδε προστρόπαιον αἷμα προσβαλῶν.

Sic enim disputat, *αἰσχύνην* qua se velare cupit Hercules eo contineri quod, quia non prius mortem obierit, etiam huic amico et cognato non possit non piaculum a sua caede infligere. Sed in ea re discedimus a doctissimi viri sententia: duas enim causas agnoscere videmur quibus visum Thesei devitans caput pallio obvelare festinat Hercules; quarum prior est quia se videri non vult nefasta caede perpetrata, altera quia veretur ne aspectu suo contagionis damnum amico allaturus sit. Illa aperta est iis quae dicit *ὀφθησόμεσθα, καὶ τεκνοκτόνον μύσος εἰς ὄμμαθ' ἥξει φιλτάτῳ ξένων ἐμῶν*, eaque pars orationis concludi recte sic ut nihil

desideraretur in hunc modum potuit *κρατὶ περιβάλω σκότος· αἰσχύνομαι γὰρ τοῖς δεδραμένοις κακοῖς.* Eoque nomine cum his conspirant ea quae dicit Orestes (in cognomine fabula 459)

ἀπωλόμην, Μενέλαε· Τυνδάρεως ὅδε
460 *στείχει πρὸς ἡμᾶς, οὗ μάλιστ' αἰδώς μ' ἔχει*
εἰς ὄμματ' ἐλθεῖν τοῖσιν ἐξειργασμένοις
467 *τίνα σκότον*
λάβω προσώπῳ; ποῖον ἐπίπροσθεν νέφος
θῶμαι, γέροντος ὀμμάτων φεύγων κόρας;

Eademque mente ait Hecuba cum Polymestoris aspectum refugit (Hec. 968)

αἰσχύνομαί σε προσβλέπειν ἐναντίον,
Πολυμῆστορ, ἐν τοιοῖσδε κειμένη κακοῖς.
ὅτῳ γὰρ ὤφθην εὐτυχοῦσ', αἰδώς μ' ἔχει
ἐν τῷδε πότμῳ τυγχάνουσ' ἵν' εἰμὶ νῦν
κοὐκ ἂν δυναίμην προσβλέπειν ὀρθαῖς κόραις.

Fuisse autem alteram causam qua se Hercules aspici a Theseo noluerit, ex iis cognoscitur quae quaerenti Theseo 1198 *τί γὰρ πέπλοισιν ἄθλιον κρύπτει κάρα;* Amphitryo respondet 1199 *αἰδόμενος τὸ σὸν ὄμμα καὶ φιλίαν ὁμόφυλον αἷμά τε παιδοφόνον*, magis etiam iis quae Theseus dicit Herculem recusantem admonens ut velamenta reiiciat et amico vultum apertum ostendat 1218

τί μοι προσείων χεῖρα σημαίνεις φόβον;
ὡς μὴ μύσος με σῶν βάλῃ προσφθεγμάτων;
1220 *οὐδὲν μέλει μοι σύν γε σοὶ πράσσειν κακῶς,*

et hoc eorundem sermone qui deinceps sequitur

1231 *ΗΡ. τί δῆτά μου κρᾶτ' ἀνεκάλυψας ἡλίῳ;* 15
ΘΗ. τί δ'; οὐ μιαίνεις θνητὸς ὢν τὰ τῶν θεῶν.
ΗΡ. φεῦγ', ὦ ταλαίπωρ', ἀνόσιον μίασμ' ἐμόν.
ΘΗ. οὐδεὶς ἀλάστωρ τοῖς φίλοις ἐκ τῶν φίλων,

denique his versibus 1399 sq.

ΗΡ. ἀλλ' αἷμα μὴ σοῖς ἐξομόρξωμαι πέπλοις.
ΘΗ. ἔκμασσε, φείδου μηδέν· οὐκ ἀναίνομαι.

Quare mirandum non est, hanc quoque causam qua se Hercules pallio obtegat afferri verbis

καὶ . . προστρόπαιον αἷμα προσλαβὼν
οὐδὲν κακῶσαι τοὺς ἀναιτίους θέλω.

In quibus Wilamowitzius et *τοὺς ἀναιτίους* et *κακῶσαι* vitupera-

vit graviter sed nisi fallimur iniuria: nam *ἀναιτίους* Thesea sane dicit Hercules, neminem praeterea, quia ad neminem praeterea ista formido contagionis pertinebat; id quod fabula ipsa docet (vide supra allata), neque in ea re inepte memineris eorum quae de Oedipo dicuntur in Oedipo R. 1429

ὡς τάχιστ' εἰς οἶκον ἐσκομίζετε·
τοῖς ἐν γένει γὰρ τἀγγενῆ μάλισθ' ὁρᾶν
μόνοις τ' ἀκούειν εὐσεβῶς ἔχει κακά,

et quod universe loquitur *τοὺς ἀναιτίους* appellans cum unum cogitat, neque insolens est (266; 277; 567) neque hoc sententiarum tenore obscurum esse potuit; *κακῶσαι* autem quid sit, si cui nimis indefinite dici videatur, praemissa verba *προστρόπαιον αἷμα προσλ.* quae cum illis unam sententiam efficiunt abunde declarant. In his autem ipsis, quibus se *ἐναγῆ* esse ex filiorum caede Hercules fatetur, quid esse credimus quod iure reprehendatur: dici quidem poterat *προστρόπαιος ὤν* (ut 1259) vel *προστρόπαιον αἷμα ἔχων* (velut 1076 *αἷμα σύγγονον ἕξει*, cf. 1284), sed non minus recte, opinamur, illud quod positum legimus, quo ad commiserandam caedem factam hoc accessisse dicitur ut qui fecerit *προστρόπαιος* exstiterit. Itaque in his verbis nihil esse arbitramur depravati nisi unum *τῷδε*, quod non habet quo niti possit: reposito de Kirchhoffii opinatione *τῶνδε*, quod ab illo quam nullo discrimine distet apparet, integram habebis sententiam

καὶ τῶνδε προστρόπαιον αἷμα προσλαβὼν
οὐδὲν κακῶσαι τοὺς ἀναιτίους θέλω,

quam ad hunc fere modum interpretari licet, *καὶ τούσδε κτανὼν προστρόπαιος ὢν οὐδὲν κακῶσαι τοὺς ἀναιτίους θέλω.* Atqui quia *τῷδε* incerta structura pendebat, hoc ut stabiliretur, postquam Canterus *προσβαλὼν* scribendum proposuit pro *προσλαβών*, scita coniectura plerisque probata, turbae coortae sunt neque compositae. Atque Hermannus *τῷδε προσβαλών* de se dicere Herculem opinatus, rationem secutus est hoc quidem loco minime probabilem; ceteri *τῷδε* in hac oratione non posse nisi ad Thesea referri intelligentes, ab hoc principio mutando delendo transponendo ex
16 difficultatibus quas ipsi crearant expedire se conati sunt frustra, si quidem multis machinis non assecuti sunt in quo veram poetae orationem agnoscas. Neque hoc Wilamowitzii emendatione, ex qua profecti sumus, quamvis ingeniosa sit, effectum videtur; qui

dempto versu tertio *οὐδὲν κακῶσαι τοὺς ἀναιτίους θέλω* quam ex duobus quos reliquit sententiam formavit

αἰσχύνομαι γὰρ τοῖς δεδραμένοις κακοῖς
καὶ τῷδε προστρόπαιον αἷμα προσβαλῶν,

ea, nisi quid nos fallit, inutiliter cumulata est: quippe sensui satisfieri vel hoc modo potuit, *αἰσχύνομαι γὰρ τῷδε προστρόπαιον αἷμα προσβαλῶν*. Illa vero ita comparata sunt, ut vix fieri posse videatur, quin qui legat subsistat in his *αἰσχύνομαι γὰρ τοῖς δεδραμένοις κακοῖς*, quae plenam sententiam efficiant, et a *καὶ* particula novam orationem incipere statuat.

2. Multae sunt virtutes quibus hanc tragoediam insignem esse Wilamowitzius egregie docuit, sed non leviter movent nativi cuiusdam leporis indicia non pauca, in liberis Herculis ad puerorum naturam depingendis inprimis conspicua. Quod genus quae Megara narrat de pueris cum desiderio patrem exspectantibus (73—79)

οἳ δ' εἰς ἔλεγχον ἄλλος ἄλλοθεν πίτνων
'ὦ μῆτερ' αὐδᾷ 'ποῦ πατὴρ ἄπεστι γῆς;
τί δρᾷ, πόθ' ἥξει;' τῷ νέῳ δ' ἐσφαλμένοι
ζητοῦσι τὸν τεκόντ'· ἐγὼ δὲ διαφέρω
λόγοισι μυθεύουσα. θαυμάζων δ' ὅταν
πύλαι ψοφῶσι, πᾶς ἀνίστησιν πόδα,
ὡς πρὸς πατρῷον προσπεσούμενοι γόνυ

aut quae eadem Megara in ea *ῥήσει*, ex qua supra versus nonnullos delibavimus, spes suas de puerorum prosperitate olim conceptas iam irritas factas deplorans exponit

*ἦ πολύ γε δόξης ἐξέπεσον εὐέλπιδος**),
ἣν πατρὸς ὑμῶν ἐκ λόγων ποτ' ἤλπισα.
σοὶ μὲν γὰρ Ἄργος ἔνεμ' ὁ κατθανὼν πατήρ,
Εὐρυσθέως δ' ἔμελλες οἰκήσειν δόμους
τῆς καλλικάρπου κράτος ἔχων Πελασγίας,
στολήν τε θηρὸς ἀμφέβαλλε σῷ κάρᾳ
λέοντος, ᾗπερ αὐτὸς ἐξωπλίζετο·
σὺ δ' ἦσθα Θηβῶν τῶν φιλαρμάτων ἄναξ,
ἔγκληρα πεδία τἀμὰ γῆς κεκτημένος,
ὡς ἐξέπειθες τὸν κατασπείραντά σε,
ἐς δεξιάν τε σὴν ἀλεξητήριον

---

*27) [Hunc versum vide pertractatum in prooem. hib. a. 1897/98.]

ξύλον καθίει δαίδαλον, ψευδῆ δόσιν.
σοὶ δ' ἣν ἔπερσε τοῖς ἑκηβόλοις ποτὲ
τόξοισι δώσειν Οἰχαλίαν ὑπέσχετο

17 in quibus explicandis olim Hauptius elaboravit disputatione bonae frugis plena a. 1864 edita, repetita in opusculorum volumine secundo. Haec vero Euripidis quis qui cum cura attenderit non reminiscetur poetarum Alexandrinorum, Theocriti, Callimachi, praeter ceteros, quorum magna pars est in hoc genere ut eorum proprium esse multis videatur. In nostra autem fabula non secus Hercules ipse ex Orco reversus cum liberis suis ludit amabiliter. Quem ubi adventantem Megara cum suis aspexit, pueros ilico iusserat

δεῦρ', ὦ τέκν', ἐκκρίμνασθε πατρῴων πέπλων,
ἴτ' ἐγκονεῖτε, μὴ μεθῆτ', ἐπεὶ Διὸς
Σωτῆρος ὑμῖν οὐδέν ἐσθ' ὅδ' ὕστερος

cui iussui si non statim, quod fieri non poterat, sed tamen obtemperasse eos credi oportet, quos paulo post videmus patris vestibus arreptis ei adhaerescentes stare. Quare Hercules a v. 622

ἀλλ' εἶ' ὁμαρτεῖτ', ὦ τέκν', ἐς δόμους πατρί·
καλλίονές τἄρ' εἴσοδοι τῶν ἐξόδων
πάρεισιν ὑμῖν. ἀλλὰ θάρσος ἴσχετε
καὶ νάματ' ὄσσων μηκέτ' ἐξανίετε·
σύ τ', ὦ γύναι μοι, σύλλογον ψυχῆς λαβὲ
τρόμου τε παῦσαι· καὶ μέθεσθ' ἐμῶν πέπλων·
οὐ γὰρ πτερωτὸς οὐδὲ φευξείω φίλους.
ἆ,
οἵδ' οὐκ ἀφιᾶσ' ἀλλ' ἀνάπτονται πέπλων
τοσῷδε μᾶλλον· ὧδ' ἔβητ' ἐπὶ ξυροῦ;
ἄξω λαβών γε τούσδ' ἐφολκίδας χεροῖν,
ναῦς δ' ὡς ἐφέλξω· καὶ γὰρ οὐκ ἀναίνομαι
θεράπευμα τέκνων. πάντα τἀνθρώπων ἴσα·
φιλοῦσι παῖδας οἵ τ' ἀμείνονες βροτῶν
οἵ τ' οὐδὲν ὄντες· χρήμασιν δὲ διάφοροι,
ἔχουσιν, οἱ δ' οὔ· πᾶν δὲ φιλότεκνον γένος.

Haec et sua venustate placent et in iis qui haec aspexerint non possunt non movere et augere ἔλεον καὶ φόβον tum cum pater hos pueros quibuscum nunc iocatur amantissime insania correptus properat pessumdatum. Sed de versu 633 ita egit Wilamowitzius, ut appareat neque haec quae vulgantur neque quae temptabat sed temptata

reliquit *τἀνθρώπεια* prorsus ei satisfecisse. Qui recte quidem incommodo istam orationem laborare sensit; verum ei licet fortasse ita occurrere, ut nulla littera mutata distinctione sententias regamus:

καὶ γὰρ οὐκ ἀναίνομαι.
θεράπευμα τέκνων πάντα τἀνθρώπων ἴσα.

Nam ad *ἀναίνομαι*, de quo verbo Wilamowitzius ad hunc versum disputat, non erat quod obiecti loco adderetur: quod verbum quo pertineret, ex superiore oratione sumi oportebat. Cum enim Her- 18
cules ante iussisset 627 *μέθεσθ' ἐμῶν πέπλων*, dein liberi eo firmius patrem complecterentur, se velle dixit eos manibus tamquam *ἐφολκίδας* trahere: quibus quod addit *καὶ γὰρ οὐκ ἀναίνομαι*, i. e. 'neque enim piget' scil. 'hoc facere,' hoc intelligit: 'nam non negavi ante quia pigeret.' Et hoc fere modo solet verbum *ἀναίνομαι*, significatione quidem varia, poni: velut 1228 *φέρει τὰ θεῶν γε πτώματ' οὐδ' ἀναίνεται*; 1235; 1400 *ἔκμασσε, φείδου μηδέν· οὐκ ἀναίνομαι.* Verbis autem *θεράπευμα τέκνων* ad insequentia relatis quae manca erat sententia absolvitur, *θεράπευμα τέκνων πάντα τἀνθρώπων ἴσα* h. e. 'in colendis liberis omnes homines pares sunt.' Sic enim *πάντα τἀνθρώπων* interpretamur, ut sit idem quod *πάντες οἱ ἄνθρωποι*: quo dicendi usu in Helena 276 dicitur *τὰ βαρβάρων γὰρ δοῦλα πάντα πλὴν ἑνός*; in Iphigenia Aulid. 33 *τὰ θεῶν οὕτω βουλόμεν' ἔσται*; Phoen. 958 *ψευδῆ . . λέγων ἀδικεῖ τὰ τῶν θεῶν* (cf. Herc. 1232), in quibus omnibus periphrasis quidem ipsa facile persentiscitur, ut tamen nihil dici appareat nisi homines, deos, barbaros*). Itaque his quattuor versibus iam ab antecedenti oratione seiunctis, qui sententiam universam illam quidem verum ex superioribus oriundam tenent, tamquam proprio quodam *κώλῳ* haec *ῥῆσις* concluditur, non ita raro exemplo apud Euripidem, qui saepe solet ad hunc modum *ῥήσεσιν* universam sententiam tamquam *κολοφῶνα* imponere. Sed qua imagine ab *ἐφολκίσιν* petita v. 631 utitur Hercules, eadem in extrema fabula recurrit cum ita dicit idem 1423

ἡμεῖς δ' ἀναλώσαντες αἰσχύναις δόμον
Θησεῖ πανώλεις ἑψόμεσθ' ἐφολκίδες.

In qua re Wilamowitzius (p. 169 et 285) consilium poetae agnovisse sibi visus est, qui haec inter se comparari voluerit, Hercu-

---

*25) [Phoeniss. 402
ΙΟ. φίλοι δὲ πατρὸς καὶ ξένοι σ' οὐκ ὠφέλουν;
ΠΟ. εὖ πρᾶσσε· τὰ φίλων δ' οὐδέν, ἤν τις δυστυχῇ.]

lem ludendo liberos suos ut *ἐφολκίδας* secum trahentem, et Herculem nefanda clade confectum ipsum *ἐφολκίδος* instar ductum a Theseo. Haec ille et similia multa etsi scite et eleganter excogitavit et exornavit, tamen hoc quidem loco dubitamus de consilio, quia poeta nulla parte legentem aut audientem adiuvat ut illam mentem recte assequatur, figuratae autem orationis flosculos saepe nullo cum consilio plus semel legentibus apponit, velut *διαύλους* 662 et 1102; *πίτυλον* 816 et 1189; *ζεῦγος* 454 et 1403; *ὡρμισμένους* 203 et 1094; qui quidem saepe etiam sine tralatione ulla dictiones easdem bis positas non refugit, velut 20 *ἐξημερῶσαι γαῖαν* et 852 *χώραν καὶ θάλασσαν ἐξημερώσας*, in quibus Euripidem audientes altero loco alterius memores esse voluisse aegre nos Wilamowitzius adducit ut credamus, non magis quam inter haec *ἐς φάος μολών* 524 et *φάος μολὼν πατρί* 531 aliquid consultae concinnitatis intercedere. Itaque quod Hercules dicit 938 *ἐξὸν μιᾶς μοι χειρὸς εὖ θέσθαι τάδε* h. e. 'cum mihi liceat haec una opera componere' (quorum *εὖ θέσθαι* eodem versus loco 605 legebatur), ad ea alludi versu 1139 ubi Herculi de suis facinoribus quaerenti Amphitryo respondet *μιᾶς ἅπαντα χειρὸς ἔργα σῆς τάδε*, tametsi clarissimus interpres *ἀναισθησίαν* reprehendit eorum qui talia nihil sentientes praetereant, nobis non fit verisimile, quoniam *μιᾶς χειρὸς εὖ θέσθαι τάδε*, quae pulchre interpretatur, nihil co-
19 gitatae similitudinis habere videntur cum altero *μιᾶς ἅπαντα χειρὸς ἔργα*, quod cum v. 565 *τῆς ἐμῆς ἔργον χερός* conferri rectius possit. Sed illuc redimus. Venustam enim simplicitatem sentiendi quam diximus sed cum acerbitate mixtam agnoscimus etiam in extrema Herculis oratione qua salvere iubet patrem, valedicit filiis et coniugi sua manu occisis: ex qua vel illa huc referenda sunt quibus curam sepeliendi mortuos patri mandat v. 1360

δὸς τούσδε τύμβῳ καὶ περίστειλον νεκροὺς
δακρύοισι τιμῶν (ἐμὲ γὰρ οὐκ ἐᾷ νόμος)
πρὸς στέρν' ἐρείσας μητρὶ δούς τ' ἐς ἀγκάλας,
κοινωνίαν δύστηνον, ἣν ἐγὼ τάλας
διώλεσ' ἄκων,

quibus Wilamowitzius pulcherrima Goethiana de Fausto adscripsit; et haec de armis quae disputat, utrum relinquat an secum ducat v. 1376

ὦ λυγραὶ φιλημάτων
τέρψεις, λυγραὶ δὲ τῶνδ' ὅπλων κοινωνίαι.

ἀμηχανῶ γὰρ πότερ' ἔχω τάδ' ἢ μεθῶ,
ἅ πλευρὰ τἀμὰ προσπίτνοντ' ἐρεῖ τάδε
'ἡμῖν τέκν' εἷλες καὶ δάμαρθ'· ἡμᾶς ἔχεις
παιδοκτόνους σούς.' εἶτ' ἐγὼ τάδ' ὠλέναις
οἴσω; τί φάσκων; ἀλλὰ γυμνωθεὶς ὅπλων,
ξὺν οἷς τὰ κάλλιστ' ἐξέπραξ' ἐν Ἑλλάδι,
ἐχθροῖς ἐμαυτὸν ὑποβαλὼν αἰσχρῶς θάνω;
οὐ λειπτέον τάδ', ἀθλίως δὲ σῳστέον.

In his videmur aliquid addere posse ad ea, quibus Wilamowitzius haec verba explicuit; qui, quod Hercules arma sua *παιδοκτόνους* appellet, quasi caedem non voluntariam a se amoliri, in arma traiicere velit, hanc culpae notionem veteribus familiarem erudite explanat: quod tamen quo iure in hunc locum cadere credatur dubitatio est: nos certe movet magis orationis venustas, qua quod ipse non potest non cogitare conspectis armis 'his tu filios et coniugem mactasti' id ipsa arma sibi opprobrio vertentia facit *ἐρεῖ τάδε 'ἡμῖν τέκν' εἷλες.'* Atque id quoque veteribus non inauditum genus est, quo Theocritus usus scribit 1, 49 de altera vulpe *ἁ δ' ἐπὶ πήρᾳ πάντα δόλον κεύθοισα τὸ παιδίον οὐ πρὶν ἀνησεῖν φατὶ πρὶν ἢ ἀκράτιστον ἐπὶ ξηροῖσι καθίξῃ*; et Xenophanes *οἶνος δ' ἐστὶν ἕτοιμος, ὃς οὔποτέ φησι προδώσειν*; et Anthologiae versus *εἰ κόκκυξ τέττιγος ἐρεῖ λιγυρώτερος εἶναι*, quae ad versum Theocriteum Meinekius adscripsit; poterat etiam Propertii versus memorari II 32, 35 *nec minus in caelo semper honesta fuit (Venus) Quamvis Ida prius pastorem dicat amasse Atque inter pecudes accubuisse deam**). Ad hanc similitudinem illa Euripidea accedere videntur, quamquam politiora etiam et venustiora, quod armis ipsis quae dicunt verba attribuuntur.

3. In altera parte tragoediae, in qua *Λύσσα* regnat, controversia mota est de versibus quibus illa, posteaquam Irim et quae eam misit Iunonem a consiliis quae ceperant Herculem immani 20 clade perdendi dehortari frustra conata est, se paratam esse dicit exsequi quod illae iusserint.

εἶμί γ'· οὔτε πόντος οὔτω κύμασι στένων λάβροις
οὔτε γῆς σεισμὸς κεραυνοῦ τ' οἶστρος ὠδῖνας πνέων,

---

* *26) [Aeschylus Tantalum facit dicentem in Niobe (159 Nauck. II)
οὑμὸς δὲ πότμος οὐρανῷ κυρῶν ἄνω
ἔραζε πίπτει καί με προσφωνεῖ τάδε·
'γίγνωσκε τἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν.']

οἵ' ἐγὼ στάδια δραμοῦμαι στέρνον εἰς Ἡρακλέους
καὶ καταρρήξω μέλαθρα καὶ δόμους ἐπεμβαλῶ,
τέκν' ἀποκτείνασα πρῶτον· ὁ δὲ κανὼν οὐκ εἴσεται
παῖδας οὓς ἔτικτ' ἐναίρων πρὶν ἂν ἐμὰς λύσσας ἀφῇ.

In hac enim oratione versum 866 alienum esse additamentum Wilamowitzius multis collectis argumentis demonstrare studuit. Nos qui secus sentimus non exordiemur a temptando horum argumentorum pondere, sed his interim sepositis prius pensitabimus, quid ille versus sublatus efficiat, quidque afferat ad sententiam suo loco relictus. His enim rebus exploratis, quid de versus origine iudicandum sit, facile patefiet. Atque haec quae Wilamowitzius iudicat per se sola omisso versu insequenti poetae menti satisfacere, ὃ δὲ κανὼν οὐκ εἴσεται, quo consilio addita sint omnino, frustra quaerimus, 'ille vero nesciet se occidisse'. Quid enim hoc miri est in eo, quem furore correptum iri Λύσσα modo magna voce clamavit. Porro ὃ δὲ in illa sententia necessarium erat, participium ut verbo adhaeresceret; sed quia Λύσσα de se modo pronuntiavit quid actura esset, καταρρήξω μέλαθρα καὶ δόμους ἐπεμβαλῶ τέκν' ἀποκτείνασα πρῶτον, non absonum erat hanc orationem in hunc modum continuari ὁ δὲ κανών, ut is significaretur qui caedem patraturus esset, quam quidem Λύσσα tam recte sibi quippe auctori quam Herculi attribuere potuit, qui sua manu perficiet. Non dissimiliter Clytaemnestra Sophoclea caedem Agamemnoniam, quo iustam esse probaret, suam simul et Δίκης esse affirmavit (Electr. 528) ἡ γὰρ Δίκη νιν εἷλεν, οὐκ ἐγὼ μόνη, eandemque differentiam non sine acumine elatam habet Rhesus 938

καὶ τοῦδ', Ἀθάνα, παντὸς αἰτία μόρου,
οὐδὲν δ' Ὀδυσσεὺς οὐδ' ὁ Τυδέως τόκος
ἔδρασε δράσας· μὴ δόκει λεληθέναι.

Itaque hoc initium tantum sententiae, non integram esse orationem, arbitramur, ὁ δὲ κανὼν οὐκ εἴσεται. Quod ubi cum versu qui vulgo sequitur coniunctum unum enuntiatum effecerit ὁ δὲ κανὼν οὐκ εἴσεται παῖδας οὓς ἔτικτ' ἐναίρων πρὶν ἂν ἐμὰς λύσσας ἀφῇ h. e. 'qui vero occidit se suos filios occidere non sciet prius quam furores dimiserit', haec nemo non intelligit qua de causa adiecta sint. Ex his enim percipere videmur in hac tragoedia fore ut Hercules tandem mentis caligine discussa resciscat, quas acerbas caedes patraverit. Id quod quam necessarium fuerit ad

perficiendam Herculis miseriam, vel illa possunt declarare quae in simili casu Agauae Cadmus dicit in Bacchis 1259

φεῦ φεῦ· φρονήσασαι μὲν οἷ' ἐδράσατε
ἀλγήσετ' ἄλγος δεινόν· εἰ δὲ διὰ τέλους
ἐν τῷδ' ἀεὶ μενεῖτ' ἐν ᾧ καθέστατε,
οὐκ εὐτυχοῦσαι δόξετ' οὐχὶ δυστυχεῖν.

Itaque hoc de Hercule in illa oratione praedici ante inutile non 21
erat, cum praesertim *Λύσσα* hoc quoque ageret ut Iunoni satisfieri videretur, quam Iris professa erat nihil antiquius habere quam ut Hercules infensi numinis iram cognosceret 839 sq. Et hoc quoque ita accidere in tragoedia videmus v. 1127 sqq.; 1263; 1308. Tantam vim et utilitatem adscribimus versui damnato neque eum facile hoc sententiarum nexu solvi posse censemus. Sed iam videndum est, ne quae nobis satis scite instructa et composita videntur, argumentorum vi ex verbis petita evertantur et corruant. Sunt autem haec potissimum indicia quibus Wilamowitzius interpolatoris manum agnosci sibi persuasit: primum *κανών*, quam participii formam negat cum *ἐναίρων* conciliari posse. Nihil affirmamus confidentius, sed tamen admonemus rei notae, hoc genus participiorum saepe omissa temporis notione ad nominum naturam accedere; neque illud inepte putabimus, quoniam haec omnia de tempore futuro nuntiantur, fortasse *κανῶν* (cf. 1074) futuri temporis participium positum fuisse. Deinde *ἐναίρων*, quia nusquam apud Euripidem nisi in choricis canticis legeretur (cf. ad v. 367). Sed hoc vindicare licet ipso auctore, qui ad v. 872 adnotavit, tetrametros, quia ad lyricorum carminum sublimitatem propius accederent, recipere etiam formas quales sunt *πεδαίρω* et *Οὔλυμπος*, a dialogorum sermone vulgo secretas. Illud addimus ultro, quod *Λύσσα* oppositionis extollendae gratia dicit *παῖδας οὓς ἔτικτ' ἐναίρων*, similia alibi in hac fabula legi, v. 1182 *ἔτεκε μέν νιν, τεκόμενος δ' ἔκανε*, v. 1367 *ὁ φύσας καὶ τεκὼν ὑμᾶς πατὴρ ἀπώλεσεν*. Sed praecipuas offensiones voluit cadere in extrema verba *πρὶν ἂν ἐμὰς λύσσας ἀφῇ*, quamquam quae dicit, Herculem diu iam furore liberatum non tamen caedem a se perpetratam agnoscere, iis non multum tribuimus, quoniam non de temporis puncto agitur sed de re, et licet Hercules pedetemptim ad agnoscendam rerum veritatem traducatur, quemadmodum Agaue in Bacchis, tamen ea res movetur sicut Hercules e somno expergefactus de sua condicione sciscitari incipit. Gravius videatur quod

Λύσσα ipsa est quae dicat *πρὶν ἂν ἐμὰς λύσσας ἀφῇ*, id quod Wilamowitzius fieri potuisse negat. Nos vero hoc exquisitum genus dicendi habemus poeta non indignum et quod vel sine exemplorum fide pro vero existimari oporteat. Enimvero quod *Λύσσα* dicitur hominibus *λύσσας* mittere non magis mirum videri potest, quam quod Apollo *Θάνατον* dicit *τοῖς μέλλουσι θάνατον ἐμβαλεῖν* (Alcest. 50) aut apud Senecam (in Thyeste 23) *Furia* Tantali umbram iubet penates impios *furiis* agere*). Quo concesso reliqua quae cum hac offensione coniuncta sunt iam facilius expedientur. Nam quod Wilamowitzius scribit haec ideo quoque ferenda non esse quia 'dea hominem neque homo insaniam dimittat', reputandum est, *Λύσσαν* non dicere *πρὶν ἂν ἐμὲ ἀφῇ* (quamquam vel hoc probari potuisse credideris) sed quod sine ambiguitate dici poterat, *πρὶν ἂν ἐμὰς λύσσας ἀφῇ*, h. e. a me missos furores dimittat. Sed ab eodem principio profecti, quia '*ἀφιέναι* rectius furor Herculem quam Hercules furorem' dicatur et quia *λύσσας* plurali numero dici insolens sit aut parum aptum, haec non delenda sed mutanda esse rati, G. Hermannus *πρὶν ἂν ἐμῆς λύσσης ὑφῇ*, Madvigius autem *πρὶν ἂν ἐμὴ λύσσα σφ' ἀφῇ* scribi iubent;
22 quorum nobis neutrum probabile esse aut illius orationis dignitatem assequi videtur. De plurali autem *λύσσαι* quoniam dubitatum est, hoc primum dicimus, pluralem numerum vel haec tueri posse quae in hac tragoedia leguntur, 835 *μανίας ἐπ' ἀνδρὶ τῷδε κίνει* et 878 *ὀλεῖς μανίαισιν Λύσσας*; et sic saepe *μανίαι* in Oreste et in Bacchis, in Oreste etiam (270) *ἐκφοβοῖεν μανιάσιν λυσσήμασιν*; tum in hac sententia eam ipsam ob causam quia *Λύσσα* est quae loquitur *λύσσας* tamquam quas effecerit *Λύσσα* aptius videri dici quam singulari numero *λύσσαν*. Quod vero Hermannus maluit *πρὶν ἂν ἐμῆς λύσσης ὑφῇ*, quia Herodotus (I 156) *ὑπεὶς τῆς ὀργῆς* scripsit, quidni Aeschyli verba de Prometheo conferimus (319) *ἃς ἔχεις ὀργὰς ἄφες*, vel haec in Euripidis Alcest. 794 *τὴν ἄγαν λύπην ἀφείς* vel illa in Oreste (1021) quibus Orestes Electram sororem tacere iubet *οὐ σῖγ' ἀφεῖσα τοὺς γυναικείους γόους*, et similia multa, ut illa *πρὶν ἂν ἐμὰς λύσσας ἀφῇ* vulgarem dicendi consuetudinem sequi intelligatur. Postremo ne illud quidem negligendum est, quo modo in tragoedia ipsa furores Herculis sedati

*8) [*Πενία* in Aristophanis *Πλούτῳ* ait *ἐπαναγκάζουσα διὰ τὴν χρείαν καὶ τὴν πενίαν ζητεῖν* 534 et alibi.]

ac dissipati dicantur, qui Palladis manu lapide misso percussus ubi corruit gravi somno sopitus iacet, ex quo tandem, sicuti *Λύσσα* praedicit, *τὰς λύσσας ἀφείς* expergiscitur. Itaque nobis haec quae *Λύσσα* dicit illibata esse videntur neque mutari posse quin vis et venustas orationis violetur.

> *καὶ καταρρήξω μέλαθρα καὶ δόμους ἐπεμβαλῶ*
> *τέκν' ἀποκτείνασα πρῶτον· ὁ δὲ κανὼν οὐκ εἴσεται*
> *παῖδας οὓς ἔτικτ' ἐναίρων πρὶν ἂν ἐμὰς λύσσας ἀφῇ**).

Ab his versibus novam nectimus dubitationem de cantico chori quod insequitur (875—909), in quo explanando admirabilis Wilamowitzii sollertia exsplenduit. Qui quidem metrorum compositio quae esset et sententiarum tenorem ita explicuit ut cantici particulas a lamentantis Amphitryonis vocibus quae ex interiore domo a senibus chori perciperentur pendere vellet. Cuius rei etsi quaedam sane indicia facile agnoscuntur, velut 891 *ἰὼ στέγαι.* ‖ *Κατάρχεται χόρευμα* (cf. 749 sq.); 899 *αἰαῖ κακῶν.* ‖ *Αἰαῖ δῆτα* (cf. Anal. Euripid. p. 61), tamen et haec et reliqua certa admodum aut expressa non esse ipse Wilamowitzius fatetur et quae eiusdem generis supra in Lyci caede habentur (749—754) apertiora quidem sunt ut ambigi non possit. Sed haec utut se habent, neque enim quicquam fidentius asseveramus, de extrema parte cantici videmur nobis afferre posse, quibus simplicior interpretandi ratio, quam plerique sequuntur, magis comprobetur, quam quae a Wilamowitzio ingeniose haud dubie inventa et exposita sunt. Cum enim cantus in hos versus desinat

> *ἰδοὺ ἰδού,*
> *θύελλα σείει δῶμα, συμπίπτει στέγη.*
> *ἤ ἤ, τί δρᾷς, ὦ Διὸς παῖ, μελάθρῳ;*
> *τάραγμα ταρτάρειον ὡς*
> *ἐπ' Ἐγκελάδῳ ποτὲ Παλλὰς ἐς δόμους πέμπεις,*

duos primos Wilamowitzius Amphitryoni adscribit, qui cum domum moveri ac tecta ruinam minari aspiciat, perterrefactus in interiore parte domus illa canendo expromat *ἰδοὺ ἰδού, θύελλα σείει δῶμα,* 22 *συμπίπτει στέγη*, quem chorus excipiens proximis tribus versibus eundem sensum exsequatur, ita ut Palladem appellet et a Pallade istum formidabilem motum tectorum fieri significet. Non fugit

---

*8) [Editio altera non seclusit versum, aoristi forma *ἔτικτεν ἐναρών* cum *κανών* aoristo exaequata.]

Wilamowitzium (vid. p. 214) difficultas qua haec explicatio laborat: nempe Pallas nec ante memorata est neque nunc eius praesentia ita denotatur ut eam oculis videre senes Thebanos appareat. Referri autem iubet hos tumultus quos Pallas provocet in domo ad ea quae nuntius narrat v. 1002 sqq. Palladis interventu Herculis furores compressos esse, *ἀλλ' ἦλθεν εἰκών, ὡς ὁρᾶν ἐφαίνετο, Παλλὰς κραδαίνουσ' ἔγχος ἐπίλογχον χερὶ κἄρριψε πέτρον στέρνον εἰς Ἡρακλέους κτλ.* Quae tamen cum illis chori versibus curiosius conferenti non valde consentire videbuntur. Quare nos aliter interpretandum putamus atque proficiscendum esse ab iis quae *Λύσσα* choro audiente prodidit de rebus quas iussu Iunonis gestura esset in domo Herculis v. 864 sqq.

καὶ καταρρήξω μέλαθρα καὶ δόμους ἐπεμβαλῶ
τέκν' ἀποκτείνασα πρῶτον.

Cumque senes *Λύσσαν* in domum intrantem evanuisse viderint (873; 880), haud dubii quin tantum numen nihil eorum quae cupiat ἄκραντον relinquat, statim ea quae voluit et quo ordine voluit perfectum iri confidunt, primum pueros Herculis paterna manu occidi, dein domum moveri ac funditus labefactari. Harum igitur rerum seriem, quam profitente dea compertam habet, chorus, quamquam fieri nihil videt, cantu suo prosequitur: id quod chorum, quippe scientem quae exspectanda essent, facere potuisse etiam nulla Amphitryonis exclamatione intrinsecus audita, quis negabit? Quare pueris, ut putat, iam occisis, cum domum concuti sentit, tum illa exclamat *ἰδοὺ ἰδού, θύελλα σείει δῶμα, συμπίπτει στέγη.* Accidit autem motus, quem chorus dicit, non tum cum Pallas *κραδαίνουσ' ἔγχος ἔρριψε πέτρον στέρνον εἰς Ἡρακλέους* (1003 sq.) sed tum cum Hercules (998) *ὡς ἐπ' αὐτοῖς δὴ Κυκλωπείοισιν ὢν σκάπτει μοχλεύει θύρετρα, κἀκβαλὼν σταθμὰ* superstitem puerum tertium una cum matre mactatum ivit. Haec nos cum spectatoribus ex nuntii narratione perspicimus, chorus quantum satis erat ex *Λύσσης* verbis (864 sq.) cognoverat, qui quae in extrema parte cantici cantat (905 sqq.), cum utrisque satis conspirare apparet. Ex quo perspicuum fit, *Διὸς παῖ* qui appellatur (907) non Palladem esse, quam nescit chorus adesse, sed Herculem, quem haec patraturum edoctus est, et qui *Διὸς ἔκγονος* in eodem cantico dicitur v. 876 (cf. 696 et 1020); neque dubium esse videtur, quin Pallas in extremo cantico nisi comparationis causa non afferatur, et sententiam in hunc modum explicari oporteat *τάραγμα*

ταρτάρειον εἰς δόμους πέμπεις, ὡς ἐπ' Ἐγκελάδῳ ποτὲ Παλλὰς ἔπεμψεν.

4. In quarto eodemque ultimo huius disputationis capite perbreviter de duobus versibus agemus quorum alterum emendare posse (si tamen) nobis videmur, ab adhibita emendandi cura alterum vindicare. Atque integra putamus esse verba Amphitryonis quibus Lycum in domum Herculis intrantem prosequitur (729)

σὺ δ' οὖν ἴθ', ἔρχει δ' οἷ χρεών· τὰ δ' ἄλλ' ἴσως
ἄλλῳ μελήσει. προσδόκα δὲ δρῶν κακῶς
κακόν τι πράξειν. ὦ γέροντες, ἐς καλὸν 24
στείχει, βρόχοισι δ' ἀρκύων γενήσεται
ξιφηφόροισι, τοὺς πέλας δοκῶν κτενεῖν,
ὁ παγκάκιστος.

In versu enim 729 quia verbum *γενήσεται* nec ipsum aptum esse ad rem et structuram impedire videbatur, alia anquisiverunt critici, qui propter laqueos vinciendi constringendi verbum desiderantes talia scribenda proposuerunt *λελήψεται*, *δεθήσεται* (quod Wilamowitzius probat) sive *πεδήσεται*, *κεκλῄσεται*, quorum nihil est quod scribi potuisse negaveris. Unus G. Hermannus quo verbum antiquitus traditum servaret, *ἐν* praepositione addita (*βρόχοις δ' ἐν ἀρκ.*) structuram levare maluit. Nos *γενήσεται* veniendi, adveniendi significatu accipiendum putamus, tertium autem casum nominis, ab eo verbo qui regitur, nulla praepositione adiecta locali vi cum directionis notione positum. Usum verbi quem dicimus non est quod exemplis probetur; de dativo autem pauca afferimus Euripidea, *μὴ πάλιν γῇ λύματ' ἐκβάλλῃ κλύδων* (Hel. 1271), *ῥίπτεις τε πέδῳ πεύκην* (Iphig. Aulid. 39), *σέ ποτ' οὐρανίδαι πέμψουσιν θανάτοις* (Electr. 484). Itaque *βρόχοις ἀρκύων γενήσεται* (sive *ἐλεύσεται*) non minus recte dici potuit quam quod est in Electr. 965 *καλῶς ἄρ' ἄρκυν εἰς μέσην πορεύεται* aut in Iphigenia Taur. 77 *τήνδ' ἐς ἄρκυν ἤγαγες*. Quod si est, apparet hanc orationem *ἐς καλὸν στείχει, βρόχοισι δ' ἀρκύων γενήσεται ξιφηφόροισι* non modo non reprehendendam fuisse sed eo magis ad hoc translatum dicendi genus, quo *βρόχοι ἀρκύων ξιφηφόροι* appellatur is qui armatus Lycum introeuntem exspectat, accommodatam.

Alter versus de quo nos disputare velle diximus in sermone legitur quem Hercules somno solutus cum Amphitryone patre instituit a v. 1111

ΗΡ. πάτερ, τί κλαίεις καὶ συναμπίσχει κόρας,
τοῦ φιλτάτου σοι τηλόθεν παιδὸς βεβώς;
ΑΜ. ὦ τέκνον· εἶ γὰρ καὶ κακῶς πράσσων ἐμός.
ΗΡ. πράσσω δ' ἐγώ τι λυπρόν, οὗ δακρυρροεῖς;
ΑΜ. ἃ κἂν θεῶν τις, εἰ πάθοι, καταστένοι.
ΗΡ. μέγας γ' ὁ κόμπος, τὴν τύχην δ' οὔπω λέγεις.

Versus 1115 in codice hanc memorabilem formam habet ἀκανθεὼν τις εἴπαθ' οἱ καταστένοι, ex qua tamen syllabis recte diductis pridem id quod verum est docti homines recuperarunt (cf. Anal. Euripid. p. 228). Nisi quod πάθοι, quod est sane in ista depravata codicis scriptura, dubitamus quam recte ab Euripide profectum statuatur. Sermonis enim iter si probe intelligimus, Herculi quia patrem plorantem aspicit interroganti 'Sumne ego in ea miseria quam tu defleas?' Amphitryo respondet 'Sane in ea (es miseria) quam non dicam ego sed vel deorum aliquis si cognoverit deploraturus sit'. Et hunc igitur esse illum μέγαν κόμπον dicit Hercules, quod in *sua* miseria (non ea quam ipse patiatur) deus aliquis possit ingemiscere. Itaque non εἰ πάθοι, sed mutata littera εἰ μάθοι scribendum erat, quas formas notum est in libris scriptis saepe inter se permutari*).

ἃ κἂν θεῶν τις, εἰ μάθοι, καταστένοι.

Sententiae conformatio quam volumus habet aliquid similitudinis cum ea quae est in Phoeniss. 1344

ΚΡ. ὦ δώματ' εἰσηκούσατ' Οἰδίπου τάδε;
ΧΟ. ὥστ' ἂν δακρῦσαί γ', εἰ φρονοῦντ' ἐτύγχανεν.

Ceterum de diis hominum casus commiserantibus, ut mittamus ea quae in Hercule 1127 Amphitryo cum indignatione dicit quia nulla Iuppiter has miserias respiciens misericordia moveri videatur,

ὦ Ζεῦ, παρ' Ἥρας ἆρ' ὁρᾷς θρόνων τάδε,

saepe dii ipsi Euripidei verba faciunt, velut in Hippolyto Artemis (1339)

μάλιστα μέν νυν σοὶ τάδ' ἔρρωγεν κακά,
λύπη δὲ κἀμοί· τοὺς γὰρ εὐσεβεῖς θεοὶ
θνῄσκοντας οὐ χαίρουσι· τούς γε μὴν κακοὺς
αὐτοῖς τέκνοισι καὶ δόμοις ἐξόλλυμεν

*20) [Dionysius Halic. IV 81 p. 105, 4 K. συμφορὰς ἃς καὶ τῶν πολεμίων ἄν τις μαθὼν δακρύσειεν. Coniecturam μάθοι Wecklinus (in editione Herculis a. 1899) Paleio adscribit: id me fugit neque apud Paleium repperi.]

et in Electra Διόσκουροι 1327

φεῦ φεῦ· δεινὸν τόδ' ἐγηρύσω
καὶ θεοῖσι κλύειν·
ἔνι γὰρ κἀμοὶ τοῖς τ' οὐρανίδαις
οἶκτοι θνητῶν πολυμόχθων.

Quae qui accuratius perspexerit, dabit fortasse ne eam quidem quam restituimus sententiam ab Euripidis aut Amphitryonis mente fuisse alienam. Scr. m. Decembri a. MDCCCXCII.

XXXVIII. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1893/94.

3 Semestri aestivo paene exacto studii academici institutionem quae sex mensibus qui insequuntur hibernis valebit sollemniter indicimus hortamurque commilitones ut ex admirabili hac quam exponimus scholarum abundantia ac varietate sibi quisque quae maxime conducere videantur seligant selectaque totis viribus amplectantur haud immemores in litterarum studiis plus putari profecisse qui multum quam qui multa assecutus fuerit. Copioso autem lectionum exercitationumque recensui more tralaticio praefationem praemittimus e doctrinae studiis petitam eamque parti quidem eorum qui in hac litterarum sede scholis interesse cupiunt accommodatam. Quarum praefationum argumenta ut plerumque in poetarum veterum libris interpretandis versari voluimus, ita nunc Ovidii Nasonis Fasti dederunt de quo disputaremus: videbamur enim nobis nonnihil conferre posse ad huius operis versuum quorundam sive sententiam declarandam sive scripturam stabiliendam; quamquam multa non sunt quae expromimus neque ea magna novitate inventorum insignia sed fortasse eo nomine non inutilia quia componendi artem Ovidianam in his carminibus maxime conspicuam et quae saepe doctis ansam errorum dederit uno et altero exemplo illustrare contingit. Sunt autem haec.

1. In Fastorum primo poeta cum a Iano quae est anni origo initium capiat sollemnia calendis Ianuariis fieri solita his versibus describit.

Cernis odoratis ut luceat ignibus aether
Et sonet accensis spica Cilissa focis?
Flamma nitore suo templorum verberat aurum
Et tremulum summa spargit in aede iubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces
4 *Et populus festo concolor ipse suo est.*
Iamque novi praeeunt fasces, nova purpura fulget,

Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum praebent ferienda iuvenci
Quos aluit campis herba Falisca suis.
85 Iuppiter arce sua totum cum spectat in orbem,
Nil nisi Romanum quod tueatur habet.
Salve, laeta dies, meliorque revertere semper,
A populo rerum digna potente coli.
89 *Quem* tamen *esse deum te dicam, Iane biformis?*

In hac particula distichon 85. 86 quia nec superiori narrationi adnecti posse neque cum insequentibus versibus in unam orationem coire videbatur mirum non est doctos homines non suo loco collocatum existimasse. Quorum A. Riesius traiiciendos esse versus affirmat, addita incerta opinione 'fortasse post 282'. Sed ei loco quid hi duo versus adlaturi sint aut qua ratione cum ista parte melius iungantur nec ipse declarat neque nos satis intelligere fatemur. In proxima vicinia transponendis versibus locum quaesivit C. Schenkelius qui duo disticha inverso ordine se excipere maluit

87 *Salve, laeta dies, meliorque revertere semper,*
A populo rerum digna potente coli.
85 Iuppiter arce sua totum cum spectat in orbem,
Nil nisi Romanum quod tueatur habet.

Qua re veremur ne vir doctus hoc assecutus sit ut distichi fides labefactetur magis quam stabiliatur, quod quidem eo loco cui attribuit mirum in modum flaccescere incipit utpote orationi optime conclusae inutiliter et ex supervacuo adiectum. Quos contra Hermannus Peter, meritissimus horum librorum interpres, ita disputavit ut ordine versuum non temptato offensionem quae esset in illo disticho explicandi via tollere conaretur. Illa enim de Iove orbem terrarum contemplante ne ab antecedenti oratione seiuncta stare crederentur, hoc nos intelligere iussit, Iovem ipsa quam poeta describeret sollemnitate erigi et ad has res quae agerentur converti, itaque fieri ut in orbem ex arce sua spectaret: nam sic Ovidii verba reddidit '*Wie nun durch das feierliche Opfer aufmerksam gemacht* [*Iuppiter*] *von seiner* arx *den Blick aufrichtet und den Erdkreis überschaut, sieht er dort alles römisch.*' Cui opinioni docti hominis nos aegre ferimus quod assentiri non possumus; qui nobis videtur quae cupiat in verbis inesse inferre magis interpretando quam quae scripta sunt sic ut par est explicare. Ut enim largiamur Ovidium eam quam ille voluit sententiam expri-

mere verbis potuisse, tamen ut nunc res est, quam credibiliter statuitur hoc poetae consilium fuisse quod ipse nulla parte patefaciendum curavit. Itaque si recte interpretari verba volumus, fatendum est haec universe dici neque pendere a praemissa descriptione et hoc sentire poetam, Iovem quotiescumque spectet in orbem nil nisi Romanum videre. Quodsi cum hac sententia distichon suam sedem tueri non potest, abiiciendum potius est aut loco movendum quam prava interpretatione a suo sensu detorquendum. Sed nos dum poetae mentem inquirimus qua hoc quod affirmat imperium Romanum totum terrarum orbem amplecti seorsum a festi diei expositione interposuerit, hoc intelligimus, transitum parari hoc modo ad proximi distichi sententiam, qua descripta Iani sollemnitas graviter admodum finitur. Cum enim hunc diem festum ita salutet ut eum dignum esse dicat qui *a populo rerum potente* colatur, hoc ut habeat quo nitatur, quasi Iove teste confirmat ante, esse populum Romanum rerum h. e. terrarum orbis potentem. Ita si recte intimum duorum distichorum tenorem explicamus, apparet primum, ordinem eorum nisi cum gravissimo detrimento orationis inverti non posse, deinde nihil desiderari quo prius distichon, quod tantum alterius causa praemissum est, etiam superiori narrationi, quae et ipsa plena est et absoluta, adnectatur. Hoc tamen agnoscitur, poetam, quoniam illa quae dicit de populo Romano terrarum domino non uno modo efferri poterant, velut in Tristium libro primo 5, 69 scribit

Sed quae de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma deumque locus;

similiter in tertio 7, 51

Dumque suis septem victrix de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar,

nunc quod Iovem et Iovis arcem in ea causa commemorat, scite ex sollemnitate ipsa quam describit, quae in Capitolio celebratur, orationis colorem duxisse.

Haec quae disputavimus quamquam ipsa per se satis constare videbuntur, ei quidem qui suo sensu in mentem poetae sese insinuare animum inducat, tamen non desunt, quibus facilius fides haberi solet, ex iisdem libris petita similiter compositae orationis exempla. Quorum primum est quod item in primo legitur a versu 283, ubi, posteaquam Ianus interroganti poetae cur pace lateat, armis autem motis recludatur, respondit

Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet dempta ianua nostra sera.
Pace fores obdo, ne qua discedere possit:
Caesareoque diu nomine clusus ero,

hic ita pergit de Iano verba facere

Dixit et attollens oculos diversa videntes
Aspexit, toto quidquid in orbe fuit:
Pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphi,
Tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas.
Iane, fac aeternos pacem pacisque ministros
Neve suum, praesta, deserat auctor opus.
Quod tamen *ex ipsis licuit mihi discere fastis,*
Sacravere patres hac duo templa die.

His versibus illud non prohibet quominus in nostra quaestione 6
utamur, quod inde a 283, quia Germanicum Germanicique res gestas laudant, in retractatione operis Germanici causa instituta additi sunt: in compositionis genere vel leviter attendenti non potest non insignis quaedam similitudo apparere. Ut enim illic Iovem, sic nunc Ianum orbem terrarum intuentem, ut illum nil nisi Romanum, sic hunc nusquam non pacem aspicientem facit; et haec illic salutatio sollemnis diei, hic preces de conservanda pace excipiunt. Nam hoc perspicuum esse potest, ea quae de Iano orbem respiciente dicantur propter preces dici cum pondere subiectas, quae illis non praemissis ne sequi quidem poterant. Quare hac similitudine confirmati retinemus hoc quod diximus, ex illo quoque distichorum pari prius ad alterum relatum eandem praeparandi vim habere neque aut abesse aut alio quo loco poni potuisse. Simul eodem exemplo cognoscitur, quo modo poeta, si hoc agebat, illa de Iove quae dixit imperium Romanum aspiciente cum festi diei descriptione connectere potuerit: nunc quoniam ibi nihil eorum legitur, eo confidentius asseverare licet hoc eum noluisse. Neque hoc vituperandum est aut ista similitudine eo abutendum ut negetur verum esse quod probavimus extrema duo disticha inter se artissime connexa ab iis quae praecedunt secreta stare; id quod apte fieri potuisse ipsa quam declaravimus distichorum ratio patefacit. Denique vel eo nomine haec inter se similia sunt quod interposita sive salute sive precibus per *tamen* particulam disputationis cursus repetitur, v. 89 *Quem tamen esse deum te dicam, Iane*; 289 *Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis* —; cuius

particulae vim saepe eodem consilio apud alios quoque positae Petri adnotatio ad v. 289 nisi fallimur non recte significavit.

Sed adscribimus alia exempla.

v 375 de Flora postquam ad omnia quae voluit poeta respondit
Omnia finierat: tenues secessit in auras.
Mansit odor: posses scire fuisse deam.
Floreat ut toto carmen Nasonis in aevo,
Sparge, precor, donis pectora nostra tuis.

v 595 *Rite deo templumque datum nomenque bis ulto*
Et meritus voti debita solvit honor.
Sollemnes ludos circo celebrate, Quirites.
Non visa est fortem scaena decere deum.

iv 857 Remo sepulto
Urbs oritur, quis tunc hoc ulli credere posset,
Victorem terris impositura pedem.
Cuncta regas et sis magno sub Caesare semper,
Saepe etiam plures nominis huius habe;
Et quotiens steteris domito sublimis in orbe,
Omnia sint humeris inferiora tuis.

7 iv 949 *Aufer Vesta diem. cognati Vesta recepta est*
Limine. sic iusti constituere patres.
Phoebus habet partem, Vestae pars altera cessit,
Quod superest illis, tertius ipse tenet.
State Palatinae laurus praetextaque quercu
Stet domus: aeternos tres habet una deos.

Haec exempla, ex quibus tantum dedimus quantum satis erat ad significandum quod volumus sed quae qui penitus diiudicare velit suo tenore inspiciat necesse est, haec igitur exempla qui cum cura perspexerit, intelliget Ovidium in partibus operis sui artificiosam quandam concludendi rationem sectari sed ita ut extremis praemittat quae illis pro fundamento esse possint. Atque hoc est illud componendi genus quo declarato putabamus vindicari posse locum a quo disceptando disputatio nostra initium fecit. Quid enim, ut hoc utamur, illi similius esse potest quam haec ultima quae attulimus, quibus apparet tres partes domus describi v. 951. 952, ut habeat poeta quod addat precibus *Stet domus: aeternos tres habet una deos.* Vel exemplo paenultimo quis non videt poetam finita rerum memoria summam complecti sententia *Urbs oritur . . . victorem terris impositura pedem*, quo commodius

huic subiiciantur preces. Quae quod habent 861 s. *Et quotiens steteris domito sublimis in orbe, Omnia sint humeris inferiora tuis* manifestum est poetam redire ad eam quam ante posuit praeclaram *Urbis* imaginem *victorem terris impositurae pedem* eamque repetitam absolvere. Ut paene incredibile videatur, hoc extremum distichon, quo nihil magis Ovidianum esse potest, interpretes vituperare aut criticos ab Ovidio abiudicare.

Sed his exemplis si quid forte profecisse existimabimur uti licebit et maxime extremo ex iis ad tutandum locum alterum Fastorum quem plerique omnes interpolatrici manu auctum esse clamant.

2. In extremo libro sexto Clio refert hoc praeconium Marciae a v. 801

Sic ego. sic Clio: 'Clari monumenta Philippi
Aspicis, unde trahit Marcia casta genus,
Marcia, sacrifico deductum nomen ab Anco,
In qua par facies nobilitate sua.
Par animo quoque forma suo respondet. in illa
Et genus et facies ingeniumque simul.
Nec quod laudamus formam, tu turpe putaris:
Laudamus magnas hac quoque parte deas.'

In his versibus explicandis proficiscimur a verbis (804) *In qua par facies nobilitate sua.* Quae Petrus ita accipit ut ad *par*, ne quis cum ablativo nominis coniungi censeat, dativum *Anco* audiri velit: in qua facies nobilitate sua Anco par fuit. Eandemque explicandi rationem simillimis verbis adhibuit quae in quarto leguntur 306

Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto,
Nec facies impar nobilitate fuit.

Scilicet *non impar Clauso* intelligi iubet, ut facies Claudiae non minus nobilis quam Atti Clausi facies fuisse dicatur. Miramur docto interpreti hanc sententiam iure vituperatam ab aliis etiamnunc probari. Quid enim faciei Marciae vel Claudiae cum Anci facie aut Clausi? Immo dubium esse non potest quin tam Marciae quam Claudiae forma cum earundem nobilitate generis contendatur, a qua laudanda poeta in utraque orsus est: Marcia ab Anco nomen ducit; Claudia a Clauso genus refert: et huic earum nobilitati nominis aequa erat utriusque facies vel forma. Et sic solet Ovidius quae sunt comparabilia inter se comparare, velut in epistola ex Ponto libri tertii tertia v. 99

Conveniens animo genus est tibi; nobile namque
100 *Pectus et Herculeae simplicitatis habes,* — —
103 *Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum,*
Grandius ingenio nec tibi nomen inest

et in iisdem epistolis I 2, 2

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples
Et geminas animi nobilitate genus.

Quod vero *par* cum sexto casu nominis, non tertio coniunctum est, Arusiani Messii testimonium nemo ignorat qui hoc ipsum testatur cum ita scribit in Keilii Grammaticis Latinis VII p. 500 'par his. Cic. pro Cluentio "ingenio et virtute par his quos ante memoravi." par hac re. Sal. hist. IIII "scalas pares moenium altitudine." par cum his. Sal. Iug. "parem cum liberis tuis regnique participem fecisti".' Quo magis duplici exemplo Ovidiano cedendum est: *in qua par facies nobilitate sua; nec facies impar nobilitate fuit.* Quae qui contulerit, non potest non fateri hariolatum esse Merkelium cum altero loco *in qua* pars *facies nobilitate sua est* ederet, alterum intemptatum relinqueret. Qui vir acutus qua erat ingenii perversitate ab omni simplicitate sentiendi aliena nimis saepe sanae rationi repugnantia legentibus ingerit. Sed accedit tertium exemplum II 758

Et facies animo dignaque parque fuit,

ambiguum illud quidem sed quod nihil impedit quominus ad istorum normam accipiamus; quamquam apertum est *animo* ablativum non eandem vim ad *digna* et ad *par* relatum habere.

Redimus illuc: nam quae sequuntur

Par animo quoque forma suo respondet. in illa
Et genus et facies ingeniumque simul

gravissimas turbas excitaverunt. Praeeuntibus enim Iano Broukhusio, Iohanne Schradero, viris eximiis, cum Merkelio Petri editio hoc distichon uncis circumscriptum ut spurium notavit. Neque negamus omissis duobus versibus quae restant tolerari posse

unde trahit Marcia casta genus,
Marcia, sacrifico deductum nomen ab Anco,
804 *In qua par facies nobilitate sua.*
807 *Nec quod laudamus formam, tu turpe putaris:*
Laudamus magnas hac quoque parte deas.

Quamquam quod laudatam faciem continuo excipit excusatio eius laudis *Nec quod laudamus formam,* cui rei multum tribuit in sua

causa Petri iudicium, veremur ne subtilius explorata oratione secus sentiendum sit. Sed tamen illa tolerabilia esse concedimus: ferri vero non posse arbitramur quod similibus rationibus ductus W. Gilbertus (in Fleckeiseni annalibus a. 1878 p. 784) commentus est, qni non illud distichon sed versus 804. 805 exstirpandos ratus hanc orationem (nam talia ut saepe dicimus oculis animoque subiicienda sunt)

unde trahit Marcia casta genus,
803 *Marcia, sacrifico deductum nomen ab Anco*
806 *Et genus et facies ingeniumque simul*

peritissimo poetae obtrudere non dubitavit: qui quidem sensit ipse, neque sensum verissimum confutare debebat, *faciem ingeniumque* a *deductum* participio pendere non posse, illud non sensit, *nomen et genus* prave uno ordine recenseri: quo enim discrimine duo nomina distingui putavit nullum est, neque iis nisi varietatem orationis quaeri vel illa docere possunt quae supra de epistolis ex Ponto attulimus. Sed Petri ἀθέτησις quibus argumentis nitatur inquirendum est. Qui primum Gilberto assentiens vituperavit verba *par animo quoque forma suo respondet;* quia enim de facie vel forma poeta loqui coepisset, non *animo quoque formam* sed *formae animum quoque parem respondere* dicendum fuisse. Quibus non hoc obiiciemus, apud veteres tam Graecos quam Romanos in iis quae inter se contenduntur saepe variari oratione, ut cum hoc illi simile fuisse dicendum fuerit, illud huic esse simile dicatur: de quo genere quod saepe multis nostratium cogitandi more deceptis offensioni fuit, alibi plura congessimus; eodemque modo Ovidius ipse versu supra citato ex Ponto III 3, 99 scribit *Conveniens animo genus est tibi: nobile namque pectus . . habes,* ubi exspectari poterat contra *generi animum convenientem esse* dici, quoniam de animo deinceps, non de genere agitur. Sed ea nos ratione nunc non utimur, qui sic putamus Ovidium optime sententias suas conformasse, nihil ut excusationis indigeat. Etenim duplici faciei comparatione instituta cum primum faciem sive formam Marciae parem esse cum nobilitate generis, a cuius laude exorsus est, deinde cum animo quoque eius et ingenio formam faciemve parem esse dicat, aequabilitatem quandam orationis assecutus est in qua non est quod reprehendatur aut offendat. Porro iidem viri docti consentientes tautologiae molestiam increpant, qua his pauculis versibus pulchritudo ter, bis *facie* semel *forma* appellata, legentibus in-

culcetur. Qui nomina videntur numerasse, sententiarum conformationem minus attendisse, qua tamen nascitur ea quam vituperandam ducunt earundem vocum iterationem. Etenim primum poeta *faciem* dupliciter et cum generis *nobilitate* et cum *animi* ingeniique dotibus comparandam dicit, deinde haec tria, formam nobilitatem ingenium, quae simul inesse in Marcia vult, colligit unaque sententia reponit: *in illa Et genus et facies ingeniumque simul*. Ubi hic reprehensioni locus est? Quin quod exposita sententia rursus refertur, vel maxime Ovidiani moris est, quem cum multa ostendant, velut quae IV 543 leguntur

Tota domus laeta est, hoc est materque paterque
Nataque. tres illi tota fuere domus,

tum exemplum in extremo capite primo positum, unde nobis aliquid subsidii in defendendo hoc loco fore praediximus,

Aufer Vesta diem. cognati Vesta recepta est
Limine. sic iusti constituere patres.
Phoebus habet partem, Vestae pars altera cessit,
Quod superest illis, tertius ipse tenet.
State Palatinae laurus praetextaque quercu
Stet domus: aeternos tres habet una deos.

Laudata autem tribus partibus Marcia quod praedicatam faciem excusaturus poeta in hunc modum orationem continuat *nec quod laudamus formam, tu turpe putaris* cet., hoc genus redeundi interposito disticho aliquanto aptius fuisse sentimus quam eodem omisso si haec illis *in qua par facies nobilitate sua* continuo subiicerentur. Denique quoniam de internoscendo Ovidio et interpolatore agitur, non negligendum est insigne variandi studium, Ovidio inprimis dignum, quo *forma* et *facies*, *animus* et *ingenium*, *nomen*, *genus*, *nobilitas* inter se miscentur et permutantur.

3. De Fabiorum interitu quae narrat Ovidius in secundo Petrus ita edenda curavit.

Haec fuit illa dies, in qua Veientibus armis
Ter centum Fabii ter cecidere duo.
Una domus vires et onus susceperat urbis:
Sumunt gentiles arma professa manus.
Egreditur castris miles generosus ab isdem,
E quis dux fieri quilibet aptus erat.
Carmentis portae dextro est via proxima iano.
Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet.

Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem
(Turbidus hibernis ille fluebat aquis),
Castra loco ponunt —

Multa sunt in his versibus quae etiamnunc interpretis curam requirere videntur, velut quod Petrus ad v. 199 adnotat *castris ab isdem* esse 'ab eadem domo', vix censemus probari posse: quippe haec est sententia quam habet distichon praecedens *Una domus vires et onus susceperat urbis.* Sed quoniam *dux* et *miles* inter se opponuntur, hac figurata oratione (neque enim proprie dicuntur *egredi e castris*, quae vulgaris est loquendi ratio de militibus in pugnam proficiscentibus) hoc dici videtur generosos illos pari gradu et condicione milites fuisse, quamquam quilibet eorum dux esse potuerit. Sed **11** haec et alia praetermittimus: illud unum agimus ut quae Ovidius de via refert quam Fabii ingressi sint, si fieri possit, rectius constituantur. Qui quod ita scribit *Carmentis portae dextro est via proxima iano*, iis assentiendum ducimus, qui viam dici volunt quae dextro iano h. e. dextro fornice portae Carmentalis fuerit, idque liquido confirmari putant simili memoria Livii. Eo enim auctore Ovidium in Fastis usum esse C. Schenkelius ita probavit ut refragari non liceat; neque erat quod Madvigius in Emendationibus Livianis (ed. II.) p. 78 n. cum in una re eiusdem narrationis Ovidium cum Livio conspirantem indicaret, dubius quaereret Ovidiusne sua a Livio haberet an uterque ab aliquo antiquiore. Livius igitur cum tradat II 49, 8 *Infelici via dextro iano portae Carmentalis profecti ad Cremeram flumen perveniunt*, nunc quoque haud obscurum est unde sua hauserit Ovidius, et utrumque eadem vi et sententia ianum fornicem dicere. Nihilominus fuerunt qui haec quae simplicitas suadebat aspernati alia et impeditiora anquirerent, H. Iordanus inprimis, qui in Topographia Urbis (I 1 p. 239 n. cf. Herm. IV 234) de ea re verba fecit; similiter H. Wintherus De Fastis Verrii ab Ovidio adhibitis (Berol. 1885) p. 50 s. Qui Festi testimonio ducti, haec tradentis p. 285 M. 396 Th. *religioni est quibusdam porta Carmentali egredi et in aede Iani quae est extra eam senatum haberi, quod ea egressi sex et trecenti Fabii apud Cremeram omnes interfecti sunt, cum in aede Iani s. c. factum esset uti proficiscerentur*, Ianum et Iani aedem immiscentes, cum apud Livium *dextro Iano* interpretarentur infelici via ita ut Ianus dexter esset*), apud Ovidium *dextra* scribi mallent ut esset *dextra via*

*38) Vide O. Richterum haec Iordani refutantem in Herm. XVII p. 427.

proxima Iano, quae aperta erant mirum in modum obscurarunt. Haec singillatim persequi a nostro consilio alienum est nec Iani memoriam cum porta Carmentali et Fabiis mixtam ab origine ducere conamur. Hoc dicimus Livii Ovidiique consensu standum esse et misso Iano Ianique templo apud utrumque *dextro iano portae Carmentis* sive *Carmentalis* retinendum et utrobique dextrum fornicem eius portae esse intelligendum. Neque ab ea nos sententia deflecti patimur difficultate quadam quam parit *proxima*, qua illi moti videntur qui *proxima Iano* scribi et coniungi mallent. Atqui Petrus, qui de *dextro iano* recte iudicavit, *proximam viam* dici proximam ad Cremeram scribit: quod quam vere posuerit, non levis dubitatio est propterea quod nec ante Cremera appellata est et paulo post (205) nominatur ita ut ante nec memorata neque cogitata fuisse videatur. Paulo fortasse probabilius ex *Veientibus armis* quae v. 195 dicuntur ad *proxima* universe audiatur significatio loci quo cum Veientibus castra conferenda fuerint. Quamquam vel sic epitheton pendere dicas; tota autem oratio penitus excussa fallimur aut alio ducit. Qui enim ita loquitur

Carmentis portae dextro est via proxima iano:
Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet

is duas sententias in unum complecti videtur ut admoneat eum quemcumque appellat, si proxima via sit dextro iano portae Car-
12 mentis, ne per hanc viam utpote mali ominis ire velit. Neque enim est quod *per hunc* legamus ut pronomen ad *ianum* referatur sed *per hanc* viam interpretamur scilicet eam quae dextro iano ducat, quemadmodum alibi loquitur Ovidius, VI 604 *ibat per medias alta feroxque vias**); *omen* autem *habere* nihil interest utrum *ire* dicatur an *via*. Sed in hac conformatione orationis statim percipitur *proxima* planam et ad hanc rem quae agitur appositam significationem habere. Quod vero ex duabus sententiis priorem, non addita particula condicionali, protasis loco esse volumus, vix est quod dedita opera vindicemus: adeo frequens est hoc genus

*27) Idem IV 186 *cervice feretur Urbis per medias exululata vias*; II 553; II 221 *per sata perque vias fertur*; Trist. V 7, 14 *per medias in equis itque reditque vias.* Ut in discrepantia codicum ambiguum videatur in Fastis I 122 utrum haec poetae tribuas

Cum libuit pacem placidis emittere tectis,
Libera per tutas *ambulat illa vias,*

an quod Petrus cum aliis praefert *Libera* perpetuas *ambulat illa vias*, in quo *perpetuas* quam vim habere dicas incertum.

apud hunc potissimum poetam; cuius pauca afferimus ex Fastis prompta.

III 765 *Cur anus hoc faciat quaeris: vinosior aetas*
Haec est;
VI 551 *Cur vetet ancillas accedere quaeritis: odit,*
Principiumque odii si sinat illa canam.
VI 283 *Cur sit virginibus quaeris dea culta ministris:*
Inveniam causas hac quoque parte suas.

(cf. I 219; V 526; Metam. II 512.)

II 283 *Cur igitur currant et cur (sic currere mos est)*
Nuda ferant posita corpora veste rogas:
Ipse deus velox discurrere gaudet —
VI 169 *Pinguia cur illis gustentur larda calendis*
Mixtaque cum calido sit faba farre rogas:
Prisca dea est aliturque cibis —

Sed in his omnibus quod vulgo interrogationem designant, quamquam non vituperamus, tamen ea vera harum sententiarum natura non est: haec enim quae dicit *quaeris, quaeritis, rogas* non differunt ab eo quod alibi eundem in sensum ponitur *si quaeris*

III 183 *Quae fuerit nostri, si quaeris, regia nati,*
Aspice de canna straminibusque domum.
VI 212 *Si titulum quaeris, Sulla probavit opus.*
VI 767 *Tempora si veteris quaeris temeraria damni,*
Quintus ab extremo mense bis ille dies.

Eandemque rationem prae se ferunt, in quibus tamen nemo interrogationem notat,

VI 113 *Huic aliquis iuvenum dixisset amantia verba:*
Reddebat tales protinus illa sonos.

(cf. IV 487.)

V 321 *Florebant oleae: venti nocuere protervi;* 13
Florebant segetes: grandine laesa Ceres;
In spe vitis erat: caelum nigrescit ab austris.

Quae qui contulerit cum V 263—265 *si bene floruerint segetes, erit area dives* cet. illorum orationem recte aestimabit. Adde

I 315 *Institerint nonae: missi tibi nubibus atris*
Signa dabunt imbres —
II 453 *Orta dies fuerit: tu desine credere ventis.*

Ad horum igitur exemplorum similitudinem si distichi illius orationem probabiliter constituimus

201 *Carmentis portae dextro est via proxima iano:*
Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet,

intelligimus poetam hac lepida forma, cum nescio quem quasi per sermonem appellat, viam istam quae dextro iano portae Carmentalis ducat describere ab eaque via ineunda quippe male ominata dehortari velle. Sed iam quaerimus quid Ovidio consilii fuerit haec exponenti, qui has res videlicet non ipsas suapte causa rettulisse censendus est. Et tamen, si revera, quemadmodum est in Petri exemplari, hoc distichon excipiebatur ab illo versu

205 *Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem,*

frustra circumspicias, quid moverit eum, ut portam Carmentalem vel viam istam quam describit portae Carmentalis mali ominis esse et vitandam diceret. Si hoc volebat Ovidius quod Livio auctore constabat, Fabios illa via exiisse, certe *hac* (*via*) *ut Cremeram tetigere* dicturum fuisse credas (cf. II 393), quamquam ut verum fateamur ne eo quidem desiderium legentis satis expleri concedimus: nunc nihil est, quo portae Carmentis mentio facta cum rei gestae expositione connectatur neque credibile esse aiimus tam laceram et interruptam narrandi seriem integram et a dexterrimo poeta cui omnia suo tenore fluere solent profectam esse*). Quae dum miramur erudito editori probari potuisse, advertimus ab eo duos versus qui ibi vulgo legebantur suo arbitratu interceptos esse. Nam plena oratio in maiore quidem parte codicum servata et antiquitus vulgata haec est

201 *Carmentis portae dextro est via proxima iano:*
Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet.
203 Illa fama refert Fabios exisse trecentos.
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.
Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem cet.

Et quis non sentit his additis versibus lucem ex tenebris fulgere et ex insana ratione iam prudens auctoris consilium patere. Non
14 iam veros esse hos duos versus dicimus, sed illud affirmamus, potuisse exemplo esse, quo modo imperfecta narratio absolvi apte potuerit. Quos versus qui spurios esse sibi persuaserant, saltem indicare hiatum debebant, quo hiatu similis sententiae distichon haustum esset. Namque haec est Ovidii consuetudo ut a descri-

*20) Non nescimus Petrum non ita raro in his libris poetae negligentiam incusasse. Quae dum diligenter ut par fuit exsequimur, videbamur nobis quidem nonnumquam intelligere, non iustam esse reprehensionem.

ptione loci res gestas componere ordiatur: cuius moris exemplum quod propius accedat ad nostrum hoc primum ponimus ex Fastis v 673 s.

Est aqua Mercurii portae vicina Capenae:
Si iuvat expertis credere, numen habet.
Huc *venit incinctus tunicam mercator et urna .. haurit aquam.*

Et quamquam hoc genus minime ignotum est, quo inde ab Homericis carminibus nullus non poetarum sive Graecorum sive Romanorum usus est, de quo Schneidewinus nonnulla affert in Philologi sui primo p. 380, tamen fortasse non inepte egisse videbimur quod Fastorum quidem exempla Ovidiana collegimus, quorum pleraque illo modo regionem descriptam habent, nonnulla ceteroquin eadem ratione composita personam.

I 469 *Orta prior luna, de se si creditur ipsi,*
A magno tellus Arcade nomen habet.
Hic *fuit Euander.*

II 435 *Monte sub Esquilio multis incaeduus annis*
Iunonis magnae nomine lucus erat.
Huc *ubi venerunt* — —

II 443 *Augur erat, nomen longis intercidit annis,*
Nuper ab Etrusca venerat exul humo.
Ille *caprum mactat.*

II 491 *Est locus, antiqui Capreae dixere paludem:*
Forte tuis illic, *Romule, iura dabas.*

II 679 *Est via, quae populum Laurentes ducit in agros,*
Quondam Dardanio regna petita duci.
Illa *lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris*
Sacra videt fieri sextus ab urbe lapis.

II 703 *Hortus odoratis suberat cultissimus herbis,*
Sectus humum rivo lene sonantis aquae.
Illic *Tarquinius mandata latentia nati*
Accipit — —

III 263 *Vallis Aricinae silva praecinctus opaca*
Est lacus, antiqua religione sacer.
Hic *latet Hippolytus* — —

III 295 *Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra,*
Quo posses viso dicere 'numen inest'.
In medio gramen — —
300 Huc *venit et fonti rex Numa mactat ovem.*

III 567 *Fertilis est Melite sterili vicina Cosyrae*
Insula, quam Libyci verberat unda freti.
Hanc *petit.*
III 581 *Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes*
Parvus ager: Cameren incola turba vocat.
Illuc *cursus erat.*
III 667 *Orta suburbanis quaedam fuit Anna Bovillis,*
Pauper, sed multae sedulitatis anus.
Illa *levi mitra canos redimita capillos*
Fingebat tremula rustica liba manu.
III 799 *Matre satus Terra, monstrum mirabile, taurus,*
Parte sui serpens posteriore, fuit.
Hunc *triplici muro lucis incluserat atris* --
IV 305 *Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto*
Nec facies impar nobilitate fuit. — —
313 Haec *ubi castarum processit ab agmine matrum* —
IV 337 *Est locus in Tiberim qua lubricus influit Almo*
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic *purpurea canus cum veste sacerdos* — —
IV 427 *Valle sub umbrosa locus est aspergine multa*
Uvidus ex alto desilientis aquae.
Tot fuerant)* illic *quot habet natura colores* —
Cf. ibid. 419 ss.
IV 491 *Alta iacet vasti super ora Typhoëos Aetne,*
Cuius anhelatis ignibus ardet humus.
Illic *accendit geminas pro lampade pinus.*
IV 495 *Est specus exesi structura pumicis asper,*
Non homini regio, non adeunda ferae:
Quo *simul ac venit* —
IV 649 *Silva vetus nullaque diu violata securi*
Stabat, Maenalio sacra relicta deo — —
hic *geminas rex Numa mactat oves.*

*22) Dubitamus quam recte Petrus *suberant* ediderit pro eo quod est in libris *fuerant*. Illud quid significet ex III 295, II 703 cum Petri adn., IV 570 cognoscitur, sed in hunc locum quadrare non videtur, si quidem sententia haec est 'sub umbrosa valle locus uvidus est: in eo loco non suberant sed erant tot flores quot natura habet.' Pro *erant* autem saepe apud hunc poetam et apud alios *fuerant* poni solere constat: exempla quaedam affert Merkelius in praef. tertiae edit. ad h. l.; alia Hauptius ad Metam. III 630 adscripsit possumusque multa addere.

IV 683 *Frigida Carseolis nec olivis apta ferendis* 16
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.
Hac *ego Paelignos, natalia rura, petebam.*
V 149 *Est moles nativa loco. res nomina fecit:*
Appellant Saxum — —
153 *Templa patres* illic *oculos exosa viriles*
Leniter acclini constituere iugo.
V 209 *Est mihi fecundus dotalibus hortus in agris:*
Aura fovet, liquidae fonte rigatur aquae.
Hunc *meus implevit generoso flore maritus.*
V 707 *Liber ab arboribus locus est, apta area pugnae.*
Constiterant illo, *nomen Aphidna,* loco.
VI 9 *Est nemus arboribus densum, secretus ab omni*
Voce locus, si non obstreperetur aquis.
Hic *ego quaerebam* —
VI 105 *Adiacet antiquus Tiberino lucus Helerni,*
Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.
Inde *sata est nymphe* —
Cf. VI 205 ss., 219 ss.
VI 477 *Pontibus et magno iuncta est celeberrima circo*
Area, quae posito de bove nomen habet.
Hac ibi *luce ferunt Matutae sacra parenti.*
VI 495 *Est spatio contracta brevi, freta bina repellit*
Unaque pulsatur terra duabus aquis:
Huc *venit insanis natum complexa lacertis.*
VI 669 *Servierat quidam, quantolibet ordine dignus,*
Tibure, sed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille *suo* —

Haec exempla usus Ovidiani ex uno opere excerpta qui cum cura consideraverit, eo magis, opinamur, fatebitur, fieri non potuisse, quin post descriptam viam ominosam portae Carmentalis hac via Fabios exiisse aperte memoraretur; et hoc non intellexisse insigne est indicium perversae rationis Merkelii qui princeps fuit expungendi distichi ceterosque sua auctoritate traxit.

De oratione diximus et quid ea requireret: nunc agendum est de auctoritate distichi quod habet eam sententiam quam necessariam esse declaravimus. Libri plerique exhibent hos duos versus, sed iidem desiderantur in principibus duobus, Petaviano sive Reginensi et Ursiniano (in hoc tamen ma. alt. adiecti). Qua re magno-

pere eorum fides debilitaretur, nisi et causa prompta esset quae versus istos sua sede deiecisset, et similes errores ne alibi quidem ab his codicibus abessent. Etenim cum haec disticha se excipiant

7 201 *Carmentis portae dextro est via proxima iano:*
Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet.
203 *Illa fama refert Fabios exisse trecentos.*
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet,

nemo non videt, propter eundem duorum pentametrorum exitum accidisse librario ab altero ad alterum *omen habet* aberrante ut alterum par versuum omitteretur. Idem autem genus vitii tam in Petaviano codice occurrit, in quo III 395 ss.

Arma movent pugnas. pugna est aliena maritis.
396 *Condita cum fuerint, aptius omen* erit.
His etiam coniunx apicati sancta Dialis
Lucibus inpexas debet habere comas.
Tertia nox dimensa suos ubi moverit ignes,
400 *Conditus e geminis piscibus alter* erit.

erit forma bis in extremo versu (396. 400) posita (nam nihil ad hanc rem pertinet *condita* et *conditus* in iisdem versibus primis collocatum) factum est ut versus 397—400 intercidirent, tertia demum manu in margine adscripti (cf. Riesii praef. ad h. l. et Petri disp. crit. p. 7), quam in Ursiniano, qui II 279 ss. cum haec vulgentur

Transtulit Euander silvestria numina secum;
280 *Hic ubi nunc urbs est, tum locus urbis* erat.
Inde deum colimus devectaque sacra Pelasgis;
Flamen ad haec prisco more Dialis erat

versus 281. 282 non exhibet ob repetitum exiguo intervallo *erat* praeteritos (cf. Petri disp. crit. p. 11); in utroque autem codice ex iis quae IV 135 ss. leguntur

135 *Aurea marmoreo redimicula solvite* collo,
Demite divitias: tota lavanda dea est.
137 *Aurea siccato redimicula reddite* collo:
Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est

versus 136. 137 desiderantur origine erroris manifesta: neque erat quod versus qui in paucis quidem sed bonis codicibus servati sunt et quorum elegantia Ovidianam artem vel maxime decebat in suspicionem falsi vocarentur.

Sed hoc quod in duos libros qui optimi habentur cadere videmus, alios quoque Fastorum codices occupavit; velut in sexto

Terra pilae similis, nullo fulcimine nixa,
Aëre subiecto tam grave pendet onus.
Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem,
Quique premat partes, angulus omnis abest.
Cumque sit in media rerum regione locata
Et tangat nullum plusve minusve latus:
Ni convexa foret, parti vicinior esset,
Nec medium terram mundus haberet onus

Ursinianus quidem (nam Petavianus iam v 24 desinit) habet versus cunctos, sed a multis bonis absunt v. 271—276 non alia de causa quam quod geminatum *onus* in fine versuum 270 et 276 librarios decepit; quare hos versus casu in parte codicum omissos qui insiticios esse iudicarunt, certe hoc argumento uti non debebant. Quod vero in eodem sexto, ubi haec vulgo leguntur

737 *Notus amor Phaedrae, nota est iniuria Thesei:*
Devovit natum credulus ille suum.
Non impune pius iuvenis Troezena petebat:
Dividit obstantes pectore taurus aquas,
Solliciti terrentur equi frustraque retenti
Per scopulos dominum duraque saxa trahunt,

in iisdem codicibus (qui v. 271—276 non habent) sed nulla aperta causa erroris versus 739. 740 desiderantur, quos Ursinianus habet et quos abesse posse sine damno Petri rationibus minime probatur, indicio esse potest hoc genus vitii etiam latius serpsisse. Quo magis cavendum est ne versus iam ea de causa condemnemus quia in codicibus vel optimis non leguntur. De nostro autem disticho illud nos nihil movet quod in uno codice (Mallerstorfiensi) hexameter tantum legitur omisso versu minore sed in margine recenti manu adscripto pentametro *Quos omnes misere perdidit una dies.* Nam huic quidem nihil tribuendum est, qui unde sumptus sit neminem fugit. Quod autem dimidiatum distichon exaratum est, in eodem codice etiam alibi singuli versus sive hexametri singuli sive pentametri casu vel negligentia omissi sunt (cf. Petri disp. crit. p. 14). Quam ob rem nos minime probamus doctos, qui nimium huius codicis auctoritate confisi hexametrum quidem retinendum, pro pentametro autem quidvis aliud excogitandum censent. Immo ipsa librorum memoria exigit, ut de toto disticho, quod

pleraque pars bonorum exhibet, omittunt duo optimi, quaeratur, sitne spurium an ab Ovidio profectum: id quod iam putamus constare nisi ex ipso argumentis petitis demonstrari non posse. Sed eius generis argumenta quibus Petrus Ovidianum non esse probatum ivit (nam Merkelius identidem *ineptum* vocavit, rationibus pepercit) infirma admodum sunt: supervacaneum certe esse: quod si verum esset, nihil tamen argueretur; et nos falsum esse evincere studuimus. Versu 202 prave vel scripto vel intellecto factum esse ut aliquid de Fabiorum exitu addendum fuisse crederetur. At vero ex eo versu, qui sententiam habet ipsam per se incertam pendentem (cur enim hoc dicit poeta viam omen habere?), si quis collegit de Fabiis proficiscentibus dicendum fuisse, nec illum prave intellexit et hoc recte collegit sensumque probavit subtiliorem nostris interpretibus. Sed his argumentis ut nihil efficitur, sic quo magis fides damnatorum versuum stabiliatur, nunc hoc agendum est ut distichon, quod vere affirmare licet a nemine eorum qui condemnarunt recte intellectum esse, quam accuratissime enarretur totaque oratio quae quattuor versus tenet sic ut par est in clara luce ponatur.

19 201 *Carmentis portae dextro est via proxima iano:*
Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet.
203 *Illa fama refert Fabios exisse trecentos.*
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.

Quarto versu apparet rediri ad secundum eandemque causam qua poeta in secundo eum quicum colloquitur dehortatur variata oratione referri in quarto. Qui si pars est instituti sermonis cum nescio quo, ad eundem sermonem necesse est referatur versus tertius; quem qui attentius examinaverit, oratio ipsa videtur indicare sic non narrare poetam sed hanc causam afferri admonitionis praemissae de omine. Quod si recte statuimus, intelligitur hos quattuor versus totum efficere et in unum coalescere sermonem cum eo habitum quem poeta verbis appellat *quisquis es*. Cuius sermonis iter in hunc fere modum explicare licet. 'Quisquis es, si proxima via dextro iano portae Carmentalis est, noli per hanc viam ire: nam omen habet. Illa enim via fama refert trecentos*) Fabios profectos,

---

*35) *trecentos* nunc dicit universe quos supra accuratius *ter centum ter duos* appellavit. Cf. Ex Ponto I 2, 2

Qui nasci ut posses, quamvis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abstulit una dies.

quos nemo nescit una die interiisse. Porta quidem nihil commisit quod culpetur, sed tamen ob infelicem istum exitum mali ominis est ut vitanda sit.' Ex hoc autem aequabili tenore orationis consequitur aut quattuor versus abiiciendos esse aut nullum. Neque tamen verendum est ne quae supra de descriptione loci ex qua rerum narrationem nectere soleat Ovidius exposita sunt hac inita ratione eleventur aut pereant. Nam sic quoque et viam portae Carmentalis describit et ea via Fabios profectos esse refert, sed illa sermonis venustate ascita longe hoc quod voluit artificiosius assecutus est. Ceterum Ovidium, qui I 59 *omen ab eventu esse* docuit, ex ea opinione videmus a Fabiorum exitu hoc repetiise quod porta Carmentalis vel dexter ianus eius portae mali ominis esse crederetur multisque eo egredi religioni esset; quod idem alii testes tradiderunt, Festus quem supra p. 90 citavimus, idem p. 334 M. 496 Th. *Scele*[rata porta eadem app]*ellatur a quibusdam,* [quae et Carmentalis] *dicitur, quod ei proximum Car*[mentae sacellum fuit. scele]*rata autem quod per eam* [sex et trecenti Fabii c]*um clientium millibus* [quinque egressi adversus E]*truscos, ad amnem* [Cremeram omnes sunt inter]*fecti. qua ex cau*[sa factum est, ut ea porta int]*rare egredive* [mali ominis habeatur]; (cf. Paulus Diac. p. 335). Ex eodemque fonte Servius in Aeneid. VIII 337 *iuxta portam quae primo a Carmente Carmentalis dicta est, post scelerata a Fabiis trecentis sex qui per ipsam in bellum profecti non sunt reversi.* Dio Cassius I p. 20, 21 Bekk. *διὰ τοῦτο . . τὰς πύλας δι' ὧν ἐξεστράτευσαν* (οἱ Φάβιοι) *ἐν ἀτιμίᾳ ἐποιήσαντο ὥστε μηδένα δι' αὐτῶν ἄρχοντα διιέναι.* Unus Livius quae habet (supra adscripta p. 90) ambiguum est eandemne in partem interpretere an ita ut Fabiorum interitum inde ducat quod portam vel viam quae mali ominis fuerit non devitaverint (cf. O. Richterum l. s. c. p. 428). Neque offensioni esse potest apud Ovidium quod praemissis illis de iano dextro portae Carmentalis postea *porta* dicatur culpa vacare, *porta* omen habere, cum praesertim etiam alii testes, quos supra citavimus, haec universe de porta Carmentali referre consueverint. In his cum nihil sit quod suspicionem movere de auctore versuum possit, illud veram Ovidii manum vel maxime prae se ferre videatur, quod sententias iteravit in eademque verba duos pentametros desinentes fecit. Sic enim solet circuitus orationis describere, nec solum easdem sententias paulum modo variatas referre velut VI 295 ss.

Esse diu stultus Vestae simulacra putavi,
Mox didici curvo nulla subesse tholo;
Ignis inexstinctus templo celatur in illo,
Effigiem nullam Vesta nec ignis habet,

sed iisdem etiam verbis expressas sententias iterare variisque modis multis iisdem verbis artificiose repetitis venustatem quandam distichorum compositioni acquirere. Exempla de Fastis selegimus.

IV 363 *Inter ait viridem Cybelen altasque Celaenas*
Amnis it insana, nomine Gallus, aqua.
Qui bibit inde furit. *procul hinc discedite, quis est*
Cura bonae mentis. Qui bibit inde furit.

II 235 Una dies *Fabios ad bellum miserat omnes:*
Ad bellum missos perdidit una dies.

IV 483 *Perque vices modo 'Persephone' modo 'filia' clamat,*
Clamat et alternis nomen utrumque ciet.
Sed neque Persephone Cererem nec filia matrem
Audit et alternis nomen utrumque perit.

IV 543 Tota domus *laeta est, hoc est materque paterque*
Nataque. tres illi tota *fuere* domus.

IV 331 Nox aderat: querno religant in stipite funem,
Dantque levi somno corpora functa cibo.
Lux aderat: querno solvunt a stipite funem,
Ante tamen posito tura dedere foco.

IV 135 Aurea marmoreo redimicula solvite collo,
Demite divitias: tota lavanda dea est.
Aurea siccato redimicula reddite collo:
Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est.

Cf. IV 215 s.

III 723 *Ecce libet subitos pisces Tyrrhenaque monstra*
Dicere — sed non est carminis huius opus.
Carminis huius opus *causas exponere, quare —*

V 681 Ablue praeteriti *periuria temporis, inquit,*
Ablue praeteritae *perfida verba die.*

VI 16 ex illis *sed tamen* una fuit.
Ex illis fuit una, *sui germana mariti.*

VI 155 *Protinus* arbutea *postes* ter *in ordine tangit*
Fronde, ter arbutea *limina* fronde *notat.*

Non sunt haec omnia eiusdem generis, possuntque similia multa

ex aliis Ovidii operibus addi; sed quis qui haec non occupata mente pertemptaverit, non idem filum ludentis poetae agnoscet cum haec legit

201 *Carmentis portae dextro est via proxima iano:*
Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet.
203 *Illa fama refert Fabios exisse trecentos.*
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.

Itaque speramus fore ut distichon illud tandem redeat suamque sedem postliminio restitutum occupet nimis diu criticorum contumacia spretum suoque poetae ademptum.

4. In extremo capite, cum ad finem tendat disputatio iam nimis prolixa, breviter significabimus quid de versibus libri primi 205. 206 iudicandum videatur qui varie quidem a doctis hominibus temptati sed nondum, nisi nos fallit opinio, probabiliter tractati sunt. Qui versus hoc nexu leguntur.

197 *Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,*
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit,
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
200 *Et dabat exiguum fluminis ulva torum.*
Iuppiter angusta vix totus stabat in aede,
Inque Iovis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant quae nunc Capitolia gemmis,
Pascebatque suas ipse senator oves.
205 Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem
Et faenum capiti supposuisse fuit.
Iura dabat populis posito modo praetor aratro,
Et levis argenti lammina crimen erat.
At postquam fortuna loci caput extulit huius,
210 *Et tetigit summo vertice Roma deos,*
Creverunt et opes et opum furiosa cupido.

Distichon quod diximus Petrus in Epistola critica a. 1874 ad Hugonem Ilbergium missa nothae originis coarguit. Cui repugnavit W. Gilbertus (in Fleckeiseni annalibus a. 1878 p. 771) versibus Ovidio vindicatis. Sed Petrus duplicatione usus suam obtinuit opinionem neque destitit versus uncinatos dare tertium Fastis editis. Fuit qui distichon non expellendum sed traiiciendum ratus versum 200 excipere iuberet. In qua disceptanda controversia hoc primum est ut distichon ipsum ab omni parte excutiamus. De cuius oratione sic sentimus, ut Gilbertus, nihil in

ea inesse quod Ovidio non dignum sit. Nam *fuit*, cui nonnulli *suo* praeferunt de Bentleii opinione, propter imperfecti formas quae praecedunt et sequuntur vituperare non debebat qui versus 198. 199. 200 uno ordine se excipere patiebatur; praeterea vide IV 305 s.

Claudia Quinta genus Clauso referebat *ab alto,*
Nec facies impar nobilitate fuit.

Non magis culpandum erat verbum a *pudore* nimis longe remotum; quod si tanti est vel hoc in tertio Fastorum v. 881 s. tueri potest

Ianus adorandus *cumque hoc Concordia mitis*
Et Romana Salus araque Pacis erit.

De sententia autem ne prave iudicetur hoc attendendum est, nihil ei commune esse cum versibus 199. 200

Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum
Et dabat exiguum fluminis ulva torum,

quibus casa Romuli describitur quique in ea casa fuerit torus ex ulva fluminis paratus: quae res duae ibi non aliter iunctae sunt quam in tertio, ubi haec dicit Mars

183 *Quae fuerit nostri, si quaeris, regia nati,*
Aspice de canna straminibusque domum.
185 *In stipula placidi capiebat munera somni,*
Et tamen ex illo venit in astra toro.

Quare isti duo versus a disticho nostro continuari apte non poterant, neque vero poeta reprehendendus erat quasi exiguo intervallo ad eandem quae esset in illis sententiam relapsus, neque huic offensioni ita occurrendum (cum Gilberto), ut illa ad domorum simplicitatem, haec ad vitam rusticam et agrestem referri dicerentur. Sed illa Romulum attingunt tam proprie quam quae insequuntur 201. 202 Iovem. Ab iis autem haec, de quibus agimus, prorsus segregata sunt. Suo vero loco distichon proscriptum Gilberto assentimus non seorsum stare aut universam sententiam continere, sed propter senatorem suas oves pascentem afferri et cum hac imagine senatoriae vitae in unam priscae simplicitatis descriptionem coalescere. Neque Petri rationem satis intelligimus qua ne hoc quidem probandum esse concesserit. Nobis haec ita iungi videntur quemadmodum in simili narratione in tertio

cum colerent prisci studiosius agros
780 *Et faceret patrio rure senator opus*

Et caperet fasces a curvo consul aratro
Nec crimen duras esset habere manus

durae manus non in rusticis sed in senatoribus aut consulibus crimini non fuisse dicuntur.

Haec quae exposuimus fidem facere visa sunt de inserto alieno disticho non esse cogitandum; neque Petro contigit ut probabilem ansam additamenti facti et hoc loco positi ostenderet: nam quae proposuit, Gilbertus verisimilia esse recte, opinamur, negavit. Verum tamen unum est in Petri ratiocinatione quod 23
interpolationis quidem opinionem firmare non potest, dubitationem autem movere de horum versuum integritate. Hoc dicimus, quod illa de senatore

204 *Pascebatque suas ipse senator oves*

et haec de praetore

207 *Iura dabat populis posito modo praetor aratro,*

quae suapte natura copulari oportebat, ut est in gemino exemplo III 780—781 quod supra attulimus, illo interposito disticho separantur: quod incommodum, quamquam illa quam probavimus explicatione distichi minuitur, tamen eo gravius sentitur quod quae de quiete in stipula aut faeno dicuntur ad praetorem aratrum ducentem non minus apte referri poterant quam ad pascentem oves senatorem. Ab hoc principio profecti dum distichorum compositionem curiosius perquirimus, eo devenimus, non ut spurii quicquam irrepsisse sed ut versuum ordinem aliqua parte laborare opinaremur. Nam qui distichorum artem Ovidianam exegerit, qui saepe eandem mutata oratione vel similem tamen utroque versu sententiam efferre soleat neque facile coniungi his duobus versibus patiatur quae non aliquo modo metrorum pari respondeant*), fortasse sensui nostro accedet, quo haec uno disticho iugata

203 *Frondibus ornabant quae nunc Capitolia gemmis*
Pascebatque suas ipse senator oves

illi arti parum consentanea esse neque huic hexametro satis congruenter pentametrum adiunctum existimamus. Quod si circum-

*29) Difficile haec de distichorum rationibus quae dicimus exemplis monstrantur; sed tamen qui versus de primo quos supra p. 81 s. attulimus 75—84 singillatim contulerit, intelliget quid sit quod in hac arte praedicemus; quibus addimus exempli causa de tertio versus 235—244 et qui his respondent in primo 151—160.

spicimus in hac narratione pentametrum idoneum qui in illius locum succedat, haud cunctabimur eligere versum 208

Et levis argenti lammina crimen erat,

qui et ipse cum suo hexametro non valde convenienter coniunctus est (nam quod *iura* dicuntur et *crimen*, in ea parte nulla vis sententiae est) sed in illum locum translatus *gemmas* cum *argenti lammina* scite comparatas offert. Hos duos pentametros ubi loca permutare iusserimus sed ita ut priori (204) adhaerescant ea quae cum eo coniuncta esse diximus (205. 206), is ordo prodit qui poetam non dedeceat et quo quidquid incommodi erat in vulgata serie tolli videatur.

197 *Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,*
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit.
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum
200 *Et dabat exiguum fluminis ulva torum,*
Iuppiter angusta vix totus stabat in aede
Inque Iovis dextra fictile fulmen erat,
24 203 *Frondibus ornabant quae nunc Capitolia gemmis*
208 *Et levis argenti lammina crimen erat;*
207 *Iura dabat populis posito modo praetor aratro*
204 *Pascebatque suas ipse senator oves:*
205 *Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem*
Et faenum capiti supposuisse fuit.
209 *At postquam fortuna loci caput extulit huius —*

De origine vitii nihil dicimus: in qua re apparet bonam partem casui et errori tribui, quo notum est in Fastorum libris saepe etiam singulos versus intercidisse (cf. p. 98). Quo initio si versus omissus in margine non suo loco repositus erat, in hac necessaria vicissitudine metrorum reliqua facile sequebantur. In interpunctione, quae vulgo in his versibus parum apta est, quod novavimus, videbatur ipsa sententiarum ratione et iunctura posci ac probari.
Scr. m. Aprili a. MDCCCLXXXXIII.

XXXIX. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1894.

Periucundus libellus est M. Minucii Felicis cui Octavii nomen 3
inscripsit eius quem cum Caecilio fidei christianae osore de veri dei cultu se praesente et arbitro facit contendentem. Quo sermone non sane nimis subtilibus rationibus aut invictis argumentis christianam religionem superstitione Romana superiorem esse demonstratur, quamquam ne illud quidem ingratum est aspicere quo maxime genere probandi et redarguendi illa aetate quibusve maledictis aut conviciis inter se utriusque sectae comites digladiari soliti sint; sed quae disputantur, ea omnia exquisita sermonis elegantia, nonnumquam artificiosius perpolita, dicuntur, ut licet passim veterum imitationem, Tullianam inprimis, agnoscas, tamen haec nativum quendam leporem orationis prae se ferre videantur, quo qui legant non possint non valde delectari. Quo magis dolendum est hunc libellum unius codicis fide niti non optime scripti sed iam multifariam librariorum incuria depravati: quorum errorum bonam partem indefessa plurimorum criticorum studia per tria saecula in hunc libellum collata feliciter sustulerunt; sed restant non ita pauca quae aut nondum suo emendandi genere sanata sunt aut falso temptata, cum integra sint, interpretis munus requirunt quo ab iniuria criticorum, si fieri possit, vindicentur. Ex utroque genere hac reveniente scribendi necessitate nonnulla promere paucisque disceptare volumus, ita rati, posse etiam in huius generis et aetatis libro exemplis doceri quid severitas argumentandi poscat aut repudiet, et cum subinde accidat ut ad huius scriptoris consuetudinem declarandam tuendamve latius vagemur, continget fortasse etiam ultra huius libelli cancellos quod utile sit afferre.

I. Incipimus autem, quoniam ordinem disputationis Minu- 4
cianae sequimur, a levioribus duabus quaestionibus. Leve est enim quod in his verbis quae in exordio sunt sermonis Caeciliani c. 5, 2

proinde si mihi quasi novus aliqui et quasi ignarus partis utriusque considas, nullum negotium est patefacere omnia in rebus humanis dubia incerta suspensa magisque omnia veri similia quam vera

alterum *omnia* variis modis vexarunt. Fuit qui vocem delendam esse censeret. Probe: abesse enim potuit; quis negat? Alter *omnino* maluit reponi: ne id quidem ferri non potuit, quamquam iis locis, quibus hoc commentum suum probare studuit Cornelissenus, non multum adiuvatur et paulo fortasse deterius est eo cuius locum obtinere iubetur. Usenero placuit Kiesslingii sui *somnia*, quod specie paulisper decipere potuit, curiosius inquirenti patefaciet ipsum se in hanc orationem non quadrare. Novam viam ingressa Baehrensii sagacitas addendo, non delendo aut mutando Minucii verba integrari sibi persuasit; qui cum ita edidit *magisque omnia* [de his iudicia] *verisimilia quam vera*, duplicem sententiarum ordinem effecit et sic *omnia*, quia non eadem quae ante significaret, firmari iudicavit: in qua re testimoniis quidem ab eo allatis nos nihil movemur. Denique exstitit qui *magisque obvia verisimilia q. v.* scribendum proponeret, quod veremur ne non multis placiturum sit. Videmus varietatem opinionum. *Quid sequar aut quem?* At nobis primum videtur discrimen illud a Baehrensio in sententiam inlatum falso inferri, ut pars altera de rebus humanis, altera ab ipso additamento reficta de iudiciis hominum valeat: nam et prior pars de iudiciis accipi (cf. c. 14, 5) nec altera non etiam de rebus potuit intelligi: ita quemadmodum recte dicitur *omnia in rebus humanis dubia incerta suspensa* esse, non minus recte dici poterat *omnia in rebus humanis veri similia magis quam vera*, velut Livius Anicii triumphum cum triumpho Aemilii Pauli conferens scribit (XLV 43, 2) *similia omnia magis visa hominibus quam paria*, h. e. *mehr nur ähnlich als gleich:* premitur enim prius ut apud Minucium. Quod si recte iudicamus consequens est, ut alterum *omnia* abesse quidem, uti diximus, totaque sententia uno ordine decurrere potuerit *omnia in rebus humanis dubia incerta suspensa magisque veri similia quam vera*, sed nunc cum adsit, hoc unum sit defendendum non semel quod satis erat sed bis esse *omnia* positum. Quod quamquam ex eo genere est, in quo scriptoris libertati aliquid concedendum videatur, cum praesertim ne causa quidem lateat, in hac oratione cur addi maluerit quam omitti, tamen quae est criticorum contumacia nihil

egisse existimabimur, nisi forte contigerit, ut exempli vi, cui plus tribui quam argumentandi probabilitati solet, opinionem nostram confirmemus. Sed Cicero, qui ita scribit (de nat. deor. I 20, 54) *quis enim non timeat omnia providentem et cogitantem et animadvertentem et omnia ad se pertinere putantem curiosum et plenum negotii deum*, cum uno *omnia* defungi posset, maluit in hac exigua differentia orationis suum utrique sententiae inserere. Qui idem cum scribit (Acad. post. I 12, 44) *omnes veteres .. ut Democritus, in profundo veritatem esse demersam, opinionibus et institutis omnia teneri, nihil veritati relinqui, denique omnia tenebris circumfusa esse dixerunt*, tantum vel in oratione diversa probare potest, ne a Minucii quidem sententia esse cur duplex *omnia* alienum habeatur. Quamobrem hoc nos damus Minucio, ut bipertitam cum sententia orationem geminato *omnia* efficeret; qui cum ita verba ordinaverit *magisque omnia*, cum posset *et omnia magis veri similia*, varietati positus, quam impensa opera sequi solet, scite consuluit*).

Alterius quaestionis argumentum, quam esse ex levioribus diximus, ex c. 11, 8 petimus, ubi Caecilius christianorum spem reviviscendi post mortem irridens haec dicit

> *et tamen tanta aetas abiit, saecula innumera fluxerunt: quis unus ullus ab inferis vel Protesilai sorte remeavit horarum saltem permisso commeatu, vel ut exemplo crederemus?*

In quibus *horarum* non satisfacere sententiae opinati olim aut *trium* aut *paucarum* addendum putarunt; quibus adsentiens Halmius defectus quidem indicium eo loco fecit, in praefatione autem scribit (p. XI) '*horarum* per se ipsum id significare non posse quod sententia requirat *horarum aliquot commeatu*.' Fuerunt quidem postea qui nihil moverent aut nihil addendum esse affirmarent; sed cum novissimus editor, eadem cum Halmio persuasione ductus, non leniter haec ad suum arbitratum reformaverit, *horarum saltem permisso commeatu trium, ut exemplo crederemus*, fortasse non inutile est, de re verbo admonere. Certo enim, nisi fallit opinio, probari potest, errasse cum superioribus Halmium, quod *horarum commeatum* negabat ea vi poni posse ut intelligeretur *horarum paucarum*

*16) [Cf. Ed. Nordenus de Minucii Felicis aetate et genere dicendi (1897) p. 52, qui a tricolo ut pars altera segregaretur *omnia* additum esse affirmat. Plus tribui sententiae ponderi quo fit ut talia cumulentur: velut Cicero scribit ep. II 6, 3 *ego omnia mea studia, omnem operam curam industriam cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi.*]

commeatus. Sic enim Suetonius locutus est vit. Neronis 37 *mori iussis non amplius quam horarum spatium dabat,* ubi in libris quibusdam deterioribus, quos Rothius affert, aut *duarum* aut *III* ante *horarum* insertum legitur, quorum hoc F. A. Wolfius probavit, utrumque suo iure sprevit Rothius, et iam olim Ernestus *horarum spatium* esse *horarum aliquot* recte adnotarat. Eodemque modo Suetonius iterum scripsit vit. Domitian. 3 *inter initia principatus cotidie secretum sibi horarum sumere solebat nec quicquam amplius quam muscas captare;* et hic quidem magnus Casaubonus *horarum III* scribi iussit, Wolfius autem *secretum horarium* maluit, quae vox nihili est, uterque praeter morem in re simplici et aperta lapsi. Minucii nemo memor fuit in Suetonio ut in Minucio nemo Suetonii: putamus autem haec tria exempla codicum auctoritate firmata satis sibi invicem praesidii praebere. Sed Wolfio ut satisfiat, qui dubitabat non magis quam *horarum spatium* ab ullo scriptore *dierum, annorum spatium* positum esse, hoc memoramus, Iustinum, quamquam nonnumquam *interiectis paucis diebus* scribit, ut Livius loqui solet, saepe tamen et saepius fortasse *interiectis diebus* dixisse, velut, ne desiderentur loci III 7, 5; V 10, 8; XVIII 1, 11; XVIII 7, 4. 9, multis aliis, idem *interiecto tempore* (XVIII 3, 18)*) et *legati Gallorum qui ante menses Romam incenderant* (XX 5, 4). Apud Minucium autem si relinquenda sunt verba tradita *horarum saltem permisso commeatu,* eo magis apertum est in proxima sententia *vel ut* (*velud* cod.) *exemplo crederemus* particulas *vel ut,* quibus Baehrensius abutitur ut refingat numerum *horis* addendum, alii aliter mutarunt, temptandas non esse, quae et probabilem sententiam habent et exemplo firmantur, Ciceronis de re publica (II 40, 67) *est tibi ex iis ipsis qui adsunt bella copia vel ut a te ipso ordiare.*

II. Posteaquam Octavius c. 19 usque a Thale Milesio de deorum natura philosophorum sententias enumeravit, rationem concludens his verbis desinit 20, 1

> *Exposui opiniones omnium ferme philosophorum quibus inlustrior gloria est, deum unum multis licet designasse nominibus, ut quivis arbitretur aut nunc christianos philosophos esse aut philosophos fuisse iam tunc christianos.*

---

*20) [Ita Valerius Maximus quamquam VIII 4, 1 *parvulo deinde tempore interiecto,* saepius *interiecto tempore, interiecto deinde tempore* (p. 302, 8; 342 2 Kempf., al.).]

Paene mirum est, hanc orationem superiorum nemini quod sciamus scrupulum iniecisse neque Halmio: pendet enim infinitivus *deum .. designasse*, qui ab *exposui* regi non potest neque ulla probabili ratione explicari. Quod qui intellexerunt, Baehrensius, cum ita edidit *exposui opiniones omnium ferme philosophorum quibus inlustrior gloria est, deum unum multis licet designantium nominibus, ut q.* ex prava oratione emendando deteriorem effecit, Cornelissenus autem cum scribit *exposui opiniones omnium ferme philosophorum quibus inlustrior gloria, et deum unum multis liquet designasse nominibus,* hoc quidem verissime perspexit, hanc non unam esse sed duas sententias, quas tamen non apte per *et* coniunctionem copulavit neque *liquet* verisimili coniectura ex *licet* restituit, qua concessiva particula nihil erat ad hanc orationem accommodatius. Itaque nos hoc tenentes duas esse sententias alteram integram esse statuimus, alteram initio mancam: *exposui opiniones omnium ferme philosophorum quibus inlustrior gloria est: * * * deum unum multis licet designasse nominibus, ut quivis* etc. Quod ubi agnoveris, ne de supplemento quidem ambigi potest quo ruptus orationis tenor reficiatur. Etenim sic scripsisse Minucium suspicamur:

> *Exposui opiniones omnium ferme philosophorum quibus inlustrior gloria est:* [deprehendimus eos] *deum unum multis licet designasse nominibus, ut quivis arbitretur aut nunc christianos philosophos esse aut philosophos fuisse iam tunc christianos.*

Quo facto et causa omissi verbi patefacta est et Minucium intelligimus eadem paene orationis forma desinere qua orsus erat: initio enim huius partis sic scripserat (19, 3) *recenseamus si placet disciplinas philosophorum; deprehendes eos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc unam coire et conspirare sententiam.* Neque secus idem, ut consuetudinem agnoscas, 7, 2 *specta de libris memoriam: iam eos deprehendes initiasse ritus omnium religionum.* Qui *deprehendendi* verbum etiam hunc in modum posuit (35, 5), *quamvis in nonnullis disciplina nostra minor est, multo tamen vobis meliores deprehendemur.* Nam quod in hac oratione simili illis quidem sed prolixiore (33, 4. 5) *scripta eorum relege, Flavii Iosephi, vel si Romanis magis gaudes, ut transeamus veteres, vel Antonii Iuliani de Iudaeis require: iam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam nec quicquam accidisse quod non sit iis, si in contumacia*

perseverarent, ante praedictum: ita prius eos deseruisse comprehendes quam esse desertos fuit qui non *comprehendes* sed *deprehendes* scripsisse Minucium opinaretur, coniectura non inepta est sed non necessaria.

Redimus illuc, unde deflereximus: in capite enim 20, cuius primam sententiam emendare conati sumus, quae deinceps exponuntur, ea difficultatibus quibusdam gravioribus laborant, partim codicis vitio ortis, aliis criticorum opera partis, qui disputationis iter parum diligenter attendentes decepti videntur, ut etiam quae aperta erant ultro obscurarent. Quae primum infra ponimus sic uti scribenda esse ducimus.

> *Quodsi providentia mundus regitur et unius dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperitorum fabellis suis delectata vel capta ad errorem mutui rapere consensus, cum philosophorum suorum sententiis refellatur, quibus et rationis et vetustatis adsistit auctoritas. 3. Maioribus enim nostris tam facilis in mendaciis fides fuit, ut temere crediderint etiam alia monstruosa, mera miracula, Scyllam multiplicem, Chimaeram multiformem, et Hydram felicibus vulneribus renascentem et Centauros equos suis hominibus implexos, et quicquid famae licet fingere, illis erat libenter audire; 4. quid illas aniles fabulas, de hominibus aves et feras * * homines et de hominibus arbores atque flores? quae si essent facta, fierent; quia fieri non possunt, ideo* [nec fiunt] *nec facta sunt. 5. Similiter erraverunt erga deos quoque maiores nostri: improvide creduli rudi simplicitate crediderunt; dum reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt quae fuerant adsumpta solacia.*

Itaque demonstrata philosophorum cum christianis de deo conspiratione Octavius sic ratiocinari pergit, non esse quod antiquitati quae fabellis suis delectetur tantum tribuatur, ei ut assentiantur omnes, quippe quae ipsa philosophorum suorum decretis refellatur, cum praesertim maiores non solum in deorum cultu sed etiam in aliis rebus multis miram quandam credulitatem probaverint. Nimirum haec Octavius respondet ad ea quae Caecilius dixerat (6, 1) *quanto venerabilius ac melius antistitem veritatis maiorum excipere disciplinam, religiones traditas colere .. prioribus credere* eqs. Quodsi recte illarum sententiarum cohaerentiam evol-

verimus, perspicuum fit illa quae tradita sunt in codice (5 ss.) *maioribus enim nostris tam facilis in mendaciis fides fuit ut temere crediderint etiam alia monstruosa, mira miracula* non ita ut oportebat tractari a doctis. In quibus illud quidem olim Oehlerus intellexit, non *mira* sed *mera miracula* scribendum fuisse: sic Gellius locutus est (xiv 6, 3) *at quae ibi scripta erant, pro Iuppiter, mera miracula;* Cicero quidem (ad Att. iv 7, 1) *mera mihi monstra nuntiarat.* Sed Halmius, qui Oehleri inventum ne memoravit quidem, maluit de Vonckii opinione edere *temere crediderint etiam talia monstruosa miracula*, iisdemque vestigiis insistentes recentissimi, Cornelissenus Baehrensiusque, haec *temere crediderint etiam* (sive *et*) *animalia monstruosa, mera miracula* restituenda curaverunt. A quibus nos ita discedimus, ut quidquid de illis conaminibus iudicatur, quorum hoc posterius ne ferri quidem posse videtur, nihil certius esse existimemus quam verum esse quod in codice scriptum est *alia.* Etenim credulitatem veterum qua in accipiendis diis versari soliti sint ita Octavius declarat ut eosdem etiam alia monstruosa leviter credidisse affirmet; quibus expositis et exemplorum copia comprobatis, tandem repetit id cuius ea causa explicata sunt (14): *similiter erraverunt erga deos quoque maiores nostri: improvide creduli rudi simplicitate crediderunt;* quae qui contulerit cum illis superioribus (5. 6) intelliget, quanto opere iis tota oratione respondeant, et verum esse dabit quod dicimus circuitu quodam disputationem a credulitate maiorum in aliis converti ad similem eorundem credulitatem quam prae se ferebant in diis atque numinibus constituendis. Sed verba quae hanc sententiam habent, non ita scripta sunt in codice, ut supra posuimus: putabamus enim haec quae codex exhibet *similiter ac vero erga deos* (14) cet., quae prava sunt, facili errore ex illis nata esse quae scribenda coniecimus; quae si sic exarata erant de more *ſimili- ẽrraverʼ erga deos*, apparet, quid negligentis librarii oscitantiam fefellerit. Ceterum aptius verbum quam quod suasimus *erraverunt* inveniri non potest*), et has duas esse sententias, quas secrevimus, ipsa orationis conformatio manifesto indicat.

In exemplis incredibilium miraculorum, quae Octavius enu-

*33) Videmus Dombartum quoque in editione a. 1881 p. 132 de verbo *erraverunt* restituendo cogitavisse, sed ita ut ex *crediderunt* recuperaretur, quod verbum abesse non potest; neque satis simplicitati emendandi illo modo prospectum videtur.

merat, ut mittamus alia quae interpretis curam poscere videantur, unum perstringemus brevi, illud quod extremo loco positum est (10): *quid illas aniles fabulas, de hominibus aves et feras * * * homines et de hominibus arbores atque flores? quae si essent facta fierent; quia fieri non possunt, ideo* [nec fiunt] *nec facta sunt.* Quae duobus locis manca esse visa sunt: altero addidimus quae abesse putabamus, *nec fiunt,* eaque facile ante *nec* alterum omitti poterant; quibus adiectis ratio concludendi absolvitur, si quidem ex eo quod illa fieri non possunt utrumque colligitur, nec fieri neque facta esse; nec dissimile genus ratiocinandi est apud Ciceronem de div. II 46, 97 *si enim esset factitatum, non esset desitum; neminem autem habemus auctorem qui id aut fieri dicat aut factum sciat.* Altero loco interstitium indicavimus, explere ausi non sumus; sed tamen ita censemus, cum oratio incipiat *de hominibus aves et feras**), deinde rursus plene dicatur *de hominibus arbores atque flores,* haec non continua fuisse (alioquin satis erat dici *de hominibus aves et feras, arbores atque flores*) et interpositum *homines* indicio esse medium quiddam interiectum fuisse; quod quale fuerit si quaeritur, idem *homines* indicat mutationis exemplum non eiusdem sed contrariae fuisse, cuius in hac causa non deterior usus erat; velut exempli causa si ponas *de hominibus aves et feras* [et de lapidibus] *homines et de hominibus arbores atque flores,* sententiae non inepte consultum videatur; et si hariolando ulterius progredi libeat, etiam aequabilitati orationis satisfieri possit, cui multum tribuere
9 solet Minucius, mutilataeque sententiae causa aperiri cum ita scripseris *de hominibus aves et feras* [et de lapidibus ac dentibus ferae] *homines et de hominibus arbores atque flores.* Non commendamus coniecturam, viam significare volumus, qua via vera emendatio inveniri possit. Nam quae adhuc temptarunt docti, a sana ratione longius videntur abesse. Verba *factas esse* desiderari putant, quae non magis requiruntur quam ad illam interrogationem *quid illas aniles fabulas* verbum *loquar* adiiciendum est. Quae vero Baehrensius excogitavit, Hieronymi etiam testimonio abusus, quo nihil probatur, concessam coniiciendi libertatem excedunt. Sed ea pluribus refellere non est necessarium.

III. Octavius in eo occupatus ut Euhemeri maxime rationi-

*14) [Dio Chrys. 4, 105 ὥσπερ οἱ μῦθοί φασι τοὺς μεταβαλόντας ἐξ ἀνθρώπων εἰς ὄρνιθας ἢ θηρία.]

bus usus doceat deos haberi qui fuerint homines haec de Saturno refert c. 21, 5.

> *Is itaque Saturnus Creta profugus Italiam metu filii saevientis accesserat et Iani susceptus hospitio rudes illos homines et agrestes**) *multa docuit ut Graeculus et politus, litteras imprimere, nummos signare, instrumenta conficere. Itaque latebram suam quod tuto latuisset vocari maluit Latium et urbem Saturniam dedit de suo nomine et Ianiculum Ianus ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt.*

Ita codex, in quo *dedit* (6) falso scriptum est; quod tamen per tot conamina criticorum nondum videtur ad suam integritatem revocatum. Prae ceteris placuit Useneri inventum *idem*, quod et Halmius recepit neque Baehrensius repudiavit. Quo pronomine Saturnus non incommode sed sine necessitate denuo designatur, ad orationis formam nihil confert. In qua nos duae res potissimum male habent, prima, quod *de suo nomine*, quae verba cum *reliquerunt* coniungi non possunt, non habere videntur, quo niti possint, altera, quod *uterque* post Saturnum Ianumque ante significatum in eadem sententia parum apte infertur, ut eo indicio colligi possit, haec non unius ambitu sententiae comprehendi. Prius illud incommodum Dombartus persensit et evitavit cum *indito de suo nomine* proponeret, quod Cornelisseno probavit, alteri non consuluit. Nos utrique ut prospiciamus, codicis vestigia prementes, pro pronomine verbum, non *dedit* quod ille habet sed quod non longe ab eo discedit *condidit* restituimus; quod si in codice exaratum erat, ut solet, *c̄didit*, in promptu erat ansa erroris qui *dedit* procreavit: quo modo apud Senecam in codice Ambrosiano dialogorum ut saepe scribitur *c̄ligaturum*, *c̄pulit*, *c̄temnit*, similia, ita de ira III 36, 4 extr. *rectorem*, quod debebat esse *correctorem* h. e. *c̄rectorem**).

*5) *rudes* et *agrestes* componit, ut c. 12, 7 *satis est pro pedibus aspicere maxime indoctis inpolitis, rudibus agrestibus,* ubi *rudibus* Baehrensius delevit, ut tria sint, quae nobis duo paria esse videntur, velut 12, 2 *egetis algetis, opere fame laboratis,* quae item eodem consilio Baehrensius deformavit; duo paria voluit Minucius etiam c. 24, 1 *sciunt norunt, inculcant insident;* quamquam editores ea non ferunt; et saepe alibi Minucius similia comparavit, *imperant regnant, pallidi trepidi, patitur dissimulat, uri cremari, mortuis exstinctis*, quae omnia aut aliter explicantur aut corrigendo, delendo, transponendo removentur.

*29) [Apud Valerium Maximum p. 245, 4 Kempf. (ed. II) *bene ficiendi belli* codd., m. alt. *faciendi* corr., sed probe restitutum est *conficiendi* (*c̄ficiendi*); ibid. p. 274, 17 *eius rei scientiam* codd., ubi *conscientiam* reponitur.]

Quod si scripsit ita Minucius, ut putamus, *et urbem Saturniam condidit de suo nomine et Ianiculum Ianus* (scilicet *de suo nomine*), dicendi genus secutus est quo Iustinus utitur cum scribit (XLIII 1, 12) *cum Aeneas iure victoriae utroque populo potiretur, urbem ex nomine uxoris Lavinium condidit*, et Hyginus fab. 186 extr. *qui in Propontide ex suo nomine condiderunt Boeotus Boeotiam, Aeolus Aeoliam**). Accedit quod Minucius, qui haec quae scribit (5) *latebram suam quod tuto latuisset vocari maluit Latium* ex Vergilio sumpsit qui dicit (Aen. VIII 322)

Latiumque vocari
maluit his quoniam latuisset tutus in oris,

etiam illa, si verum est quod proposuimus, ad exemplum Vergilianum videri potest conformasse, apud quem eodem tenore (Aen. VIII 357) haec habentur

hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem,
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Quantam autem familiaritatem Minucius cum Vergilii carminibus contraxerit, vel illa documento sunt quae c. 19, 1. 2 exponit: de quibus, quia videmus cum ab aliis tum a novissimo editore parum recte iudicari, in transcursu dicemus beviter. Etenim cum ita dicat Minucius

Audio poetas quoque unum patrem divum atque hominum praedicantes et talem esse mortalium mentem qualem parens omnium diem induxerit. Quid Mantuanus Maro? nonne apertius proximius verius principio ait caelum ac terras et cetera mundi membra spiritus intus alit et infusa mens agitat, inde hominum pecudumque genus et quicquid aliud animalium? Idem alio loco mentem istam et spiritum deum nominat. haec eius verba sunt

deum namque ire per omnes
terrasque tractusque maris caelumque profundum,
unde homines et pecudes, unde imber et ignes,

*7) [Servius in Verg. bucol. 6, 72 *victor duas urbes condidit, unam Pergamum de nomine Pergami, alteram Grynium ex responso Apollinis.* Hieronymus in Euseb. ad a. A. 2005 *Herodes Caesariam in nomine Caesaris condidit.*] In Origine gentis Romanae quod scribitur c. 9, 4 (*Aeneam*) *Aenum ex suo nomine condidisse* ad superiorum usum formatum est. Ceterum Minucius quod *de suo nomine* maluit (ut Servius) quam *ex*, adamavit illam prae hac praepositionem etiam alibi, velut c. 20, 4; 21, 10; 25, 5 *de manubiis* et c. (*ex manubiis, ex praeda,* apud Gellium XIII 25); 33, 3.

Quid aliud et a nobis deus, quam mens et ratio et spiritus praedicatur,

priorem istum locum paulo liberius formavit ad ea quae in Aeneidos sexto leguntur a v. 724

principio caelum ac terras camposque liquentes
lucentemque globum lunae Titaniaque astra
spiritus intus alit totamque infusa per artus
mens agitat molem et magno se corpore miscet.
inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum
et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus,

alterum quem ad verbum affert sumpsit ex Georgicon quarto (221)

deum namque ire per omnia
terrasque tractusque maris caelumque profundum:
hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum;

sed qui ibi tertius est, eum Minucius non attulit, attulit qui sententiam similem habet Aeneidos I 743

unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignes.

Quid hic interpolati? Erravit scriptor et ex versibus duobus qui eius menti haerebant similem sententiam habentibus non eum posuit quem debuit sed eius comparem; nam sententiam ipsam quae est in ambobus quod abesse noluit, non magis mirum est quam quod eandem superiore loco (6) non praetermisit, quae praesertim faciat ad scriptoris consilium hoc quoque docentis omnia esse a deo uno procreata. Quamobrem versum mancum qui est apud Minucium (11), *unde homines et pecudes,* editores confidenter supplere et corrigere debebant: error enim librarii manifestus est: *unde homi*[num ge]*nus et pecudes;* neque vero credibile vel interpolatorem, nedum Minucium ipsum, mutilum versum maluisse quam integrum apponere. Non minus certa est Minucii imitatio Vergiliana in iis quae c. 23, 6 de Iovis fulmine cum Aeneae armis in incude fabricato narrantur: quae ad Aeneidos octavi versus inde a 423 redire vel illa de Aeneae armis memorata produnt. Quorum cum nihil perspexisset Baehrensius, non solum cum Halmio de Ursini opinione Minucii verbis *Vulcanum* inculcavit, ubi Vulcani partes nullae esse poterant (neque enim Vulcanus fabricatur Iovis fulmen aut Aeneae arma, sed Cyclopes Vulcani operae, id quod vel Minucii ipsius narratio subindicat, et praeter Vergilium Cicero testatur de div. II 19, 43), sed, ne quod vestigium veri exstaret,

verba *cum Aeneae armis* ea qua praestabat facilitate mutavit in haec *sub Aetnae antris.*

Sed nobis illuc redeundum est. Si enim recte *condidit* recuperavimus, habemus quidem quas volebamus duas sententias sed eas inter se non colligatas, *et urbem Saturniam condidit de suo nomine et Ianiculum Ianus: ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt;* et dubitatio suboritur, potuerintne eae sic seiunctae stare an fortasse vinculi quiddam detritum sit quo vinculo haec iuncta esse auctor voluerit. Orationi hoc modo melius consuletur idque commendatur facilitate restituendi: iunctura enim quamquam non uno modo reparari poterat, nihil tamen probabilius quam *que* particulam, ibi ubi facillime potuit, praetermissam, Minucium autem scripsisse

> *et urbem Saturniam condidit de suo nomine et Ianiculum Ianus ad memoriamq; uterque posteritatis reliquerunt**).

Quod ne quis a Minuciana oratione respui arbitretur, videantur quae 17, 2 scripsit *prona in terramque vergentia* et quae 3, 4 *sensim itaque tranquilleque progressi.*

IV. Ut redarguat quae Caecilius c. 6, 2 de imperio Romano per religionem et deorum cultum aucto et fundato affirmavit, Octavius c. 25 haec de initiis Romanis impietate ac scelere praecipue insignibus refert.

> *Nimirum insignis et nobilis iustitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est. 2. Nonne in ortu suo et scelere collecti et muniti immanitatis suae terrore creverunt? Nam asylo prima plebs congregata est: confluxerant perditi, facinerosi, incesti, sicarii, proditores, et ut ipse Romulus*
> 12 *imperator et rector populum suum facinore praecelleret, parricidium fecit. Haec prima sunt auspicia religiosae civitatis. 3. Mox alienas virgines iam desponsatas iam destinatas*

---

*15) [Haec improbavit Nordenus (*Götting. gel. anzeig.* 1904 *n.* 4 *p.* 305) in Dombarti opinionem relapsus. Cuius ego iudicio dubito accedere. Ut enim verba scripta sunt in codice *et urbem Saturniam dedit de suo nomine et Ianiculum Ianus ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt*, apertum est duas esse sententias, quae duo habeant verba, duo subiecta. Quae quoniam seiunctae vix placere possunt, ut coniungantur sive per *que* particulam sive alio quo modo non a me correcto *condidit* sed ipsa earum conformatione exigitur. Quare si quidem *dedit* quod sciam defendi non potest, quid probabilius quam ex verbo verbum ex minus apto aptius, ex *dedit condidit* restitui?]

> *et nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit violavit inlusit et cum earum parentibus, id est cum soceris suis, bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. Quid irreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia tutius?*

Haec exscribenda erant ut iudicari posset de extrema voce, quae est *tutius;* quae compluribus deinceps editoribus magnae offensioni fuit quamque variis, ut fit, commentis corrigere temptarunt: *atrocius, turpius, taetrius, astutius,* coniecturarum seges est in hoc fundo natarum. Quorum tamen nihil est, quod ex ipsa sententia aliquid firmamenti nanciscatur; nam his epithetis cum *confidentia sceleris* nihil esse communionis apparet. Qui vero sententiam intentius perspiciet ac pertemptabit, nullo negotio intelligere poterit, ad *sceleris confidentiam* apte referri non posse nisi unum, *tutius*: quippe scelus ipsum *tutum* reddere confidentia sceleris solet. In hanc sententiam Cyprianus scribit ad Demetrianum c. 11 (vol. I p. 358 Hart.) *in latronibus est utcumque aliqua scelerum verecundia, avias fauces et desertas solitudines diligunt, et sic illic delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris et nocte veletur. Avaritia palam saevit et ipsa audacia sua tuta in fori luce abruptae cupiditatis arma prostituit.* Nec vetustiores non similia saepius expresserunt, velut apud Senecam in Agamemnone Clytaemnestra ita secum deliberat (115)

> *da frena et omnem prona nequitiam incita:*
> *per scelera semper sceleribus tutum est iter,*

et Sallustius cum in Iugurtha c. 31, 13 *pars eorum occidisse tribunos plebis, alii quaestiones iniustas, plerique caedem in vos fecisse pro munimento habent: ita quam quisque pessime fecit tam maxime tutus est;* tum in oratione Lepidi (6) haec de Sulla dicit: *quin solus omnium post memoriam humani generis supplicia in post futuros composuit, quis prius iniuria quam vita certa esset, pravissimeque per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit, dum vos metu gravioris servitii a repetenda libertate terremini;* et in oratione Macri tr. pl. (13) *nunc animum advertere et nisi viceritis, quoniam omnis iniuria gravitate tutior est, artius habebunt.* Vel talia quale hoc est apud Livium (xxv 38, 18) *scio audax videri consilium; sed in rebus asperis et tenui spe fortissima quaeque consilia tutissima sunt,* ad declarandum dicendi genus, de quo agimus, non inutilia sunt. Sed quid nos aliena? Minucius ipse sibi subsidio est, qui paulo

ante (3) eandem sententiam verbis quidem aliis extulit, *muniti immanitatis suae terrore.* His nobis quidem satis probatum videtur, Minucium nihil aliud scribere potuisse quam quod est in codice *tutius.* Nisi quod comparativus displicebit, unde omnis orta dubitatio videtur. Quasi vero Minucius scripsisset *quid audacius, quid tutius,* aut summa vis sententiae in *tuto* esset ac non in *confidentia sceleris,* quae non longe distat ab impudentia (cf. Cic. pro Caec. 1, 2). Itaque hoc dicit, *quid audacius, quid impudentius,* aut *quid magis ita perpetratum est, ut ipsa confidentia sceleris scelus tutaretur.*

18 In iis quae praecedunt aegre ferimus quod Usenero obloquendum est, qui in his quibus Sabinarum raptus describitur (8) *mox alienas virgines iam desponsatas iam destinatas et nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit violavit inlusit* verba *iam desponsatas* damnavit ut spuria; id quod ille non Halmio quidem ut videtur aut Dombarto, sed H. Sauppio, sed Cornelisseno Baehrensioque, postremis editoribus, probavit. Nos ita sentimus, quae in translato dicendi genere Cicero de harusp. resp. 3, 6 in hunc modum copulavit *accedit etiam quod exspectatione omnium fortissimo et clarissimo viro, T. Annio, devota et constituta ista hostia esse videtur, cui me praeripere desponsam iam et destinatam laudem, cum ipse eius opera et dignitatem et salutem recuperarim, valde est iniquum,* ea nihil impedire quominus suo proprio sensu a Minucio composita statuamus, ita quidem ut anaphora adhibita vim rhetoricam non leviter extolleret, *iam desponsatas iam destinatas.* Nam quod *desponsam* Cicero, *desponsatas* Minucius scribit, temporum discrimen agnoscitur; quae enim vetustioribus *desponsa* erat, eandem posteriores *desponsatam* appellabant; itaque ad superiorum usum Festus (146, 24 Th.) ait *cum desponsa est,* ad posteriorum Paulus (p. 147) *cum puella desponsaretur.* Sed de anaphora tam in similibus, tam paribus si quis dubitet, ut mittamus talia vel Ciceronem non refugere, velut Acad. prior. II 24, 75 *videorne tibi, non ut Saturninus nominare modo inlustres homines, sed etiam imitari numquam nisi clarum, nisi nobilem,* istam si qua est offensionem tollet idem, quo supra usi sumus, Cyprianus, qui de mortalitate c. 25 (vol. I p. 313) ita scribit *si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus iam fatigata iam lassa aedificiis senectute labentibus ruinam proximam minaretur.* Haec ille: et nos non feremus in Minucio *iam desponsatas iam*

destinatas, ibi ubi hoc agebatur, ut has virgines, quas sine more rapuit Romulus, iam non suas fuisse cum pondere affirmaretur?

Post ea quae supra exscripta sunt Minucius eodem capite pergit haec de Romanorum religione irreligiosa exsequi.

> *Iam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis et altaribus, captos cogere, damnis alienis et suis sceleribus adolescere cum Romulo regibus ceteris et postremis ducibus disciplina communis est. 5. Ita quidquid Romani tenent, colunt, possident, audaciae praeda est: templa omnia de manubiis, id est de ruinis urbium, de spoliis deorum, de caedibus sacerdotum: hoc insultare et inludere est, victis religionibus servire, captivas eas post victorias adorare; nam adorare quae manu ceperis, sacrilegium est consecrare, non numina. 6. Totiens ergo Romanis impiatum est quotiens triumphatum, tot de diis spolia quot de gentibus et tropaea. Igitur Romani non ideo tanti quod religiosi sed quod impune sacrilegi: 7. neque enim potuerunt in ipsis bellis deos adiutores habere, adversus quos arma rapuerunt, et quos postulaverant detriumphatos colere coeperunt.*

In his multa sunt, de quibus seorsum ab editoribus sentimus; velut quod in hac sententia (11) *tot de diis spolia quot de gentibus et tropaea* cum Halmio plerique omnes nunc *de gentibus sunt tropaea**) 14
edunt, ei non probabitur, si quis in hoc genere scriptorum quam frequenter similibus sententiis *et* particula quamvis supervacanea addi soleat attenderit; sic Tertullianus, ne nihil sit exempli, contra gnost. 1 *tot venena quot et genera, tot pernicies quot et species, tot dolores quot et colores*, et idem saepissime, vel Cyprianus de bono patientiae c. 2 (vol. I p. 397) *tam illic patientia falsa est quam et falsa sapientia est;* vel idem, ne de positu particulae apud Minucium dubites, de opere et eleemos. c. 18 (p. 387) *quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur deo et numerus hostiarum.* Sed nos haec et similia non persequemur: de extremis

*23) Eadem correctione Halmius usus c. 19, 15 pro his quae sunt in codice *eadem fere et ista quae nostra sunt* edidit ceterisque probavit *eadem fere sunt ista quae nostra sunt;* sed postquam Minucius in eodem capite iam bis philosophorum cum christianis consensum memoravit 4 *vides philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare;* 5 *horum quoque similis de divinitate consensio est,* certe *et ista* habebat quo referretur.

tantum disputabimus dedita opera; in quibus (14) *postulaverant* per errorem scriptum esse neminem fugit; cuius emendandi causa quod a Dombarto propositum est *prostraverant* speciosum est multisque perplacuit, sed ubi suum locum in sententia occupabat, turbae oriebantur; quas ut pacarent *sed* posuerunt pro *et*, hac sententia separata a priore, in qua iam *rapuerant* maluerunt quam *rapuerunt* scribi. Itaque ab illo initio longius progredientibus denique haec oratio nata est *neque enim potuerunt in ipsis bellis deos adiutores habere, adversus quos arma rapuerant: sed quos prostraverant detriumphatos colere coeperunt.* Ita vero primae coniecturae, quae reliqua ex se peperit, probabilitas periit, nec sententia ipsa in hunc modum constituta placere potest, quae ab eo discedit, quod summum erat, cur deos hostiles Romani adiutores in bellis habere non potuerint. Itaque redeundum est ad traditam formam *neque enim potuerunt in ipsis bellis deos adiutores habere adversus quos arma rapuerunt et quos postulaverant detriumphatos colere coeperunt*, et hoc iam firmiter tenendum est par enuntiatorum relativorum *adversus quos arma rapuerunt et quos detriumphatos colere coeperunt* coniectando temptari non debere*); in quorum altero si tamen *prostraverant* (pro *postulaverant*) recipiendum est, hoc non potest fieri nisi addita particula temporali: *et quos* ubi (postquam) *prostraverant detriumphatos colere coeperunt;* sed hoc, ne quid de oratione dicamus, emendandi quidem probabilitate non commendatur; utrique melius satisfiet, ex *postulaverant* si recuperatur *post victoriam*, h. e. idem quod supra in simili oratione positum erat (8) *captivas eas post victorias adorare*, et quod in hac sententia propter *detriumphatos* aegre desiderari poterat; quod per errorem abiisse in *postulaverant* nemini incredibile videbitur cum deliberat, scribentes saepe specie duci quam ex primis syllabis capiunt totius vocabuli, et ex initio huius scripturae *poſtuict* si quis *poſtula* legere sibi visus erat, reliqua sua sponte sequebantur. Sed quidquid de erroris origine iudicatur, orationis formam non putamus posse inveniri quae aptior sit hac

neque enim potuerunt in ipsis bellis deos adiutores habere

*19) Idque Dombartus postea ipse perspexit, qui in editione a. 1881 *et quos* retinuit verbo *postulaverant* incluso. — In alteram partem longius processit Hartelius (ann. gymn. Austr. 1869 p. 357) qui hanc sententiam *Sed quos prostraverant, detriumphatos colere coeperunt* a superioribus seiunctam cum insequentibus maluit quadam ratione coniungi.

adversus quos arma rapuerunt et quos post victoriam) detriumphatos colere coeperunt.*

v. Caput 33 ab his sententiis orditur:

Nec nobis de nostra frequentia blandiamur: multi nobis videmur sed deo admodum pauci sumus; nos gentes nationesque distinguimus: deo una domus est mundus hic totus. Reges statum regni sui per officia ministrorum diversa noverunt: deo indiciis opus non est: non solum in oculis eius sed in sinu vivimus.

Quarum sententiarum quae est de regibus non ita tradita est in codice sed ab Halmio, adhibita Meursii coniectura *statum* . . *diversa*, constituta, eamque formam orationis tres deinceps editores Dombartus (nisi quod *officia m. universa* maluit), Cornelissenus, Baehrensius recipiendam duxerunt, neque vidimus omnino qui vel dubium moverit de veritate. Et tamen aut fallimur aut fidentius asseverare licet, haec irrita esse et reiectanea. Omittimus *diversa* vocem inutilem esse et quam nemo desiderasset nisi quid emendationis perficiendae causa efficiendum fuisset ex *universa*, quae est codicis scriptura, et *statum* ad *tantum* relatum, quod vulgabatur ante, habere aliquam probabilitatem, nullam si conferatur cum codicis scriptura quae est *tam̄* h. e. *tamen*. Sed quaerimus in his quae scripta sunt in codice

reges tamen regni sui per officia ministrorum universa noverunt: deo indiciis opus non est

quid sit quod non probe scriptum esse merito existimetur. Halmius quidem in praefatione (p. XXIV) *regni* . . *universa novisse* locutionem vix Latinam esse ait et Minucium alias aptius loqui solere. Quodsi verum esset, tamen cavendum erat, ne abiicienda *universi* notione, quae quid faceret ad sententiam ex ipsa facile percipiebatur, reponenda autem *diversa* voce inani plus damni orationi quam salutis afferretur: neque hoc Halmii sensum plane praeteriit, qui se antequam Meursii emendationem cognosceret *statum regni* . . *universum* coniecisse adnotat; quod erat ad sententiam commodius, coniecturae quidem probabilitatem adiuvare non poterat. Sed quod negat *regni universa* Latinum esse, redar-

*1) [Teste Dombarto (*wochenschr. f. class. philol.* 1904 p. 867 s.) *post victoriam* Heumannus iam proposuit sed ita ut hoc interpretamenti loco in margine positum fuerit, unde receptum in verba Minucii in *postulaverant* abierit. In quibus quid pravum sit in propatulo est.]

guitur vel his quae Ambrosius scribit in Hexaem. lib. I 9, 33 *repente per universa mundi fulgor lucis infusus*, quod nemo reprehendet, quamquam Ciceronem non ignoramus *totum mundum, mundum universum* plerumque appellare. Sed illud dicendi genus nullo tempore a Latini sermonis usu alienum erat: velut Varro, ut pauca memoremus, de ling. Lat. V 162 scribit *posteaquam in superiore parte cenitare coeperunt, superioris domus universa cenacula dicta;* ubi non utemur Spengelii commento qui *superior domus universa cenaculum dicta* scribendum proposuit; Catullus in c. 29, 23 *urbis (orbis) . . perdidistis omnia;* poeta Culicis 60 *et probet illis Omnia luxuriae pretiis;* nam Hauptium *illis somnia l. spretis* edentem non probamus neque secutus est Fr. Leo; Gellius XIV 1, 3 *crederemus omnia rerum humanarum et parva et maxima tamquam stellis atque sideribus evincta duci;* denique Ulpianus in Digestis Mommsenianis I p. 89, 2 *ita demum transferri a praetore iudicium permittatur, si quis omnia iudicii ab eo transferre paratus sit; ceterum si velit quaedam transferre, quaedam relinquere, iuster opcurator hanc inconstantiam recusabit:* sic enim, *omnia iudicii,* non *iudicia* recte scribi Mommseni adnotatio probat. Quodsi *regni . . universa* Minucio adimendum non est, actum est de reliqua emendatione, nec dubitabimus iam retinere quae sunt in codice *reges tamen regni sui per officia ministrorum universa noverunt: deo indiciis opus non est;* in quibus *tamen* particula quid sibi velit, quamquam interpretes non videntur perspexisse, sententiarum contrariarum ratio patefacit; quae nunc plane eandem in vim posita est quam habet apud Ciceronem cum scribit (de nat. deor. I 36, 101) *ita concludam, tamen beluas a barbaris propter beneficium consecratas, vestrorum deorum non modo beneficium nullum exstare sed ne factum quidem omnino;* vel de div. II 38, 80 *Etrusci tamen habent exaratum puerum auctorem disciplinae suae: nos quem?*, et Acad. pr. II 19, 61. Neque insolens est iste usus particulae, cuius plurima sunt exempla vel apud Livium, qui ita scribit XXVIII 27, 5 *et illi tamen Mandonium atque Indibilem duces furoris secuti sunt, vos auspicium et imperium ad Umbrum Atrium et Calenum Albium detulistis;* aut V 51, 3 *et cum victoribus Gallis capta tota urbe Capitolium tamen atque arcem diique et homines Romani tenuerint habitaverint, victoribus Romanis recuperata urbe arx quoque et Capitolium deseretur?* Ceterum apud Minucium particula eum locum obtinet quem apud Ciceronem (de nat. deor. l. c.), non ut addita

sit ei voci cui inservit, sed ut totam potius sententiam amplectatur. Verum fortasse erit qui in isto ordine orationis cum bis seiungantur quae coniungi oportebat offendat eumque nostris rationibus repugnare instet. Cui primum concedendum est potuisse haec ea serie ordinari quam sententia monstrabat, *reges tamen per officia ministrorum regni sui universa noverunt;* sed quod verba *per officia ministrorum,* in quibus pondus est sententiae, media inter cohaerentia illa *regni sui . . universa* interposita sunt, non minuitur vis sed extollitur; et videmus Minucium saepius secundum casum a suo nomine interpositis aliis non inconsulto separare, velut c. 19, 4 *vides philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare,* aut ibidem 14 *quae tota esset caelestis nisi persuasionis civilis nonnumquam admixtione sordesceret.* Quae vulgaria sunt neminique suspicionem movent, immo fortasse ut egregie formata laudantur. Sed idem cum scripserit (putamus enim scripsisse) c. 18, 6 *generi et soceri bella toto orbe diffusa sunt, et tam magni imperii duos fortuna non cepit,* novissimi ex arbitratu vetustioris praecipiunt ordinem mutandum esse, *tam magni imperii fortuna duos non cepit.* Quidni? Lucanus ait (I 111) *Non cepit fortuna duos,* et Florus II 13 (p. 96, 2 Iahn.) *tamquam duos tanti imperii fortuna non caperet.* His enim locis ipse adeo Halmius usus est ut istam opinionem sublevaret. Eamne igitur ob causam Minucio non licebat scribere *tam magni imperii duos fortuna non cepit,* et docti homines ne sentiunt quidem cur hoc ille maluerit? Qui si sibi constitissent, eundem vetare debebant scribere quae c. 29, 1 leguntur *nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere est:* poterat enim *etiam pluribus defendere turpe est,* sed attentius rimanti non temere videbitur illud alterum ante habuisse, non magis quam Cicero (Acad. post. II 34, 108) *sed brevi res potest tota confici* inconsulto scripsit cum posset *sed brevi potest res tota confici,* aut (de nat. deor. I 33, 91) *mihi quidem admirari luberet in homine esse Romano tantam scientiam.* Sed haec levia sunt: gravius illud, quod apud Minucium quae leguntur c. 30, 4 *Tauris etiam Ponticis et Aegyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare, et Mercurio Gallos humanas vel inhumanas*) victimas caedere, Romani Graecum et Graecam*

*35) Halmio verba *vel inhumanas* suspecta erant de glossemate, neque improbarunt posteriores. Videntur lusum non perspexisse: *humanas hostias* Livius dixit loco supra allato, item Sallustius in or. Lepid. 14 *simul humanas hostias vidistis;* humanae autem hostiae vel victimae dicuntur homines qui

Gallum et Gallam sacrificii viventes obruere variis modis deformarunt deturparuntque, ob eam causam, quia aut intelligere aut tolerare noluerunt Minucium dicere *Romani sacrificii* (sc. *fuit*) *Graecum et Graecam Gallum et Gallam viventes obruere*, maluisse autem haud obscuro consilio cum *Romani* statim *Graecum et Graecam Gallum et Gallam* coniungere; et si esset *Romani Graecam sacrificii viventem obruere*, neminem putamus offensurum fuisse, sed ne nunc quidem, quoniam haec *Graecum et Graecam, Gallum et Gallam* quasi unius notionis vinculo continentur, coniecturis indulgeri par est; atque illa inprimis quae sunt *Romani .. sacrificii* correctionem non recipere, indicio videntur Livii verba, quorum fortasse memor fuit ipse Minucius cum illa scriberet (XXII 57, 6) *interim ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quae Gallus et Galla, Graecus et Graeca in foro boario sub terram vivi demissi sunt in locum saxo consaeptum iam ante hostiis humanis, minime Romano sacro, imbutum.* Sed subsistimus ne etiam longius abripiamur et ad alios scriptores traducamur, quandoquidem alibi quoque videmus artificiosiore collocatione verborum mirifice nonnumquam doctos irretiri et a vero abduci. Interea de Minucii loco cui hoc caput dicavimus desinant dubitare.

VI. Quae de incendio mundi exponuntur c. 34, 1

Ceterum de incendio mundi aut improvisum ignem cadere aut difficile, non credere vulgaris erroris est. Quis enim sapientium dubitat, quis ignorat, omnia quae orta sunt occidere, quae facta sunt interire? caelum quoque cum omnibus quae caelo continentur, ita ut coepit, si desierit fontium dulcis aqua maria nutrire, in vim ignis abiturum Stoicis constans opinio est, quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat, et Epicureis de elementorum conflagratione et mundi ruina eadem ipsa sententia est

ea ita quemadmodum supra scripsimus Halmius de opinione Dombarti constituit eandemque conformationem recentissimis editoribus probavit. Quae nobis iam olim incredibilia visa sunt, neque um-
18 quam dedocti sumus. Non loquimur de ipso initio, de quo satis certa afferri posse diffidimus, sed de iis quae Dombarto auctore

pro hostiis vel victimis mactantur. Sed quia humana dicuntur etiam quae hominum moribus digna sunt, hac ambiguitate nominis ludens dicit *humanas vel inhumanas victimas,* h. e. humanas victimas, quae proprie vocantur, sed quae rectius inhumanae vocarentur.

effecta sunt (5) *ita ut coepit si desierit.* Si enim a verbis (4) *caelum quoque* Minucius Stoicorum opinionem de incendio mundi enarrare incipit, haeremus in *quoque* particula, haeremus in verbis *ita ut coepit,* quae plane pendent neque inveniunt cui adhaerescant, haeremus denique in hac mirifica ratione qua universae sententiae de interitu rerum omnium quae ortae sunt nullo probabili transitu facto adnectuntur et haec Stoicorum opinio et reliquorum philosophorum sive de incendio sive alia quacumque ruina mundi sententiae. Hae quas significamus offensiones nullae sunt, si codicem explicamus eiusque memoriam sequimur; ubi hae se sententiae excipiunt:

> *Quis enim sapientium dubitat, quis ignorat, omnia quae orta sunt occidere, quae facta sunt interire, caelum quoque cum omnibus quae caelo continentur ita ut coepisse desinere.*

Quae plane egregia sunt: nunc quod universe de omnibus quae orta vel facta sunt, idem de caelo *quoque* dicitur, et perapte, ut supra *quae orta sunt occidere, quae facta sunt interire,* sic nunc de caelo *ita ut coepisse desinere,* quoniam ex initio sumpto desinendi necessitas deducitur, velut Seneca in simili disputatione scribit ad Polybium 1, 1 *ceterum quidquid coepit et desinit,* et Cicero saepius, de nat. deor. I 8, 20; I 10, 26 *quasi non omne quod ortum sit mortalitas consequatur,* I 24, 68 *si ortus est deorum, interitus sit necesse est,* Minucius denique ipse c. 21, 10 *moritur omne quod nascitur* (cf. 11, 3). Quo magis apparet haec non posse separari ac distrahi *caelum quoque ita ut coepisse desinere,* quodque non *ita ut coepit desinere,* sed concinnius etiam duplici infinitivo posito loquitur, in proximo habet exemplum (10) *hominem a deo ut primum potuisse fingi ita posse denuo reformari,* quamquam eodem tenore statim altera forma sequitur *sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari.*

Ab his autem, quae sic uti scripta sunt in codice defendimus, interstitio quodam maiore separata sunt quae insequuntur:

> *fontium dulcis aqua maria nutrire, in vim ignis abiturum Stoicis constans opinio est, quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat.*

Haec apparet nonnulla parte truncata esse: nova sententia transitus parandus erat ab illis universe dictis ad enumerandas singulorum philosophorum sententias; desideratur etiam aliquid ad integritatem sententiae quae condicionem indicat qua mundum in vim ignis

abiturum credunt Stoici. Haec plura sunt quam quae certius restitui possint: satis sit sententiam qualis fere fuerit significasse. In qua re nos Cicero adiuvat, cuius libros de natura deorum quanto studio Minucius amplexus fuerit, multa sunt quae doceant; itaque nunc ad suas rationes rettulit quae II 46, 118 leguntur: *sunt autem,* inquit Stoicus Tullianus, *stellae natura flammeae: quocirca terrae maris aquarum vaporibus aluntur iis qui a sole ex agris tepefactis et ex aquis excitantur: quibus altae renovataeque stellae atque omnis aether refundunt eadem et rursum trahunt indidem, nihil ut fere intereat aut admodum paulum, quod astrorum ignis et aetheris flamma consumit. Ex quo eventurum nostri putant . . ut ad extre-*
19 *mum omnis mundus ignesceret, cum humore consumpto neque terra ali posset neque remearet aer, cuius ortus aqua omni exhausta esse non potest: ita relinqui nihil praeter ignem* eqs. Sed accedit locus alter ex libro tertio 14, 37 ubi haec leguntur: *non iisdem vobis placet omnem ignem pastus indigere nec permanere ullo modo posse nisi alatur? ali autem solem lunam reliqua astra aquis, alia dulcibus, alia marinis?* Quorum itidem Minucius cum illa scriberet recordatus videtur. Unde intelligitur apud Minucium non id dici quod videri poterat, *dulcem aquam maria* nutrire, sed haec duo *dulcis aqua* et *maria* pari iugo connexa nescio quid aliud, astra videlicet, nutrire dicebantur, fuitque fortasse de perpetua Minucii consuetudine ita scriptum: *fontium dulcis aqua* [et aqua] *marina.* Sed hoc utut est, totius quidem loci rationem videmur nobis recte patefecisse et auctores sumus, haec ut in posterum ita edantur.

> *Quis enim sapientium dubitat, quis ignorat, omnia quae orta sunt occidere, quae facta sunt interire, caelum quoque cum omnibus quae caelo continentur ita ut coepisse desinere.* * * * *fontium dulcis aqua maria nutrire, in vim ignis abiturum, Stoicis constans opinio est, quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat.*

VII. Adhuc Minuciani libelli ordinem secuti sumus: nunc praeter ordinem de capite asini disseremus, cuius mentio fit c. 9, 3, ubi haec vulgo leguntur.

> *Nec de ipsis, nisi subsisteret veritas, maxime nefaria et honore praefanda sagax fama loqueretur. Audio eos turpissimae pecudis caput* [*asini*] *consecratum inepta nescio qua persuasione venerari: digna et nata religio talibus moribus.*

Quae verba (nam de re omnia nota sunt neque oratio nostra de-

sideratur) haec igitur verba quod non suo loco tractavimus, timidi sumus et cum in unam omnes opinionem ruere videamus, si iis quae vulgo probantur assentiri non possumus, palam tamen cunctis repugnare verecundia prohibente non audemus. Itaque cunctabundi hanc quaestionem asininam identidem reiecimus, et praestabat fortasse eam omnino non tetigisse. Sed denique res animum pupugit, ut contra non audenter sed modeste ire conaremur, si quid forte vinceremus: verum si iam id quod volumus non assequimur, erit tamen fortasse qui hanc non frustra a nobis sumptam operam fateatur.

Itaque quis non affirmavit post Davisium *asini* illo loco non scriptum esse a Minucio sed ab interpolatore adiectum, qui eam vocem ex Octavii responso sumpserit (c. 28, 7) ita huic convicio occurrentis *inde est quod audire te dicis caput asini rem nobis esse divinam.* Eamque opinionem posteaquam Halmius quoque probavit, nemo est posteriorum editorum qui non *asini* nomen notaverit ut spurium: eiecit enim nemo, ac videntur paene specie duci ut quam vocem deletum iverunt eam tamen ita habeant quasi adesset. Quare ne nos impediat ac ludat vocabulum, quod abesse volunt, age consideremus ea quae restant, illo ut oportebat reiecto: *audio eos turpissimae pecudis caput consecratum inepta nescio qua persuasione venerari.* Quamnam igitur *turpissimam pecudem* dicit Caecilius? in unum enim asinum hoc cadere, ut cum *turpissima pecus* appelletur, nemo nisi de asino cogitet, quis hoc contenderit, 20 et Ennius *simia* inquit *quam similis turpissima bestia nobis.* Hoc autem in ambiguo relinquere, ut ex adversarii demum responso legentes comperiant, cuius pecudis caput dicatur, non nimis prudentis esse consilii videtur. Quare si interpolator *asini* vocem addidit, scriptoris socordiam aliqua parte sublevasse iudicandus est. At, inquiunt, collocatio prodit manum interpolatricem: *audio eos turpissimae pecudis caput asini consecratum venerari.* Hoc ergo est quod vindicari oporteat, ut si forte contigerit, interpolati suspicione nomen levetur. Ac nos dum haec legimus quae sunt apud Festum p. 146, 29 Th. — *minimi habeatur* (flamen) *Pomonalis quod Pomona levissimo fructui agrorum praesidet pomis*, videmur eandem orationis formam agnoscere quae est apud Minucium, *turpissimae pecudis caput asini consecratum venerari;* et si Paulus diaconus Festina illa sic refert *quod Pomona levissimo fructui agrorum praesidet, id est pomis*, non est quod eas voculas aut

Festo addamus aut Minucio, sed apertius ratio indicatur qua descriptioni nomen appositi loco sed media voce interiecta adnectitur. Hoc vero genere appositorum saepius usi sunt veteres, velut Seneca scribit ad Marciam 1, 4 *si illum ob duas res pulcherrimas in oblivionem coniectum eloquentiam et libertatem non eruisses;* artificiosius paulo sed in summa rei compariter Apuleius Metam. VI 15 *optimi Iovis regalis ales illa repente propansis utrimque pinnis affuit rapax aquila;* et ibidem VI 12 *inde de fluvio musicae suavis nutricula leni crepitu dulcis aurae divinitus inspirata sic vaticinatur arundo viridis.* Cadit autem haec ratio maxime in nomina propria illo modo, h. e. seorsum a praemissa laudatione, adiecta, velut apud Ciceronem pro Sestio c. 3, 7 *duxit [iterum] uxorem patre vivo optimi et calamitosissimi viri filiam L. Scipionis.* Putamus enim hoc revera idem genus esse, aut quid hoc differre dicimus sive a Minucii verbis *turpissimae pecudis caput asini consecratum,* sive a Festi *levissimo fructui agrorum praesidet pomis,* reliquisque quae attulimus. Sed addimus alia; pro Muren. 9, 20 *fortissimo et sapientissimo viro, summo imperatori legatus L. Lucullo fuit;* ubi non defuit qui nomen proprium demendum censeret. Nempe sic solent praeclari critici: subitis opinionibus abrepti culpant damnant delent: quod ipsis placet tantum consulere, numquam quid veteribus probatum fuerit, accurata observatione persequi. Itaque in his quae Cicero scribit ad Atticum (I 19, 8) *ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam νᾶφε κτλ.*, inde a Manutio nomen poetae tantum non omnes sustulerunt. Sed iidem qui in illa re Manutium probant patienter ferunt quae leguntur Tusc. disp. IV 2, 3 *gravissimus auctor in Originibus dixit Cato morem apud maiores hunc epularum fuisse.* An vafrum illum Siculum magis notum fuisse quam Originum scriptorem putant? Collocatio autem nominis utrobique eadem est. In qua re illud quoque reminiscendum est, veteres nec solum Romanos, etiam Graecos (de quorum usu nonnulla in prooemio indicis lect. hib. a. 1885/86 p. 10 exposita sunt) saepe nomina addere solere ubi opus non erat addi sed tantum plenioris ac rotundioris efficiendae orationis causa. Sed illa nunc nos non persequimur: de loco tantum appositorum agimus. Cuius generis
21 haec etiam enumeramus: de orat. I 16, 69 *constat, hominem ignarum astrologiae ornatissimis atque optimis versibus Aratum de caelo stellisque dixisse;* ibid. II 3, 10 *sive iudicio ut soles dicere sive ut ille pater elo-*

quentiae de se Isocrates scripsit ipse, pudore a dicendo . . refugisti; ubi nomen Kayserus induxit, defendit Sorofius; Tusc. disp. I 18, 41 *sed hic quidem* (Aristoxenum dicit) *quamvis eruditus sit, sic ut est, haec magistro concedat Aristoteli, canere ipse doceat;* ibid. III 15, 31 *hic est enim ille vultus semper idem quem dicitur Xanthippe praedicare solita in viro suo fuisse Socrate,* quod ne C. F. W. Muellerus quidem perferendum duxit, sed nulla parte dispar est ceteris et numerus orationis requirit nomen adiectum; de nat. deor. II 34, 88 *quam nuper familiaris noster effecit Posidonius;* ibid. III 32, 80 *cur sodalis meus interfectus domi suae Drusus? cur temperantiae specimen ante simulacrum Vestae pontifex maximus est M. Scaevola trucidatus?* 81 *cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnavit?* Sed ne in uno Cicerone haereamus, cuius permulta addi possunt*), Livianum unum apponimus, XXVII 34, 7 *donec cognati hominis eum causa M. Livii Macati, cum fama eius ageretur, stantem coegit in senatu sententiam dicere,* unum etiam Iustini, V 6, 10 *crudelitatem civium metuens cum octo navibus ad regem Cypriorum concedit Euagoram.*

Ad Minucium tandem ut redeamus, satisne existimabimur explicato usu late patente tutati esse verba eius *turpissimae pecudis caput asini?* Qui quidem nobis videtur, quia scite, quo erat subtili elegantiae sensu, suum apposito locum assignavit, iniquissime vituperatus esse a doctis et parte quadam sua spoliatus.

VIII. Finem facimus disputationis Minucianae in Platone. Cuius in Phaedone cum multa praeclara sunt tum illa quae gratissimo lepore Socrates de causis et originibus *μισολογίας* et *μισανθρωπίας* exsequitur h. e. sermonum odii et odii hominum paribus

---

*13) Est etiam aliud genus nominum a Cicerone additorum praeter necessitatem quod criticis valde odiosum est: talia dicimus Tusc. disp. III 32, 77 *et tamen non satis mihi videtur vidisse hoc Cleanthes, suscipi aliquando aegritudinem posse ex eo ipso quod esse summum malum Cleanthes ipse fateatur;* delent alterum nomen cum Bakio plerique; ibid. II 7, 17 *magna mehercule laus et eo ipso, per quem iuravi, Hercule, digna:* delent *Hercule* iidem. Neque negamus utrobique nomen abesse potuisse, dubitamus quam recte tollatur quod Cicerone non indignum erat. Ceterum sine offensione leguntur haec de div. I 54, 123 *idem etiam Socrates, cum apud Delium male pugnatum esset Lachete praetore fugeretque cum ipso Lachete, ut ventum est in trivium, eadem qua ceteri fugere noluit.* Addimus Acad. pr. II 14, 45 *nam qui voluit subvenire erroribus Epicurus iis qui videntur conturbare veri cognitionem . . nihil profecit.* Delet nomen cum Baitero Muellerus, sed hoc propius accedit ad appositorum genus de quo supra dicimus; neve haereas in eo quod medium est nomen in *erroribus iis,* cf. de nat. deor. II 9, 24.

radicibus nascentium. Ex qua parte sermonis pauca selegimus quae cum nostro consilio coniuncta sunt: primum illa, ex quibus occasio rei cognoscitur, p. 138, 27 Sch.

πάντες οὖν ἀκούσαντες εἰπόντων αὐτῶν ἀηδῶς διετέθημεν, ὡς ὕστερον ἐλέγομεν πρὸς ἀλλήλους, ὅτι ὑπὸ τοῦ ἔμπροσθεν λόγου σφόδρα πεπεισμένους ἡμᾶς πάλιν ἐδόκουν ἀναταράξαι καὶ εἰς ἀπιστίαν καταβαλεῖν οὐ μόνον τοῖς προειρημένοις λόγοις ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ ὕστερον μέλλοντα ῥηθήσεσθαι, μὴ οὐδενὸς ἄξιοι εἶμεν κριταὶ ἢ καὶ τὰ πράγματα
22 *ἄπιστα εἴη.* — Deinde de re ipsa p. 140, 21 *ἀλλὰ πρῶτον εὐλαβηθῶμέν τι πάθος μὴ πάθωμεν. Τὸ ποῖον; ἦν δ' ἐγώ. Μὴ γενώμεθα, ἦ δ' ὅς, μισόλογοι ὥσπερ οἱ μισάνθρωποι γιγνόμενοι, ὡς οὐκ ἔστιν, ἔφη, ὅ τι ἄν τις μεῖζον τούτου κακὸν πάθοι ἢ λόγους μισήσας. γίγνεται δὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τρόπου μισολογία τε καὶ μισανθρωπία. ἥ τε γὰρ μισανθρωπία ἐνδύεται ἐκ τοῦ σφόδρα τινὶ πιστεῦσαι ἄνευ τέχνης, καὶ ἡγήσασθαι παντάπασί γε ἀληθῆ εἶναι καὶ ὑγιῆ καὶ πιστὸν τὸν ἄνθρωπον, ἔπειτα ὀλίγον ὕστερον εὑρεῖν τοῦτον πονηρόν τε καὶ ἄπιστον καὶ αὖθις ἕτερον· καὶ ὅταν τοῦτο πολλάκις πάθῃ τις, καὶ ὑπὸ τούτων μάλιστα οὓς ἂν ἡγήσαιτο οἰκειοτάτους τε καὶ ἑταιροτάτους, τελευτῶν δὴ θαμὰ προσκρούων μισεῖ τε πάντας καὶ ἡγεῖται οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιὲς εἶναι τὸ παράπαν . . . καὶ δῆλον ὅτι ἄνευ τέχνης τῆς περὶ τἀνθρώπεια ὁ τοιοῦτος χρῆσθαι ἐπιχειρεῖ τοῖς ἀνθρώποις.* — P. 141, 24 *ἀλλὰ ταύτῃ μὲν οὐχ ὅμοιοι οἱ λόγοι τοῖς ἀνθρώποις . . ἀλλ' ἐκείνῃ, ἐπειδάν τις πιστεύσῃ λόγῳ τινὶ ἀληθεῖ εἶναι ἄνευ τῆς περὶ τοὺς λόγους τέχνης, κἄπειτα ὀλίγον ὕστερον αὐτῷ δόξῃ ψευδὴς εἶναι, ἐνίοτε μὲν ὤν, ἐνίοτε δ' οὐκ ὤν, καὶ αὖθις ἕτερος καὶ ἕτερος·* . . . 142, 11 *οὐκοῦν οἰκτρὸν ἂν εἴη τὸ πάθος, εἰ ὄντος δή τινος ἀληθοῦς καὶ βεβαίου λόγου καὶ δυνατοῦ κατανοῆσαι, ἔπειτα διὰ τὸ παραγίγνεσθαι τοιούτοις τισὶ λόγοις τοῖς αὐτοῖς τοτὲ μὲν δοκοῦσιν ἀληθέσιν εἶναι, τοτὲ δὲ μή, μὴ ἑαυτόν τις αἰτιῷτο μηδὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀτεχνίαν, ἀλλὰ τελευτῶν διὰ τὸ ἀλγεῖν ἄσμενος ἐπὶ τοὺς λόγους ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν αἰτίαν ἀπώσαιτο καὶ ἤδη τὸν λοιπὸν βίον μισῶν τε καὶ λοιδορῶν διατελοῖ, τῶν δὲ ὄντων τῆς ἀληθείας τε καὶ ἐπιστήμης στερηθείη.*
Huius disputationis memor fuit ut videtur Minucius*) cum finita

*38) In adnotatione addimus, quae scribit Minucius c. 16, 1 *ut convi-*

Caecilii accusatione priusquam Octavius ad respondendum illius criminibus et conviciis se daret de recta disputandi ratione similem in modum dissereret c. 14, 3

> — — *quamquam magnum in modum me subtili varietate tua delectarit oratio, tamen altius moveor, non de praesenti actione, sed de toto genere disputandi, quod plerumque pro disserentium viribus et eloquentiae potestate etiam perspicuae veritatis condicio mutetur. 4. Id accidere pernotum est auditorum facilitate, qui dum verborum lenocinio a rerum intentionibus avocantur, sine dilectu adsentiuntur dictis omnibus nec a rectis falsa secernunt nescientes inesse et in incredibili verum et in verisimili mendacium. 5. Itaque quo saepius adseverationibus credunt, eo frequentius a peritioribus arguuntur: sic adsidue temeritate decepti culpam iudicis transferunt ad incerti querellam, ut damnatis omnibus malint universa suspendere quam de fallacibus iudicare. 6. Igitur nobis providendum est ne odio identidem sermonum omnium laboremus, ita ut in exsecrationem et odium hominum plerique simpliciores efferantur. nam incaute creduli circumveniuntur ab iis quos bonos putaverunt: mox errore consimili iam suspectis omnibus ut improbos metuunt etiam quos optimos sentire potuerunt.*

Apertum est vel obiter legenti haec cum illis cum in universo disputationis argumento tum in multis sententiis singulis magnum in modum conspirare: quae singillatim persequi velle per omnia otiosum est. Tantum dicimus brevi: Minuciana qui impenso studio ad Platonis exemplum rettulerit sic scribenda esse intelliget ut supra ad codicis fidem exacta dedimus, neque aut *iudicis* (11) mutandum fuisse aut *adsidue* (11) vel quod sequitur *identidem* (14), quorum utrumque ex Platonis oratione satis fidei nanciscitur; eum vero editorum Minucii qui *taedio* scribi oportere pro *odio sermonum* (14) coniectaret longius a vera ratione aberrasse. Scr. m. Decembri a. MDCCCXCIII.

---

ciorum amarissimam labem verborum veracium flumine diluamus, in memoriam revocare quae sunt apud Platonem in Phaedro p. 23, 11 *ἐπιθυμῶ ποτίμῳ λόγῳ οἷον ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύσασθαι.* [Similia plura persecutus est I. P. Waltzing *Platon, source directe de Minucius Félix* (*Le Musée Belge, Revue de Philologie classique*) 1904, qui Phaedonis quoque verba, quae supra scripsi, a Minucio ipsa lecta et expressa esse affirmat.]

XL. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1894/95.

3 M. Cicero ut hominibus cognitionis cupiditatem natura ingeneratam esse probet haec scribit in quinto de finibus c. 18 *Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmusne ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur, ut pulsi recurrant, ut aliquid scire se gaudeant, ut id aliis narrare gestiant, ut pompa, ludis atque eiusmodi spectaculis teneantur ob eamque rem vel famem et sitim perferant? Quid vero qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem omniaque perpeti ipsa cognitione et scientia captos et cum maximis curis et laboribus compensare eam quam ex discendo capiant voluptatem? Mihi quidem Homerus huiusmodi quiddam vidisse videtur in iis quae de Sirenum cantibus finxerit. Neque enim vocum suavitate videntur aut novitate quadam et varietate cantandi revocare eos solitae qui praetervehebantur, sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhaerescerent. Ita enim invitant Ulixem (nam verti ut quaedam Homeri sic istum ipsum locum)*

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixes,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus.
Nam nemo haec umquam est transvectus caerula cursu,
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus,
Post variis avido satiatus pectore musis
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
4 *Nos grave certamen belli clademque tenemus*
Graecia quam Troiae divino numine vexit,
Omniaque e latis rerum vestigia terris.

Vidit Homerus probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus vir irretitus teneretur; scientiam pollicentur quam non erat mirum sapientiae cupido patria esse cariorem. Atque omnia quidem scire

cuiuscumque modi sint cupere curiosorum, duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae summorum virorum est putandum. Haec venuste admodum exposita nobis in mentem reveniebant cum in eo erat ut tabulas lectionum academicarum proximis mensibus hibernis habendarum consueto more proponeremus, ac nobis videbamur hac voce publica Sirenum instar eos qui ad hunc quasi mercatum doctrinarum conveniunt ad scientiae penum in quovis genere parandum augendumque invitare. Sic enim existimabamus, si verum est quod Cicero probatum ivit homines nativo quodam scientiae amore duci, fieri non posse quin qui hanc largam disciplinarum varietatem quarum institutio offertur recognoverint fervore quodam incitati ferantur ut ex his apertis cognitionis fontibus plurimum quantum haurire animum inducant naviterque instituant. Enumerationi autem scholarum quae semet ipsa satis commendare videbitur commentarioli quiddam praemittimus ex litteris petiti retinentes videlicet neque aliorum exemplo abiicientes conculcantesque hunc usum vetustate sacratum magnorumque virorum nominibus qui ante nos huic officio praefuerunt condecoratum; qui usus si nihil aliud hoc docere potest in memoriamque eorum qui nunc sunt revocare, quondam omnes qui se studiis academicis initiari cuperent nec Latini sermonis expertes neque in his litteris quae ab humanitate nomen acceperunt, ex quibus vulgo harum praefationum argumenta promi solebant, hospites fuisse ac peregrinos. Quod etsi iam non ita est, pergimus tamen dum licet consulere iis quidem si qui dedita opera in has potissimum se litteras insinuare student. Itaque nunc Valerii Maximi locos quosdam controversos disceptabimus brevi sed ita ut aliquid ad sermonis Latini proprietatem et ad huius scriptoris consuetudinem rectius aestimandam si poterimus conferamus viamque et rationem qua in his quaestionibus uti deceat exemplis propositis patefaciamus. Qui quidem scriptor non est magnus nec tamen inutilis aut indignus est in quem tantum operae a peritissimis criticis doctissimisque editoribus consumptum sit. Quorum Madvigius Gertziusque admirabili emendandi facilitate multa depravata egregie restituerunt, ex editoribus autem Kempfius, iam olim de Valerio bene meritus, post Halmii laudabilem operam iterum eodem edito indefessa cura instrumentum criticum paravit, in quo cum fide pedem figere liceat. Nostra pauca sunt et exigua neque quae cum singulari illorum virtute conferri velint.

I. De prisco more maiorum laudes in epulis canendi haec refert Valerius II 1, 10 p. 60, 23 (Kempfii ed. II)

Maiores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa †pangebant, quo ad ea imitanda iuventutem alacriorem redderent.

Sic haec Kempfius in editione altera exhibuit verbo *pangebant* cruce critica aucto. Quam vocem variis modis docti homines corrigere temptarunt, Torrenius olim *pandebant*, nuper Gertzius *peragebant* scribendum esse rati. Sed *pandere* scimus dici fata, oracula, h. e. patefacere quae obscura sunt; *peragere* autem postulata, auspicia, laudes etiam *peragere* dicebant, i. e. certis formulis conclusa proferre vel accurate ad finem exponere. Quae omnia a Valerii oratione abhorrent. Quodsi quaeritur cuius significationis verbum requiratur, respondebimus *canendi*, id quod et Valerii breviatores senserunt, quorum Iulius Paris ita sententiam reddidit *maiores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera cantabant*, paulo propius ad Valerii orationem accedens Nepotianus sic *senes in conviviis maiorum laudes carminibus celebratas ad tibias canebant*, et Cicero testatur, qui ubi huius moris mentionem facit non alio verbo utitur, cum ita scribit Tusc. disp. I 2, 3 *est in Originibus solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus;* et IV 2, 3 *dixit Cato morem apud maiores hunc epularum fuisse ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes;* idem in Bruto 19, 75 *illa carmina quae multis saeclis ante suam aetatem in epulis esse cantata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato.* Similiterque Varro loquitur de vita populi Romani lib. II (apud Nonium p. 77, 3) *in conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, et assa voce et cum tibicine.* Quid ergo? Reddimusne etiam Valerio verbum, quo nullum magis ad hanc rem appositum inveniri potuit? *ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa canebant.* Non, opinamur, quamvis ita pulchre scriptum fuerit. Enimvero *pangendi* verbum ipsum, quod fides librorum tuetur, antiquitus non aliam quam *canendi* vim habuisse auctore Ennio probatur, cuius haec affert Cicero Tusc. disp. I 15, 34 *Quid poetae nonne post mortem nobilitari volunt? Unde ergo illud*

Aspicite o cives senis Enni imaginis formam.
Hic vestrum panxit maxima facta patrum.

Quid his similius quam quae Valerius scribit *egregia superiorum opera pangebant.* Idem Ennius (teste scholiasta Bernensi in Vergilii georg. IV 72) etiam haec dixit in octavo annalium *Tibia Musarum pangit melos.* Cuius versiculi Nauckius memor fuit cum versus tragicos ederet a Stobaeo servatos (Trag. Graec. Fragm. ed. II p. 946 n. 546), in quibus haec habentur

τὸν γὰρ Ὀρφέα λαβὼν
ἅπαν*) τε μουσῶν ἐννεάφθογγον μέλος,
οὐκ ἂν πίθοιμι γαστέρ', ἀλλὰ δεῖ βίον.

Quorum exemplo satis firmatur quod est apud Ennium *Musarum* 6 *melos*, ne quis cum recentioribus Ennii editoribus *musaeum* aut adeo *mustarum* scribi malit. Sed hoc qui recte perspexit Nauckium in eo opinio fefellit, quod *clangit*, non *pangit* scripsisse Ennium coniiceret. Tibia enim quae canere dicitur cur minus recte pangere cantum dicatur aegre intelligitur: immo his duobus versibus Ennii hoc colligi oportet, *pangere* verbum, quidquid de origine et primitiva vocis significatione statuitur, *canendi**) usum secutum esse in eo quod tam pangere carmina quam pangere facta dicebatur. Eodem verbo Lucretius usus est qui scribit I 25 *scribendis versibus quos ego de rerum natura pangere conor;* I 933 *quod obscura de re tam lucida pango Carmina musaeo contingens cuncta lepore* et Horatius, qui *poemata panges* (ep. I 18, 40) et *ego mira poemata pango* (art. p. 416) dicit. Atque ut omnia colligamus testimonia, Paulus in epitoma Festi p. 76, 33 Th. dicit *Inpages dicuntur, quae*

---

*8) Nauckius αὐτῶν τε edidit, vimque eius pronominis exemplis quibusdam declaravit (Herm. XXIV p. 451 s.) velut Iliadis στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικησέμεν, εἴ περ ἂν αὐταὶ μοῦσαι ἀείδοιεν. Poterat addere in bimembri oratione secundo saepe addi pronomen exaggerandi causa velut Φοίβου τε καὐτοῦ Ζηνὸς ὃς κείνου πατήρ Soph. Oed. Col. 793; οὔτ' ἐμὲ τίουσαι οὔτ' αὐτὴν Πηνελόπειαν Od. XXII 425; θέος ὃς καὶ Διὸς ἔσφαλε μέγαν νόον Καὔτας Κυπρογενήας Theocr. 30, 31; ἀπὸ Κλυτίας τε καὶ αὐτῶ Χάλκωνος Theocr. 7, 5. — Claud. XXVI 598 *Quis Musis ipsoque licet Paeane recepto Enarrare queat.* Sic Ὀρφέα αὐτῶν τε Μουσῶν μέλος coniungi apte poterant. Tamen dubitamus de veritate correctionis. Ut enim saepe non Musas sed novem Musas appellant, Μοῦσαι δ' ἐννέα πᾶσαι ἀμειβόμεναι Odyssea, ταῖς ἐννέα δὴ πεφιλαμένον ἔξοχα Μοίσαις Theocritus, *acceptusque novem Camenis* Horatius, idem *caelatumque novem Musis opus*, sic ἅπαν ad ἐννεάφθογγον referri potuit, ut ait ille qui τοὺς Μουσέων πάντας ἔσεισε κάλως.

*17) *Quis caneret nymphas* et *carmina nulla canam* Vergilius; item *componere*, quo Horatius eodem loco in vim duplicem utitur *nec sermones ego mallem Repentes per humum quam res componere gestas.*

a fabris in tabulis figuntur, quo firmius cohaereant, a pangendo, id est figere. Unde et poetae pangere versus dicuntur et agricolae pangere plantas. Idem p. 261, 14 *Pangere figere, unde plantae pangi dicuntur, cum in terram demittuntur; inde etiam versus pangi vel figi in cera dicuntur;* ubi in Festi codice prima tantum ad *demittuntur* servata sunt. Cum igitur videamus *pangere* habere eam quam quaerebamus significationem, non est quod hoc verbum adimatur Valerio, qui in re prisca narranda prisco uti vocabulo maluit, quod si non ab Ennio aut Lucretio, a Cicerone certe qui Ennium citavit repetere potuit.

II. Iterum nos Ennius adiuvabit ut succurramus Valerio. In cuius narratione, quae est de amore clandestino quo Antiochus Seleuci regis filius novercam suam deperibat Stratonicen deque Erasistrati medici prudentia eum amorem detegentis, haec leguntur v 7 ext. 1 (p. 261, 29)

> *iuxta Antiochum sedens, ut eum ad introitum Stratonices rubore perfundi et spiritu increbrescere eaque egrediente pallescere et † excitatiorem anhelitum subinde recuperare animadvertit, curiosiore observatione ad ipsam veritatem penetravit: intrante enim Stratonice et rursus abeunte brachium adulescentis dissimulanter apprehendendo modo vegetiore modo languidiore pulsu venarum comperit cuius morbi aeger esset protinusque id Seleuco exposuit.*

Eadem fabula a compluribus scriptoribus Graecis refertur, quorum unum et alterum προέκδοσις Kempfiana citaverat, alios nuper G. Heraeus in spicilegio critico in Valerio Maximo (supplem. XIX annal. philol. 1893) p. 606 attulit. Ex iis et ex Valerii narratione ipsa apparet et pridem intellectum est *excitatiorem*, quae est scriptura codicis Laurentiani, quo redit etiam quod est in Bernensi *exercitatiorem*, pravum esse et desiderari notionem contrariam. Quare aut *sedatiorem* aut *tardiorem* scribendum pro *excitatiorem* proposuerunt, postremo Heraeus l. c. *expeditiorem*, quod esse *liberiorem* interpretatur. Damus hoc propius a scriptura tradita abesse, sed significatione sentimus praestare illa, quorum tamen neutrum probabili emendandi modo recuperatum est. Quocirca hoc agendum est, ut anquiramus quod utrique desiderio satisfacere videatur. Ac nos dum naturam loci perspicimus in memoriamque redimus eorum quae alibi ad vindicandam orationem Ennianam *quos ego mea ope ex Incertis certos compotesque consili Dimitto* ex-

posuimus, hoc genus loquendi multis tum exemplis, Plautinis maxime Terentianisque, Graecis quoque, persecuti, ea ratione dicendi Valerium usum esse suspicabamur scripsisseque non *excitatiorem* sed *ex citat*[iore tard]*iorem anhelitum subinde recuperare,* sive quis maluerit *ex cit*[atiore sed]*atiorem*, quamquam illud quod posuimus, Plinii verbis magis commendatur ita dicentis nat. hist. XI 219 *arteriarum pulsus . . . per aetates stabilis aut citatus aut tardus.* Genus autem illud orationis, quod addendo effinximus, quo non solum quid fiat sed quid ex quo evadat plenius ac saepe abundanter exprimitur, in hanc sententiam vel maxime quadrare narratio ipsa visa est indicio esse; neque is usus dicendi priscorum poetarum proprius est, sed et Caesar habet eum, bell. Gall. II 27, 5 *quae facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat*, et Livius persaepe, velut X 19, 7 *quod ex muto atque elingui facundum etiam consulem haberent;* X 10, 7 *pecunia freti socios ex hostibus facere Gallos conantur;* XXII 30, 6 *laetusque dies ex admodum tristi paulo ante ac prope exsecrabili factus;* denique Valerius ipse, qui scribit p. 174, 23 *si placidum mare ex aspero caelumque ex nubilo serenum hilari aspectu sentitur;* 315, 3 *sed tamen ex consule captivus et ex captivo consul est factus;* 376, 15 *quae offensa . . ex amica obsequenti subito destrictam faeneratricem agere coepit;* 415, 13 *Aemilianum populus ex candidato aedilitatis consulem fecit;* 319, 9 *ne quis nimis fortunae crederet magister ludi factus ex tyranno monuit;* 220, 18 *cum Persen parvi temporis momento captivum ex rege ad se adduci audisset.* De origine peccati si quaeritur, *ex citatiore tardiorem* non difficilius comparibus syllabis extritis in *excitatiorem* abiisse putandum est quam vel *omni mitiore* in *omniore* p. 285, 3, aut *inter felices felicissimus* in *inter felicissimos* p. 316, 14.

III. Biantis dicto de amicitia relato, quo is aiebat ita oportere homines in usu amicitiae versari, ut meminissent eam ad gravissimas inimicitias posse converti, haec addit Valerius VII 3 ext. 3 (p. 341, 8)

> *quod quidem praeceptum prima specie nimis fortasse callidum videatur inimicumque simplicitati, qua praecipue familiaritas gaudet, sed si † altior initamini cogitatio demissa fuerit, perquam utile reperietur.*

Verba quibus Kempfius notam criticam praefixit leguntur ita in Laurentiano codice sed ut in margine *imidanimi* (vel *imidamini*)

appositum sit; neque aliter prima manu in Bernensi exaratum fuisse videtur; haec quidem *altiori nitamini* Kempfius affirmat satis certo in raso loco agnosci. Quod ex deterioribus libris vulgabatur *sed si altior animi cogitatio demissa fuerit,* vel quod inde Perizonius coniectura effecit *sed si altior animis cogitatio demissa*
8 *fuerit,* utrumque olim Kempfius iure suo reprobavit ita ratiocinatus nec *altiorem animi cogitationem* absolute *demitti* dici posse neque *demitti* cum tertio vel sexto casu nominis (*animis*) coniungi sed accusativum et *in* praepositionem sibi addi flagitare (velut *caput in utrem demitti* p. 452, 14). Itaque utramque offensam ipse ut refugeret, *demittendi* autem verbo adderetur quod desideraret, tum *si altius animi cogitatio demissa fuerit* restituendum proposuit; idque ut recte scribi poterat (*altius* enim affert eam quae requiritur loci significationem) ita Halmio probavit. Nuper abiecta hac aliam emendandi viam ingressus est (praef. p. x): sic enim potius scribi iussit *sed si altior inita animi cogitatio* [demissa] *fuerit.* Qua re hoc assecutus est, ut *inita* quidem satis accurate exprimat litteras quasdam quas habent libri olim neglectas, sed simul eo adductus est ut quod iam supervacaneum est *demissa* glossae loco exstirpandum censeat. Concedimus hanc quoque quam nunc formavit haud improbabilem esse orationem, sed rationem qua eam recuperavit, quamquam hoc genus emendandi multis hodie placere solet, non possumus non reiectaneam habere. Quam enim, quaesumus, probabilitatem habere potest *inita,* quo hoc efficitur ut *demissa* vox incolumis et exquisitae significationis in suspicionem glossematis trudatur. Itaque omnino in contrariam partem ab his quae certissima sunt *si altior animi cogitatio demissa fuerit* exordiendum est, ut quaeratur numquidnam ex litteris istis obscuris quae exstant in libris suscitare liceat quod cum illis coniungatur et sententiam qua parte manca est absolvat. Id quod effici videtur, cum ita scribitur, mutatione paene nulla, syllabis tantum dispestis, *quod praeceptum prima specie nimis fortasse callidum videatur inimicumque simplicitati . . sed si altior in id animi cogitatio demissa fuerit, perquam utile reperietur.**) Quae enim reponimus, *in id,* in quibus pronomen ad *praeceptum* nimirum refertur, velut in simili oratione p. 456, 14 *cum unius parricidii cogitatione*

*34) [Coniecturam a Gertzio esse (*Berl. phil. wochenschr.* 1892 p. 592) occupatam G. Heraeus meus memoravit (*Jahresber. f. alterthumsw.* vol. LXXXXVII 1898 II).]

cuncta scelera superata cernam: omni igitur impetu mentis ad id lacerandum rapior, ea praestant iam, quod volebamus, ut significetur id in quod animi cogitatio demittatur.

IV. Haec emendare contigit, si tamen; illa fortasse vindicare licet ab emendandi necessitate quae leguntur IX 2 praef. (p. 427, 6)

> *Haec societas vitiorum lascivi vultus et novae cupiditati inhaerentium oculorum ac delicato cultu affluentis perque varios inlecebrarum motus volitantis animi: crudelitatis vero horridus habitus, truculenta species, violenti spiritus, vox terribilis, omnia minis et cruentis imperiis referta.*

omnia minis Laurentianus codex habet, recte, Bernensis *omni animis*, et correctum *omnia nimiis*, prave, vulgari errore quo *minis* et *nimis* inter se permutari solent, quemadmodum supra (c. III) *animi* et *amini*. Sed *minis* verum esse et res docet et confirmat exemplum 437, 27 *spiritum cruore ac minis mixtum*. Verum *omnia*, cuius loco Pighius *ora* edidit, a Kempfio refutatum, cum ipsi tum aliis falsum esse visum est; et Gertzius quidem *lumina* posse reponi coniecit, Kempfius autem *omnia* maluit deleri. Quarum opinionum nos neutri facile subscribimus. Nam *lumina minis et imperiis referta* non possunt placere, non magis *vox terribilis referta minis et imperiis*. At vero haec seorsum a ceteris spectanti 9 *omnia minis et cruentis imperiis referta* pulchre composita videbuntur, ita quidem ut aliud nomen quam *omnia* ne ferri quidem potuerit.*) Quod et facile sentitur non occupata mente iudicanti et simillima oratione comprobatur quae exstat p. 207, 3 *ab hoc horrido et tristi pertinacis amicitiae ad laetum et serenum vultum transeamus atque inde eam evocatam, ubi omnia lacrimis, gemitu, caedibus fuerant referta, in eo, quo dignior est, felicitatis domicilio conlocemus.* Neque inutilia, quo magis vox *omnia* sustentetur, haec quae Gellius scribit VI 5, 7 *Polus histrio opplevit omnia non simulacris neque imitamentis, sed luctu atque lamentis veris et spi-*

---

*24) [Quod quam verum fuerit, plurimis exemplis probari poterat: ex quibus nunc pauca seligam, *non invidos solum, quibus referta sunt omnia* (Cic. or. 41, 140); *in eius modi republica plena libertatis esse omnia* (id. de rep. I 43, 67); *tamque omnia plena puellis cognatis* (Catull. 89, 3); *et lacrimis omnia plena madent* (Tib. I 8, 54); *omnia luctus, omnia solliciti plena timoris erant* (Ovid. her. VIII 75). Quid quod apud Graecos quoque nihil magis consuetum est quam μεστὰ πάντα vel πάντα μεστά (ἐχθρῶν, δόλων).]

rantibus. Itaque hoc superest, ut illa quae per se sola non possunt non valde probari reliquae orationi sic ut par est applicentur. Videmur autem mentem scriptoris ita recte interpretari ut, posteaquam crudelitatis speciem per singula depinxerit, his extremis liberius adiectis non tam illa superiora complectatur, quod fieri non potest, quam universe hoc crudelitatis esse affirmet, ut ubi sit omnia minis et cruentis imperiis referta esse intelligatur.

v. Exposita singulari Q. Metelli felicitate ita pergit Valerius VII 1, 2 (321, 17)

> *Clara haec felicitas: obscurior illa sed † divino splendori praeposita: cum enim Gyges regno Lydiae armis et divitiis abundantissimo inflatus animo Apollinem Pythium sciscitatum venisset an aliquis mortalium se esset felicior, deus ex abdito sacrarii specu voce missa Aglaum Psophidium ei praetulit. Is erat Arcadum pauperrimus sed aetate iam senior terminos agelli sui numquam excesserat, parvuli ruris fructibus voluptatibusque contentus.*

Quid peccatum sit initio huius capitis in aperto est, variisque modis manifesto vitio mederi conati sunt. Ut mittamus Perizonii Wenskyique commenta futilia, quorum ille *divine* vel *divinitus* pro *divino*, hic pro eadem voce *vano* scribi posse coniectavit, probabiliora sunt quae Halmius proposuit, *divino* [ore] *splendori p.* et quae inde profecti Kempfius, *divino* [ore vano] *splendori* et Gertzius, *divino* [iudicio vano] *splendori*. De quorum inventis nos ita iudicamus nec *splendori* requirere quod sibi addatur: *clara haec felicitas, obscurior illa sed splendori praeposita;* et *vano*, quod adiiciunt, non tam sententiae absolvendae causa, ut putamus, quam ad sublevandam emendandi facilitatem, adeo non desiderari, paene ut infringere orationis vim videatur. Itaque in eo subsistendum est, ut *ore* addatur, *divino* ne suo nomine careat; nam *ore*, non *iudicio* verisimile est Valerium voluisse, qui p. 49, 15 ita scribit *illud tantum non ore ipsius Apollinis editum.* Quod ut suo loco ponatur, in hunc modum conformandam esse orationem arbitramur: *clara haec felicitas: obscurior illa sed divino splendori* [ore] *praeposita.* Ubi *ore* vox post *splendori* extrita est, quemadmodum 279, 10 post *fori* exidit *ora:* recte enim Kempfius *totius tunc fori* [ora] *clauserunt* de sua coniectura edidit. Verum nimis inepti essemus, si illam seriem verborum alteri praeferremus ob eam solum causam, ut facilius perspiceretur quo errore vox addita interiisset: immo

nos ita statuimus studiose quaesitum esse hunc ordinem, quem Valerio restituimus, quo magis, medio interiecto nomine separatis quae cohaerent, sua cuique voci vis et sententia constaret. Ac Valerium videmus saepius simili ordinandae orationis artificio uti et nonnumquam prave quod ille consulto instituit a criticis damnari. Selecta apponimus exempla: p. 66, 6

facto sacrificio caesisque capris epularum hilaritate ac vino largiore provecti, divisa pastorali turba, cincti obvios pellibus immolatarum hostiarum iocantes petiverunt,

ubi quid novaverint docti, Kempfii adnotatio docet; 264, 6

*cognitione suscepta domi consedit solusque utrique parti per totum biduum vacavit ac tertio plenissime die diligentissimeque auditis testibus ita pronuntiavit;**)

die quod corrector Laurentiani codicis traiiciendum curavit fuerunt qui abesse mallent; sed qui contulerit quod tertio loco adscribimus 339, 23

quidnam se immerentem capitali supplicio innocentemque addiceret,

percipiet in hac similitudine scriptoris consilium, cui utroque loco parendum est. Similitudo tutabitur etiam haec quae subiicimus:

In Tullio fortuna praecipue vires suas ostendit vernam huic urbi natum regem dando 136, 1;

P. Atilium Philiscum in pueritia corpore quaestum a domino facere coactum 272, 20;

Arganthonius Gaditanus tam diu regnavit quam diu etiam ad satietatem vixisse abunde foret 408, 18.

Quorum in primo et tertio non defuerunt qui invertendo ordine scriptori succurrere temptarent, medium quamvis minime dispar intactum reliquerunt. Adde quod scripsit idem p. 202, 8

Orestes Pylade paene amico quam Agamemnone notior est patre,

cum posset simplicius *Orestes paene notior est Pylade amico quam Agamemnone patre.*

---

*13) [Cf. Cic. Phil. I 13, 32 *quo senatus die laetior, quo populus Romanus?* Atque ille mos comparia aut cognata interiecta vocula saepe leviore separandi quo maius esset utriusque pondus etiam Ciceroni fuit perquam familiaris; quod genus *sua pulchritudine esset specieque laudabile; copiose posset ornateque dicere; Cyrus .. iustissimus fuit sapientissimusque rex; si se lamentis muliebriter lacrimisque dedat.*]

> *Libidinosi centurionis supplicium M. Laetori Mergi tribuni militaris aeque † similis foedus exitus sequitur* 274, 13.

Sic haec Kempfius edidit: in quibus quod falso scriptum est multa inutilia conamina emendandi procreavit; quae nunc omittere licet, posteaquam quod verum est Heraei acumen intellexit, qui Valerium *tribuni militaris aeque foedi similis exitus* voluisse liquido demonstravit. Nihilo minus ambigi potest de collocatione verborum. Heraeus enim eam quam librorum memoria demonstrat *tribuni militaris aeque similis foedi exitus* ferri non posse ratus suadente sententia restituit vulgarem *tribuni militaris aeque foedi similis exitus.* Cui nos quo minus fidenter assentiamus impedit similiter formata oratio quae legitur p. 431, 1

> *Hannibal in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto exercitum transduxit, ut aeque terrestrium scelestum Karthaginiensium copiarum ingressum terra quam maritimarum Neptunus experiretur,*

ubi Madvigius qui *ingressum* restituit (traditum enim est *egressum*) *aeque scelestum terrestrium* poni iussit*), quem positum iam cor-
11 rector codicis Bernensis notavit, et profecto nihil accommodatius esse ad sententiam potuit; nam *aeque scelestum* coniungi voluit, non *aeque terrestrium.* Quod si sequimur, tamen in ista insigni duorum locorum similitudine verendum est ne nostro magis more sentiendi quam veterum usu ordinem verborum instituamus. Sed esto: certius quidem iudicare licet de proximis. De Alexandro enim p. 412, 11 haec traduntur

> *Alexandri pectus insatiabile laudis, qui Anaxarcho comiti suo ex auctoritate Democriti praeceptoris innumerabiles mundos esse referenti 'heu me' inquit 'miserum, quod ne uno*

---

*18) [Quod Madvigium iussisse Adv. crit. II p. 334 paene mirum est quia in iisdem Adv. p. 529 verba Plinii nat. hist. XXXIII 73 sic restituit *mons fractus cadit ab sese longe fragore qui concipi humana mente non possit, aeque efflatu incredibili* (fuit *eque efflatu i. spectant*) atque interpretatur *efflatu aeque incredibili* (nunc editur *aeque et flatu i.*). Atque *aeque* particulam credas hoc proprii habere ut separetur a suo nomine; itaque Cicero scribit de fin. IV 12, 30 *ut ei qui iucunde vixerit annos decem, si aeque vita iucunda menstrua addatur*; et Cornelius Nepos Eum. 5, 6 *quo factum est . . ut aeque iumenta nitida ex castello educeret, ac si . .* Quo certius illa Valerio relinquenda sunt neque ita ratiocinandum vix credi posse eum apertam ambiguitatem vitare noluisse.]

> *quidem adhuc sum potitus.' Angusta homini possessio gloriae fuit quae deorum omnium domicilio sufficit.*

Scite Gertzius, ut taceamus aliorum sententias, *hominis* correxit et *gloriae* interpretatus est *cupiditatem gloriae.* Sed quod simul transposuit *angusta hominis gloriae possessio fuit quae deorum omnium domicilio sufficit*, non probamus et Valerianam habemus eam quae sine obscuritate ulla sed non sine vi instituta est conformatio *angusta hominis possessio gloriae fuit.* De *gloria* ne quis dubitet videantur quae 218, 6 leguntur, *cuius mansuetudinem potentissimi adfectus, ira atque gloria, quatere non potuerunt.* Denique Gertzio ipso in hac quaestione teste utemur, qui p. 408, 4

> *Gorgias Leontinus, Isocratis praeceptor, sua sententia felicissimus: nam cum centesimum et septimum ageret annum, interrogatus quopropter tam diu vellet in vita remanere, 'quia nihil' inquit 'habeo quod senectutem meam accusem'*

nobis quidem videtur verissime recuperasse quod sensus flagitat cum scribit *sua* [senex] *sententia felicissimus*, nihil videlicet impeditus collocatione quae ut sententiae favet ita Valerii consuetudinem non dedecet.

Possumus hanc telam pertexere longius, quando quidem in aliis quoque scriptoribus subinde si qua in singulis a communi more ordinandae orationis discedunt in suspicionem peccati rapiuntur subitisque opinationibus depravantur. Sed desinimus eo libentius quo minus confidimus vel in his quae nunc tetigimus nos multis persuasuros esse.

VI. Multa Kempfius praeclare in Valerio suo emendavit: unam illi ex multis emendationem eripere si conabimur, ecquid nobis irascetur? VIII 15, 7 (416, 12) haec leguntur

> *Inhaerent illi voci posterioris Africani septem C. Marii consulatus ac duo amplissimi triumphi: ad rogum enim usque gaudio exsultavit, quod, cum apud Numantiam sub eo duce equestria stipendia mereret et forte inter cenam quidam Scipionem interrogasset, si quid illi accidisset, quemnam res publica aeque magnum habitura esset imperatorem, respiciens se supra ipsum cubantem 'vel hunc' dixerit. Quo augurio perfectissima virtus maximam orientem virtutem videritne certius an efficacius accenderit perpendi vix potest.*

Sic ut supra scriptum est principium huius capitis exaratum est in libris. Kempfius autem putavit Valerium non *illi* sed *inhae-*

rent uni voci scripsisse itaque edidit. Quae non inelegans est scriptura, quoniam *uni voci* perquam apte *septem consulatus* opponi videntur. Sed quam necessarium fuerit hoc quod non inelegans esse largimur addubitamus propterea quod creberrimi usus est apud Valerium pronomen *ille*, ut significet ante quae deinceps *enim* particula interposita accuratius expositurus est. Velut, ut rem notissimam exemplis paucis declaremus,

> 449, 3 *Age, illa quam exsecrabilis militum temeritas: fecit enim ut A. Albinus . . . lapidibus obrueretur;*
>
> 452, 6 *Illam vero ultionem et senatus et consensus omnium approbavit: cum enim Adrianus cives Romanos* eqs.
>
> 413, 15 *Illa vero gloriae cupiditas sacrilega: inventus est enim qui Dianae Ephesiae templum incendere vellet* eqs.

aut quod etiam propius illius loci de quo dicimus similitudinem attingit 295, 17

> *Quantus hic in sapientia, tantus in armis Alexander illam vocem nobiliter edidit: Dario enim uno iam et altero proelio virtutem eius experto atque ideo et partem regni Tauro tenus monte et filiam in matrimonium cum decies centum milibus talentum pollicente, cum Parmenion dixisset se, si Alexander esset, usurum ea condicione, respondit 'et ego uterer, si Parmenion essem.'*

Illam enim *vocem* quam initio narrationis dicit Valerius infra demum non ita paucis interiectis immixtam narrationi affert. Ad eum modum *illi voci* Africani dicit inhaerere Marii consulatus et triumphos, dein quam vocem intelligat inde a verbis *ad rogum enim usque* narrando exsequitur.

Illa vero ratio qua rem agendam indicat, deinde eam rem ab *enim* particula explicare incipit, quo frequentior est apud Valerium, eo magis diffidimus correctioni vulgo receptae III 2, 2 (112, 8). Etenim de fortitudine disputaturus postquam a Romulo petiit, ut sibi unum illi virum fortem praemittere liceat, Horatio Coclite laudato ita pergit

> *Immemorem me propositi mei Cloelia facit: paene eadem enim tempestate, certe adversus eundem hostem et in eodem Tiberi inclytum ausa facinus: inter ceteras enim virgines obses Porsennae data hostium nocturno tempore custodiam egressa equum conscendit celerique traiectu fluminis non solum obsidio se, sed etiam metu patriam solvit viris puella lumen virtutis praeferendo.*

Delent enim Lipsio auctore priorem *enim* particulam, ut haec in unam colligantur sententiam *immemorem me propositi mei Cloelia facit, paene eadem tempestate . . inclytum ausa facinus.* Neque vituperabilis est ista oratio, sed respicienti morem scriptoris altera praestabilior videbitur: *Paene eadem enim tempestate* eqs. Nam quod *enim* facile ex *eadem* vocis syllaba extrema oriri potuit, nihil nos movet, neque Kempfio assentimur in eo quod 215, 23 *Illud quoque non parvum humanitatis senatus indicium est: Syphacem enim quondam opulentissimum Numidiae regem captivum in custodia Tiburi mortuum publico funere censuit efferendum* parti- 13 culam non difficilius ex praegressa syllaba oriundam sed praeter consuetudinem scriptoris eiiciendam putavit. Redimus illuc, et quod ibi continuae duae sententiae ab eadem particula inducuntur, id exempla docent Valerii usu non respui: 116, 22 et 117, 2; 346, 25 et 347, 2; ne quid dicamus de particula tertio loco posita, id quod et ipsum Valerio consuetum est. Nostrae rationi unum illud adversari videatur, quod *ausa* scriptum est, non quod exspectari poterat, si haec nova erat sententia, *ausa est.* Sed tantone difficilius est addere *est* quam *enim* delere, quod praesertim videamus usu scriptoris defendi? Et tamen illud idem *est* sine scrupulo addiderunt, 153, 19 *e vestigio Cales transgressus* [est]; 140, 23 *pallioque et crepidis usus* [est]; 240, 10 *palam dictitare ausus* [est]; 429, 14 *contaminari mensae sacra passus* [est]: sic enim haec omnia scribenda videntur, non variato positu. Ad quorum normam quid impedit quominus etiam illo loco scribamus *eadem enim tempestate . . in eodem Tiberi inclytum ausa facinus* [est], eo ordine scilicet quo vel 156, 16 scribitur *agitata fluctibus est.* Sed ne quid dissimulemus, pro certo affirmamus *enim* non esse destituendum, de addendo *est* tantum dicimus, aliam emendandi viam meliorem non patere, sed ea ingredienda sit necne dubitatio haeret idcirco quia eadem est in Livii libris controversia necdum satis tuto composita.

VII. Nondum sua ratione emendata videntur quae VII 7, 1 (358, 10) leguntur

> *Militantis cuiusdam pater cum de morte filii falsum e castris nuntium accepisset, qui erat falsus, aliis heredibus scriptis decessit. Peractis deinde stipendiis adulescens domum petiit: errore patris, inpudentia amicorum domum sibi clausam repperit. Quid enim illis inverecundius?* eqs.

Verba *qui erat falsus* sic scripta sunt in codice Laurentiano et

scripta erant ante rasuram in Bernensi; sed ea vitiosa esse post illa *falsum de f. m. nuntium* non est quod multis verbis comprobetur. Itaque cum Halmio Kempfius ea induxit tamquam spuria. In qua re niti quidem possunt Paridis epitoma haec verba omittentis. Sed huius epitomae auctori cavendum est ne nimium tribuatur, qui ne reliqua quidem accurate reddidit et haec verba inutilia ac perversa si iam legebat sua sponte praetermittere potuit. Sed si ea falsa manu adiecta esse volumus, quam eius additamenti causam aut originem dicimus? Quae quia nulla cognoscitur, verisimilius est ea corrupta esse quam additicia, nec ineptum est quaerere ecquidnam aliud fortasse depravata forma abscondat. Id quid esset Gertzius indagavit qui *ubi erat salvus* scribendum coniecit, nunc quidem, nisi fallimur, non felici divinatione usus, quoniam quae addit et ipsa supervacanea sunt et languida. Nobis unum videtur non incommode ad perficiendam sententiam addi potuisse, scilicet unicum hunc filium fuisse, quo mortuo pater suo iure alios heredes scripsit; idque solet nonnumquam in similibus expresse memorari, velut 269, 4 *filium summae pietatis et magnae spei et, quae non parva calamitatis accessio fuit, unicum amisit.* Quod si haec ita scripta erant *pater cum de morte filii falsum e castris nuntium accepisset qui erat* ***unicus*** *aliis heredibus scriptis decessit*, illud quoque patet, enuntiatum relativum eo loco positum esse ubi maxime ad sen-
14 tentiam faciebat. Ex *unicus* autem *falsus* ortum est videlicet non permutatis litteris sed errore mentis quia quod modo scripserat *falsum* etiam tum scribentis haerebat in animo: quo genere etiam in Valerii libris nonnumquam peccatum est a librariis, velut 357, 24 *ex hoc hoste tanto duci poena duci quam victoria petenda fuit* scriptum est in codice Laurentiano, cum scribendum esset *tanto duci poena magis quam victoria;* p. 87, 6 *L. Calpurnius Piso consul, cum in Sicilia bellum adversus fugitivos gereret et C. Titius equitum praefectus fugitivorum multitudine hostium circumventus arma iis tradidisset*, ubi *fugitivorum* quod nihili est librarii oscitantia quia *fugitivos* modo scripserat pro alio nomine secundo casu posuit sive id *sociorum* fuit sive nescio quod aliud; p. 317, 29 *Cimonis incunabula opinione stultitiae fuerunt referta: eiusdem stultitiae imperia salutaria Athenienses senserunt;* alterum *stultitiae* quod pravum est propter vicinitatem eiusdem vocabuli ab incogitanti librario scriptum est pro alio nomine, velut *adulescentiae* de

Halmii coniectura; neque est enim in hoc genere quod similitudinem vocum potissimum sectemur. Non alio modo ut hoc addamus erratum est apud Ciceronem de legibus secundo 4, 8 *labamur interdum errore sermonis ignoremusque vim sermonis eius*, ubi scriptum oportebat *vim rationis eius*.

His subiicimus brevi emendationes duas quae additione vocum omissarum continentur, quo nullum genus vitiorum frequentius codices Valerianos occupavit. VII 3, 4 (336, 1) posteaquam Valerius vafritiae exempla tria memoravit, haec addit

> *Quod sequitur* [ut] *narrandum* [ita vituperandum] *est. Q. Fabius Labeo, arbiter a senatu finium constituendorum inter Nolanos ac Neapolitanos datus, cum in rem praesentem venisset, utrosque separatim monuit ut omissa cupiditate regredi* [in hac de agri] *modo controversia quam progredi mallent. Idque cum utraque pars auctoritate viri mota fecisset, aliquantum in medio vacui agri relictum est. Constitutis deinde finibus, ut ipsi terminaverant, quidquid reliqui soli fuit populo Romano adiudicavit.*

Quam versutiam magistratus Romani graviter deinde vituperat Valerius: hoc igitur initio addendum erat, in similem sententiam quam dicit 444, 3 et 14, neque tamen idcirco *narrandum* abiiciendum, cui talia subsidio sunt quale 455, 21 *illud facinus quia externum est tranquilliore affectu narrabitur;* aut 431, 23 *etsi minus admirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas, narrandam tamen rabies saevitiae facit;* vel 168, 11, sed haec duo per particulas *ut — ita*, quibus persaepe uti solet Valerius, copulanda. In proximis ab Heraei initiis proficiscimur, qui *modo* verissime vindicavit explicuitque exemplo adhibito 258, 14 *cum inter Karthaginem et Cyrenas de modo agri pertinacissima contentio esset.* Ut mirum videatur, quod quam optime inchoaverat emendationem perficere noluerit. De causis corruptelae nihil dicimus ac putamus utroque loco apertum esse, quo errore plenior oratio curtata fuerit.

VIII. Interdum critici scriptoris consilia non satis attendentes emendandi pericula faciunt in iis quae sana sunt: id quod accidisse putamus in iis quae VII 2, ext. 11 (331, 2) de Alexandri morum Persicorum amore, quem Valerius etiam 442, 24 tetigit, in hunc modum narrantur

> *Aristoteles Callisthenen auditorem suum ad Alexandrum dimittens monuit cum eo aut quam rarissime aut quam iucun-*

dissime loqueretur, quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior vel sermone esset acceptior. At ille dum Alexandrum Persica Macedonem salutatione gaudentem obiurgat et ad Macedonicos mores invitum revocare benevole perseverat, spiritu carere iussus seram neglecti salubris consilii paenitentiam egit.

In his enim verbis integerrimis Halmius *Macedonem* tamquam glossam eiiciendum statuit, eamque opinionem probavit Kempfio. Et tamen locus ipse, quo hoc nomen insertum est, indicio esse potest, ut mentem scriptoris assequamur, qui nimirum non de nihilo aut ut legentes admoneret Alexandrum Macedonem esse, sed quo magis vis contrarii extolleretur et ut Persica Macedonem salutatione uti dedecere subindicaret, hoc appositi loco adiecit. Eundem appositi usum prae se ferunt haec quae iam supra allata sunt de Cloelia 112, 15

inter ceteras enim virgines (Cloelia) obses Porsennae data hostium nocturno tempore custodiam egressa equum conscendit celerique traiectu fluminis non solum obsidio se, sed etiam metu patriam solvit viris puella lumen virtutis praeferendo.

In quibus *puella* in extrema sententia adiectum est, non ut persona significaretur, satis designata ante, sed ut viris puella opposita eximiae vis laudis eo magis accresceret. Non secus p. 305, 20.

Tertia Aemilia, Africani prioris uxor, mater Corneliae Gracchorum, tantae fuit comitatis et patientiae, ut cum sciret viro suo ancillulam ex suis gratam esse dissimulaverit, ne [domina] *domitorem orbis Africanum**), *femina magnum virum impatientiae reum ageret.*

---

*26) Paene mirum est nemini displicuisse *Africanum* nomen adiectum et fatemur sublato eo orationis vim non minui. Nihil tamen affirmamus, et in hoc genere omnino nihil magis cavendum est quam ne ad nostrum arbitratum veterum usum regamus. Velut *Africanum* reliquerunt, sed p. 256, 4 *cum adflicta Cannensi clade urbs nostra nihil aliud quam praeda victoris esse, Hannibalis, videretur* Kempfius de Eberhardi sententia nomen delevit. Ex altera parte p. 96, 6 *Karthaginis imperio abrupta Hispania et Siciliae caput abscisum, Syracusae, triumphales iungere currus nequiverunt* Gertzius tolli nomen *Syracusae* iussit, non assentiente Kempfio; at p. 111, 13 *Nec me praeterit, conditor urbis nostrae, Romule, principatum hoc tibi in genere laudis adsignari oportere; sed patere, obsecro, uno te praecurri exemplo . . quia beneficio illius effectum est ne tam praeclarum opus tuum Roma dilaberetur* intemptatum stetit *Roma* nomen. Duo paria congregavimus et apparet quan-

Supplevimus nostro periculo *domina* (quod ad *ancillam* refertur) ut oppositionis ratio quae duplex est constaret; sed sive hoc verum est sive aliud nomen (quoniam quidem aliquid desideratur) 16
addendum est, hoc apertum videtur, et *dominam* et *feminam* appositorum vim habere, neque nunc alio consilio quam supra *puellam* adiecta esse, non ut persona denotaretur, quo nihil opus erat, sed ut domina domitori orbis, femina magno viro opposita pondus sententiae augeret. Addimus haec de Oppio, quorum rationes perspicuae sunt, p. 365, 27

> *quos (anulos) Oppius, vir diligens sed morientis amici plenum contumeliae ludibrium, in locellum repositos et a praesentibus adsignatos diligentissime heredibus illius exheres ipse reddidit.*

Ex aliis scriptoribus uno defungemur sed insigni exemplo Livii; qui ita scribit XLII 9, 3

> *Consul senatu extemplo ad aedem Bellonae vocato, multis verbis invectus* est *in praetorem, qui cum ob rem bello bene gestam uti diis immortalibus honos haberetur referre ad senatum debuisset, adversus se pro hostibus senatus consultum fecisset, quo victoriam suam ad Ligures transferret dedique iis prope consulem praetor iuberet.*

Ad eandem denique rationem revocanda erant quae Cicero scripsit de legibus II 7, 18, quae idem Halmius olim non recte tractaverat.

Sunt alia genera in quibus scriptoris consilia neglecta aut non satis perspecta criticis fraudem fecerunt, velut IV 1, 12 (168, 12) haec nunc eduntur a Kempfio

> *Acerrime cum Scipione Africano* [Metellus] *Macedonicus dissenserat eorumque ab aemulatione virtutis profecta concitatio ad graves testatasque inimicitias progressa fuerat: sed tamen cum interemptum Scipionem conclamari audisset, in publicum se proripuit* eqs

suppleto *Metelli* nomine de Gertzii sententia, qui hoc ex Paridis epitoma asciscendum esse sibi persuasit. Ibi haec leguntur *Metellus Macedonicus cum inimicus esset Scipioni Africano ex aemu-*

tillum discrimen inter binas partes utriusque paris intercedat: tamen diverse iudicarunt. Collocatio nominis in uno et altero illorum exemplo ne cui obsit, disputatione nostra qua egimus de Minucii Felicis Octavio satis provisum videtur.

latione, ut primum audiit eum interemptum, lugubri habitu in publicum desiluit eqs. At Paris, qui separatim hoc caput Metello Macedonico dicavit, ne potuit quidem nisi pleno nomine posito satis significare quem vellet. Longe aliter Valerius, qui sic orditur *Quapropter bona cum venia duo Metelli, Macedonicus et Numidicus, maxima patriae ornamenta, strictim se narrari patientur;* et his praemissis, si ita ad rem narrandam aggreditur *Acerrime cum Scipione Africano Macedonicus dissenserat,* quid tandem desiderari dicimus? qui eundem hominem etiam infra in eodem capitulo *Macedonicum* appellavit cum ita dicit *rem publicam pariter Africani morte miseram et Macedonici tam humana lamentatione felicem.* Plane eundem igitur modum nunc secutus est Valerius quo p. 165, 22 scribit *cum ex professo inimicitias cum Africano et Asiatico Scipionibus gereret, et Asiaticus iudicatae pecuniae satisdare non posset* eqs. In narratione autem de Metellis cum ad alterum eorum deventum est c. 13 plena appellatione usus perapposite *Numidicus autem Metellus* scribit. Partem erroris eo natam putamus quod non coniuncta leguntur in Kempfii exemplari quae uno tamen tenore legi oportebat; ac saepius in hoc scriptore prave distinctis capitibus si non errores, at tamen impedimenta intellegendi parta sunt.

17 In simili causa Paridis epitoma abusi a scriptoris mente deerrarunt critici vii 4, 3 (346, 24)

> *Illud quoque maioribus et consilio prudenter et exitu feliciter provisum: cum enim urbe capta Galli Capitolium obsiderent solamque potiendi eius spem in fame eorum repositam animadverterent, perquam callido genere consilii unico perseverantiae inritamento victores spoliaverunt: panes enim iacere compluribus e locis coeperunt. Quo spectaculo obstupefactos infinitamque frumenti abundantiam nostris superesse credentes ad pactionem omittendae obsidionis compulerunt.*

Aegre enim dixeris quid in his non recte aut non perspicue elatum sit; certe qui sint qui unico perseverantiae inritamento victores spoliasse dicantur, neminem praeterire potest qui quo nexu haec exponantur attenderit. Atqui Paridis epitoma (554, 9) haec habet

> *Cum urbe capta Galli Capitolium obsiderent solamque potiendi eius spem in fame eorum repositam animadverterent, perquam callido genere consilii Romani usi panes iacere*

compluribus locis coeperunt. Quo spectaculo obstupefacti ad pactionem se converterunt omissa obsidione.

Unde factum est, ut Kempfius approbante Gertzio *Romani usi* (sive *usi Romani*) post *consilii* Valerianae orationi insereret, quae verba Bernensis libri corrector ut solet a Paride sumpta in margine codicis adscripsit. Nimirum non viderunt docti homines initium capituli Valeriani a Paride praetermissum, *illud quoque maioribus et consilio prudenter et exitu feliciter provisum;* quamquam idem satis negligenter *eorum* retinuit, quod apud Valerium ad *maiores* redit, apud ipsum non habet quo referatur. Ob eam autem causam Paridis narratio omnino constare non poterat nisi *Romanorum* appellatione alicubi iniecta, apud Valerium, qui a *maioribus* orditur, hoc opus non erat, ac ne *usi* quidem, quo carere Paridis oratio vix poterat, in Valeriana requiritur, qui ita loquitur *callido genere consilii unico perseverantiae inritamento victores spoliaverunt*, ille vero *callido genere consilii R. usi panes iacere coeperunt.*

Tertium addimus exemplum rationis eius quae inter Paridem intercedit et Valerium, quamquam nihil ibi erroris ortum est. Valerius igitur VII 2, 6 (325, 3) ita refert

Nunc ad senatus acta transgrediar. Cum adversus Hannibalem Claudium Neronem et Livium Salinatorem consules mitteret eosque ut virtutibus pares, ita inimicitiis acerrime inter se dissidentes videret, summo studio in gratiam reduxit.

Paris autem, quia praefatiunculae pepercit, quibus uti amat Valerius, in hunc modum incipit narrare (547, 19)

Cum adversus Hannibalem Cl. Neronem et Livium Salinatorem senatus consules mitteret eqs.

IX. De Zenone Eleate haec tradit Valerius III 3 ext. 2 (131, 22)

Cum esset in dispicienda rerum natura maximae prudentiae inque excitandis ad vigorem iuvenum animis promptissimus, praeceptorum fidem exemplo virtutis suae publicavit: patriam enim egressus, in qua frui secura libertate poterat, Agrigentum miserabili servitute obrutum petiit, tanta fiducia ingenii ac morum suorum fretus, ut speraverit et tyranno et Phalari vesanae mentis feritatem a se deripi posse.

Mirum non est in verbis *tanta fiducia ingenii ac morum suorum fretus* doctos homines offendisse. Quorum Kempfius quod *tantum* pro *tanta* scribi maluit, veram causam offensionis non videtur teti-

gisse: quippe non *fiducia ingenii fretus* sed *ingenio fretus* Zeno appellandus erat aut alio nomine posito velut *vi et sollertia ingenii fretus;* vel si *fiducia ingenii* placuerat, non *fretus* sed alio participio adhibito *tanta fiducia ingenii motus* sive *ductus* dicendus. In qua re *tantum* pro *tanta* positum nos nihil adiuvat. Fuit etiam qui *fretus* delendum censeret, sic quoque probabili forma recuperata (*Agrigentum petiit tanta fiducia ingenii ac morum, ut speraverit*). Sed qui naturam huius orationis penitus perspexerit, cavebit ne mutando tollat quod Valerium prudentem posuisse credibile est; cum praesertim mutando si salutem quaeras viae variae pari fere probabilitate se aperiant. Enimvero Valerius cum abundantiam quandam orationis sectatus pro simplici nomine circumlocutione uteretur, accidit ut bis idem dicere videretur, non plane singulari id quidem exemplo. Nam quod scribit p. 464, 5

> *Cn. Carbo ad supplicium ductus petiit a militibus ut sibi alvum levare prius quam exspiraret liceret, quo miserrimae lucis usu diutius frueretur,*

etiamsi minus fortasse offenderit legentem (neque quod sciamus quisquam in eo haesit), vix tamen diversum est ab illo quod modo disceptavimus. Satis enim erat dici *quo miserrima luce diutius frueretur,* vel si malebat *miserrimae lucis usum* appellare, aliud verbum, non *frui*, addendum erat, velut *diutius miserrimae lucis usum haberet.* Nunc *lucis usu frui* non aliter dicitur quam *fiducia ingenii fretum esse.* Neque illud comparari non potest, quamquam aliquid proprii habet, quod legitur p. 207, 10

> *Orere igitur . . hinc Decime Laeli, illinc M. Agrippa . . totumque beatae turbae gregem, qui vestro ductu veneranda sincerae fidei stipendia laudibus et praemiis onustus peregit, in lucem vobiscum protrahite.*

Nam non cum nomine nunc verbum eiusdem notionis coniunctum est, sed duo nomina paene idem significantia ita connexa sunt ut alterum ab altero regatur et pendeat. Neque enim erat quod *totum beatae turbae gregem* diceret, cum posset *totum beatorum gregem* vel *totam beatam turbam*, sed studio illo circumloquendi factum est ut *turbae gregem* vocaret. Et hoc quod proprii esse in hoc exemplo dicimus, latius patet: quale est 251, 13

> *M. Fabius triumphum ducere non sustinuit, quia eo proelio Q. Fabius frater eius consularis fortissime dimicans occiderat. Quantam in eo pectore pietatem fraternae caritatis habitasse*

> *existimemus, propter quam tantus amplissimi honoris fulgor exstingui potuit.*

Pietas enim et *caritas* non tanto discrimine discedunt ut alterum alteri isto modo subiiciendum videatur, cum alterum utrum sententiae satisfacere potuerit, vel *quantam pietatem fraternam*, vel 19
quantam fraternam caritatem, ille vero rotundioris orationis studio ductus non sine vi quadam eandem notionem duplicavit. Et 453, 10

> *Nunc quatenus vitae humanae cum bona tum etiam mala substitutis exemplorum imaginibus persequimur, dicta improba et facta scelerata referantur*

eodem circuitu *exemplorum imagines* dicit, quae saepe simpliciter *exempla* vocat (*sunt et illa speciosa fiduciae publicae exempla; volubilis fortunae complura exempla*), semel *imagines* appellavit (196, 26) *legitimi amoris quasi quasdam imagines . . lectoris oculis subiiciam.* Denique 450, 20

> *missus ab eo Titinius centurio nocturno tempore ut specularetur quonam in statu res M. Bruti essent, dum crebros excessus viae petit, quia tenebrarum obscuritas hostesne an commilitones occurrerent dignoscere non sinebat* eqs.

Poteramus etiam latius exspatiari (amplissimum enim campum minutissimae observationis aperit abundantis orationis usus) et id genus abundantiae attingere, de quo nuper Heraeus dixit, cum firmatum iret quae 113, 2 leguntur

> *Magnus initio huiusce generis inchoatae gloriae Romulus: Cosso quoque multum adquisitum est quod imitari Romulum valuit.*

Nam ferri non possunt quae aut Gertzius (*initio huiusce generis inchoato gloriae*) aut Kempfius (*initio huiusce generis inchoata gloria*) proposuerunt; ferri poterat et acute excogitatum est quod Heraeus coniecit *magnus titulo huiusce generis inchoatae gloriae Romulus;* sed nos eum magis ea parte probamus qua quae tradita sunt tutabatur. Cum enim sententiae satisfaceret *Romulus magnus initio huius gloriae*, Valerius geminata incipiendi notione maluit Romulum magnum appellare *initio huius inchoatae gloriae*; quod minime 'sensu cassum' est, sed eandem abundantiam prae se fert*), quae inest in eo quod aut Valerius scribit p. 403, 9 *pictor luctuosum immolatae Iphigeniae sacrificium referens* aut Tacitus in dia-

*34) Non inepte conferentur etiam haec quae leguntur p. 188, 6 *consulatus initium Valerius Publicola auspicatus est.* [Conf. Sinnius apud Festum p. 394, 13 Th. *qui principio alicuius rei inchoatae deficiunt animo.*]

logo 4 *quotidianum hoc patrocinium defendendae adversus te poeticae* et quae praeterea consimilia Heraeus attulit et Madvigius quem ille laudavit.

Licebat denique repetere illum modum abundantis orationis, qui verbis similis significationis altero ab altero pendentibus continetur, quem ipsi olim, profecti a Taciti dialogi locis quibusdam in dubitationem vocatis, *ingredi famam auspicatus sum*, *maturare libri huius editionem festino*, Catulliano versu *nil nimium studeo Caesar tibi velle placere* plurimisque exemplis, nec solum Latinis, etiam Graecis, declarare studuimus. Quod genus ut apud veteres frequenti usu vulgabatur, ita olim collectis, si hoc agere vellemus, multa essent quae adderentur, sed paucis tamen utemur exemplis non sine consilio selectis. Qui enim haec attenderit quae Plautus scribit in Trinummo III 2, 78 *Id me commissurum ut patiar fieri, ne animum induxeris*, quibus non dissimilia sunt in bell. Hispan. c. 9, 1 *non esse commissurum Caesarem ut in tanta loci difficultate ad subsidium mittendum se committeret;* aut quae Plautus in Pseudulo I 4, 6 *Neque exordiri primum unde occipias habes*, quibuscum conferre licet apud ipsum Valerium 145, 28 *Nasica contrariam actionem ordiri coepit;* quae Caesar bell. Gall. I 35, 3 *Sequanis permitteret, ut quos illi haberent voluntate eius reddere illis liceret;* vel Livius VII 40, 16 *cuius auspicia pro vobis experti nolite adversus vos velle experiri;* aut Plancus ep. ad fam. X 17, 2 *cum primum posse ingredi coepit* et X 21, 5 *nec tanta munera perditis hominibus dari posse sinam*, haec qui attenderit, intelliget a nullo genere litterarum hoc quidquid est abundantiae alienum fuisse neque hanc meram negligentiam habebit sed studium agnoscet cum vi quadam cumulandi similia. Quocirca quae scripta sunt in epistola Corneliae Gracchorum (p. 177 Roth.)

> *ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus ei rei haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et praebentes molestiis desistere? ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda republica?*

quorum nativam orationem H. Iordanus (Vind. serm. Lat. p. 12) non iure taxavit, vere scripta esse arbitramur: nam quod *desinemus molestiis desistere* coniunxit, etsi severe iudicanti contrariam sententiam habet, desinendi vim geminando adauxit. Nuper Th. Birtus Claudiani carminibus luculenter editis huic poetae non dubitavit vindicare (XXII 331)

Hos etiam, quamvis corrumpi munere nullo
Posse queas, mirare libens ac suscipe cinctus

cum parte codicum aliis *Te certum est* exhibentibus; qui ad hanc dicendi rationem stabiliendam praeter Catulli versum, quem tum defendimus, cum vulgo crederent non *velle* sed *belle* scripsisse poetam, perpauca ex ultima Latinitate prompta attulit, nostra ut solet aspernatus. Qui Corippi quidem memor esse potuit, in cuius Iohannide lib. VI 287 haec leguntur

non illis finibus ulla
Aera per calidum tranat suspensa volucris,
Armiger ipse Iovis, portat qui fulminis ignes,
Vix impune potest ferventis margine caeli
Flamina posse pati, quae terror iussit adire.

Nam quod Partschius de Hauptii coniectura edidit *Flamina tosta pati* dubitamus quam vere posuerit. Neque haec veteribus propria sunt; Francogalli quidem ita dixerunt *avant que, selon un pléonasme bien expressif, il se fût décidé à se décider*, et Goethius nostras Famulum in Fausto sic facit loquentem *kaum wag' ich's, mich hereinzuwagen*, plane ut Plautus, quem l. s. s. attulimus, *neque conari id facere audebatis prius*, vel Seneca, de quo dictum est in praefatione Senecae Kochiani p. IX, *respicientem ad naturae suae vires conari alta temptare.*

Sed subsistimus: satis enim ac fortasse plus etiam quam satis minutiarum collegimus. Scr. m. Maio a. MDCCCXCIV.

XLI. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1895.

3 De versibus nonnullis Sophocleis in controversiam vocatis agemus ita potissimum, ut aut ipsius poetae usus dicendi sedulo observatus aut aliorum scriptorum, etiam longius remotorum, ascitae similitudines in hac interpretandi opera quid valeant exemplis quibusdam declaremus. Nam interpretes, nec solum Sophoclei, nimis saepe ita officio suo satisfacere instituunt, ut nihil scriptoris sui morem persecuti, nedum aliorum ratione comparata, omnia ex verbis ipsis, de quibus cummaxime agunt, petere posse sibi videantur. Sunt etiam qui hoc genus omne, quod exemplorum usu maxime continetur, tamquam inutile aspernantur et ludibrio habent, sibi fidentes et ad sui ingenii modum in veterum oratione quid recte quid prave elatum haberi debeat dirimentes. A quibus nos ita dissentimus ut, quamquam olim saepe multi apta inepta utilia inutilia parum subacto iudicio congerere solebant, tamen recte instituta exemplorum selectione vix esse efficacius argumentum putemus quo aut quae libri tenent cum addubitantur sui similibus confirmes aut criticorum fastidiosa iudicia confutes cum quae negant fieri posse saepe in proximis intacta legi ostendere licet. Incipimus autem a minutissimis quibusdam quaestionibus.

1. Quae Electra dicit in ea *ῥήσει* qua Chysothemin sororem permovere studet Oreste misera morte absumpto ut secum Aegisthum percussorem patris neci dare ne extimescat (v. 967)

ἀλλ' ἢν ἐπίσπῃ τοῖς ἐμοῖς βουλεύμασιν,
πρῶτον μὲν εὐσέβειαν ἐκ πατρὸς κάτω
θανόντος οἴσει τοῦ κασιγνήτου θ' ἅμα

in iis Meinekius duplici emendatione usus est, cum aut *ἐκ πατρὸς κάτω κεύθοντος* aut *κάτω ναίοντος* scribendum proponeret, *θανόν-*
4 *τος* autem 'ex glossa interlineari' in textum illatum esse censeret. Apparet quid eum moverit: participium circumspiciebat cum *κάτω* quod recte coniungi posset. In qua re quamquam non paucos sibi

assentientes habuit, tamen a corrigendi conatu revocare debebat cognata oratio qua Orestes in cognomine fabula Menelaum appellat (v. 674)

ὦ πατρὸς ὅμαιμε θεῖε, τὸν κατὰ χθονὸς
θανόντ' ἀκούειν τάδε δόκει.

Quorum similitudo verborum in aperto est nec fugit alios. Verum tamen ambigua est utroque loco orationis forma, quae nisi probabilem in modum expedietur, haerebit semel mota de Sophoclei versus integritate dubitatio. Nam id quidem Meinekius recte intellexit, κάτω in Electrae versu traiectum non esse, quasi dicere vellet 'infra a patre mortuo pietatis laudem feres', neque cum θανόντος coniungi posse ut diceretur 'pater qui apud inferos mortuus est'. Sed dum properat ad emendandum non vidit esse tertiam explicandi rationem, quam eo probabiliorem ducimus, quia pariter utriusque poetae versibus applicari potest. Nam si κάτω, quod a πατρὸς nomine separari non potest, cum participio θανόντος non ita coalescit in unum ut sit ὁ κάτω θανών, tamen nihil prohibet, quominus haec duo non coniuncta sed ἐκ παραλλήλου composita sint, ut altero alteri praeter necessitatem super addito rotundior exiret ac plenior oratio. Quae necessitudo inter duo, etsi difficile exprimitur verbis, non inepte fortasse reddetur ita ut intelligatur 'a patre apud inferos quippe mortuo'. Eodemque sensu Euripides ad τὸν κατὰ χθονός, quae plena est oratio quaeque nihil sibi addi desiderat, libero modo θανόντα adiecisse credendus est. Sed haec quamvis per se sint satis probabilia, tamen veremur ne non multis probaturi simus, nisi contigerit ea ut simili exemplo Sophocleo corroboraremus. Sunt verba Philoctetae (v. 1348)

ὦ στυγνὸς αἰών, τί με, τί δῆτ' ἔχεις ἄνω
βλέποντα κοὐκ ἀφῆκας εἰς Ἅιδου μολεῖν;

quibus verbis videmus ἄνω βλέποντα in contrariam partem non aliter dici quam κάτω θανόντος in Electra, non ut ἄνω βλέπων intelligatur, non magis quam ὁ κάτω θανών, sed utrobique alterum alteri, adiuvante etiam versus conformatione, liberius adnecti, ut duobus separatim positis exprimatur quod altero utro satis significari poterat: 'quid me retines', inquit Philocteta, 'apud superos ut vivum et videntem'. Quod vero Meinekius in versu Electrae aut κάτω aut θανόντος 'moleste abundare' scribit, ea non maior est abundantia quam qua Philoctetae oratio laborat, in qua βλέποντα tam recte abesse poterat quam θανόντος in altero versu;

sed qui libero animo, non coniecturarum libidine corrupto has tragoedias perlustrat, eum non potest praeterire, poetas non id agere ut quam parcissime sensus promant sed venustam quandam ubertatem loquendi sectari, quae ut res et personas deceat ita auditorum aures dulci sonore permulceat.

2. In eadem sororum concertatione, in ea parte qua Chrysothemis ab audaci incepto Electram dehortari sic ut potest conatur, inde a v. 1003 haec leguntur.

ὅρα κακῶς πράσσοντε μὴ μείζω κακὰ
κτησώμεθ', εἴ τις τούσδ' ἀκούσεται λόγους.
λύει γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν οὐδ' ἐπωφελεῖ
βάξιν καλὴν λαβόντε δυσκλεῶς θανεῖν.
οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
χρῄζων τις εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν.

In extremis duobus versibus, quibus Ad. Michaelis insanabilis plagae notam praefixit, multa temptata sunt a doctis, fuerunt etiam qui, quae est multorum hodie diva *Πανάκεια*, hos duos versus aut solos*) aut cum pluribus delendos esse sibi persuaderent. Quos versus, in quibus interpretes nostros vix ulla parte explevisse munus suum dicas, olim interpres Graecus ita explicuit, nihil ut dubitationis superesse videatur, quin et recte et suo loco elata haec sententia sit. Qui primum ad (1006) δυσκλεῶς θανεῖν haec adnotavit ἐνταῦθα δηλοῖ τὸ μετ' αἰσχρᾶς τιμωρίας ἀποθανεῖν. καὶ Ὅμηρος· 'μὴ μὴν δὴ καθαρῷ θανάτῳ ἀπὸ θυμὸν ἑλοίμην'. Versus quos dicit Odysseae (XXII 462), quibus refertur Telemachus in δμωὰς sceleratas omnique poena dignas quid constituerit ne illae καθαρῷ θανάτῳ (mera morte) perirent sed ut dicitur v. 472 ὅπως οἴκτιστα θάνοιεν, possunt indicio esse, quale genus necis Chrysothemis sibi animo informaverit cum dicat δυσκλεῶς θανεῖν. Haec autem quae sentit quo magis in luce ponantur subnectit illa οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον κτλ. Quorum sententiam scholiasta Graecus in hunc modum reddidit (1008) εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ: οὐ τὸ τοῦ θανάτου δεινόν ἐστιν, ἀλλ' ὅταν ἐπιθυμῶν τις ἀποθανεῖν, ὥστε τὰς παρούσας κολάσεις ἐκφυγεῖν, τότε μηδὲ τούτου τύχῃ. τοιαῦτα οὖν πεισόμεθα ὧν ὁ θάνατος αἱρετώτερος. Quae perspicua sunt et hunc interpretem probant ea explicare quae scripta sunt in libris. Ab hoc autem

*18) Quod v. 1007 in codice Laurentiano omissus, a correctore additus est, cuius rei causa apparet duobus continuis versibus in eandem vocem desinentibus, inde de origine versuum concludi nihil potest.

aliena sunt quae ad v. 1007 adnotantur *λείπει τὸ καλῶς*, quique hinc exorsi ut ei locum pararent quod ille deesse scribit aut *καλῶς* reponere pro *λαβεῖν* voluerunt aut eodem consilio ex *ὅταν* efficiendum *ὅτ' εὖ* coniectarunt, misere poetae sententiam depravarunt, quem non viderunt quam inepte balbutientem redderent, cum aut ita diceret, 'mori non est pessimum sed cum mori cupias pulchre mori non posse', aut 'mori non est pessimum sed cum bene mori cupias id assequi non posse'. Quanto verius ille prior scholiasta cuius verba reddidimus poetae mentem perspexit cum in hac altera adnotatione tum in illa superiore quam ad v. 1006 adscripsit, quae ut eodem tendunt unius auctoris originem produnt. Verum ne in *γὰρ* quidem particula, pace dictum esto viri humanissimi, erat quod offenderetur, quae eam sententiam affert, qua quod ante dixit Chrysothemis *δυσκλεῶς θανεῖν* declaret atque confirmet. Cuius ratiocinationem in hunc fere modum licet evolvere: 'nihil prodest bonam famam nactis infami modo mortis perire: infami inquam mortis modo; nam mori non est infensissimum, sed cum ea condicione sis ut mors vehementer cupienda sit tum ne id quidem posse nancisci'. Suntne haec satis digna Chrysothemidis ingenio? Similem autem condicionem ei quam Chrysothemidis 6
pavor et sensit et significavit, ut iam oratio deveniat quo volebamus, Xenophon depinxit in Anabasi cum ita scribit (III 1, 29) *ἐπεὶ δ' αὖ οἱ στρατηγοὶ καὶ λοχαγοί, ὥσπερ δὴ σὺ κελεύεις, εἰς λόγους αὐτοῖς ἄνευ ὅπλων ἦλθον πιστεύσαντες ταῖς σπονδαῖς, οὐ νῦν ἐκεῖνοι παιόμενοι κεντούμενοι ὑβριζόμενοι οὐδὲ ἀποθανεῖν οἱ τλήμονες δύνανται καὶ μάλ' οἶμαι ἐρῶντες τούτου;**) Quae qui in unum contulerit cum iis quae Odyssea nobis supra praebebat, abunde habebit, quibus et explanare Sophoclis sententiam possit et in hac quoque parte admirabilem fuisse poetam patefacere. Quamobrem, *εἴ τι ἐμὴ ξυμβουλὴ* ait Plato, Michaeli nostro magnopere auctores simus, ut versus integerrimos in posterum cruce liberet, ne triste signum legentibus incommodet poetaeque studiose amantes temere impediat, cupimus autem etiam S. Meklero persuasisse ne aliena auctoritate seductus pergat pro spuriis habere quae verissimam Sophoclis manum produnt.

---

*26) [Cicero in Antonium dicit XII 8, 21 *vitae censetisne habendam mihi aliquam esse rationem? quae mihi quidem minime cara est, praesertim cum Dolabella fecerit, ut optanda mors esset modo sine cruciatu atque tormentis.*]

3. Tertio loco ex eadem Electra proponimus haec de chori cantu quae inde a v. 495 leguntur.

πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει
μήποτε μήποθ' ἡμῖν
ἀψεγὲς πελᾷ τέρας
τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν.

De quibus nunc non aliter sentimus atque olim cum ea sic recte scribi affirmabamus ut supra posita sunt. Quis nobis credidit? Et nihil novi afferebamus sed laudabamus eam scripturam quam ab aliis constitutam ipsa Probabilitas ut opinabamur suadebat. Nam profecto qui huius cantus iter a principio persecutus fuisset, deinde quae Laurentiani codicis fides exhibet *πρὸ τῶνδέ τοι μ' ἔχει μήποθ' ἡμῖν ἀψεγὲς πελᾶν τέρας τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν* non occupata mente perspexisset diligenterque temptasset, eum dubitare non posse putabamus, mulierum Mycenensium mentem his fere verbis expressam teneri, *τοιγάρτοι με ἔχει, μήποτε τέρας πελᾷ τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν*, neque desiderari ad *ἔχει* verbum nomen adiectum*), cuius vis verbi ex re ipsa perspiceretur, cum praesertim quae inde suspensa est sententia a *μήποτε* particula recta certissime duceret, nemo ut ambigere posset quale nomen cogitaretur. Itaque sic rationem conclusimus, ut oratio constaret, quae labeculam traxit in memoria codicis, nihil requiri nisi ut *πελᾶν* quod nihili esset et sano sensui manifesto refragaretur lenissimo modo mutaretur in *πελᾷ*, quam formam verbi ipsa sententiae structura flagi-
7 taret, numerorum autem mensura, quam mancam tradidit codex, ut suppleretur, verisimilius non posse inveniri quam quod in quibusdam codicibus inchoatum est, ut semel scriptum in Laurentiano *μήποτε* geminaretur. Quae quidem geminatio huius et similium

*18) Quod in scholiis ad v. 495 *πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει* praeter alia haec adnotatio fertur *ἔχει θάρσος: τό τοι σύνδεσμος παραπληρωματικός*, unde Michaelis in scripturarum recensu *ἔχει θάρσος* tamquam scholiorum scripturam refert, de huius scholii ratione non recte iudicari videtur; quod sic opinamur scribendum est *ἔχει: θάρσος*, deinde sequitur altera adnotatio ad eundem versum sed ad *τοι* particulam pertinens *τό τοι σύνδεσμος π.* Nihil hic interpres nisi *ἔχει* legerat sed intelligi *θάρσος* indicat. De simili genere scholiorum in prooemio a. 1883 p. 5 (P. I p. 200 s.) dictum est. — In versu Sophoclis, ut hoc addatur, *ἔχει* positum est non aliter atque in Oedipo R. 726 *οἷόν μ' ἀκούσαντ' ἀρτίως ἔχει, γύναι, ψυχῆς πλάνημα κἀνακίνησις φρενῶν*, nisi quod in Electra nihil nominis additum est ut nihil desiderabatur. *Es fasst mich kalt beim Schopfe,* inquit Margareta.

locutionum nemo nescit quam familiaris fuerit poetis, velut, ut pauca de multis afferamus, *μήποτε μήποτε* Aeschylus Prom. 892; *μήποτε μήποτε* Euripides Phoen. 190; *ἀλλ' οὔποτ' οὔποτ', οὐ γὰρ εἰσάπαξ ἐρῶ* Androm. 943; *τόδε τοι θαῦμά μ' ἔχει, πῶς ποτε πῶς ποτ'* Sophocles Philoct. 686; *πῶς ποτε πῶς ποθ'* Oed. R. 1210; *μὴ δῆτα μὴ δῆτ'* ibid. 830. Eandemque geminationem quis non sentit huius colori sententiae mulierumque anxiae exspectationi apprime appositam fuisse. Sed nos non hoc nunc agebamus, ut universam huius particulae naturam explanaremus argumentandoque scripturam confirmaremus; neque nobis tantum arrogamus ut nunc melius quam olim nostris rationibus explicandis eam quae regnat in his fabulis tractandis opinionum levitas ad simplicitatem sanitatemque iudicii revocari posse arbitraremur. Longe minutius est et levius nunc quod instituimus: unam enim vocem *ἀψεγές*, a qua *ἡμῖν* separandum non est, quam et ipsam fuerunt qui splendida doctrina abusi emendando depravare festinarent, exemplis volumus scriptoris longe a Sophoclis aetate remoti declarare et si opus fuerit stabilire. Quo enim sensu chorus canit *τέρας τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν* appropinquare *ἀψεγὲς ἡμῖν* (h. e. canentibus ipsis iisque quibus adsunt), eodem sensu Dionysius Halicarnassensis non semel cum de vindicta divina verba faceret locutus videtur. Qui ita scribit

> *πᾶν ἁμάρτημα τῆς Ἀλβανῶν πόλεως ἀφιέντες, εἰ δὴ καὶ κοινὰ χρὴ καλεῖν πόλεως ἁμαρτήματα, ὧν ὁ στρατηγὸς ὑμῶν Κλοίλιος αἴτιος ἦν, ὃς ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἡμῶν οὐ μεμπτὰς τέτικε δίκας τοῖς θεοῖς* III 9 p. 222, 9 Kiessl.
>
> *ταύτης δὲ τῆς ἀπάτης, ἐν ᾗ τὸ πλεῖον ἀνάγκης μέρος ἦν, οὐ μεμπτὰς τετικέναι δίκας ἑκάστην πόλιν ἔλεγον, τῆς κρατίστης νεότητος ἀναιρεθείσης* VI 18 p. 233, 20.
>
> *πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα Κυμαίοις ἐνυβρίσας καὶ λωβησάμενος καὶ οὔτε ἀσελγείας οὔτε ὠμότητος οὐδεμιᾶς ἀποσχόμενος, ὅτε ἀσφαλῶς κατέχειν ὑπελάμβανε τὴν τυραννίδα γηραιὸς ὢν ἤδη, δίκας ἔτισεν οὐ μεμπτὰς θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις πρόρριζος ἀπολόμενος* VII 9 p. 13, 10.
>
> *τοιγάρτοι δίκη μὲν ἐκείνοις σὺν χρόνῳ τιμωρὸς οὐ μεμπτὴ παρηκολούθησε, δι' ἣν ἐκ μεγίστου τέως αὐχήματος εἰς ταπεινότατον πτῶμα κατήχθησαν* VIII 80 p. 206, 3.
>
> *ὑμῖν δὲ τοῖς ἐγκαταλείπουσι καὶ προδιδοῦσι τὸ κοινὸν ἥξει δίκη τιμωρὸς οὐ μεμπτὴ παρὰ θεῶν, ἐὰν ἄρα δια-*

φύγητε τὴν παρ' ἀνθρώπων κόλασιν x 28 p. 44, 22. Cf. Excerpt. p. 234 n.

4. Pergimus colligere minutias. In colloquio quod habetur inter Electram et mulieres Mycenenses quae chorum constituunt, cum de Oreste agitur et quid ab eo exspectandum sit, choro adhortanti (v. 322)

θάρσει· πέφυκεν ἐσθλός, ὥστ' ἀρκεῖν φίλοις

Electra respondet

πέποιθ', ἐπεὶ τἂν οὐ μακρὰν ἔζων ἐγώ

h. e. confido; nam nisi confiderem non viverem diu. Eos enim licet omittere qui haec non de futuro sed de praeterito accipientes ita sententiam reddunt quasi diceret 'alioquin non vixissem diu'. Id quod tam oratione ipsa reprobatur quam sermonis itineri repugnat. Sed Meinekius falso scribi ἐγώ, requiri οὐ μακρὰν ἔζων ἔτι, sibi persuasit, disputatque ita (verba enim eius afferenda ipsa sunt): 'desidero aliquid' inquit 'ad orationis integritatem. Sophocles sine dubio scripserat οὐ μακρὰν ἔζων ἔτι. Ita omnes in omnibus linguis loquuntur. ΕΤΙ et ΕΓΩ facillime unum pro altero ponuntur.' Haec ille, scripturamque ab eo propositam probavit Nauckius, quamquam eam recipiendam non duxit. Qui dedita opera refelleret novimus neminem et ab iis qui criticorum inventa colligunt circumfertur ut quae vera esse possit. De uno versu Electrae si ageretur, non esset quod multa loqueremur; nam nemo dubitabit, quin ἔτι recte scribi potuerit, quamquam vel sic quaeri poterat ἐγὼ quo iure mutaretur, quod fortasse falsum non esset et a poeta praelatum. Sed qua ratione Meinekius a se inventum ἔτι firmatum ivit cum diceret ita omnes in omnibus linguis loqui, id illi exploratumne fuerit, an fortasse temere, ut nimis saepe solent critici, cum sibi fidem haberi volunt, incognitam rem pronuntiarit, hoc cum cura quaesitum possit aliquid etiam ultra versum Sophocleum utilitatis habere. Nos pauca promimus. Itaque videmus in contrariam partem iudicare doctos in versu Supplicum 454. Cum enim Euripides, si fidem librorum sequimur, Thesea ita disputantem facit,

450 κτᾶσθαι δὲ πλοῦτον καὶ βίον τί δεῖ τέκνοις,
ὡς τῷ τυράννῳ πλείον' ἐκμοχθῇ βίον,
ἢ παρθενεύειν παῖδας ἐν δόμοις καλῶς,
τερπνὰς τυράννοις ἡδονάς, ὅταν θέλῃ,
δάκρυα δ' ἑτοιμάζουσι; μὴ ζῴην ἔτι,
455 εἰ τἀμὰ τέκνα πρὸς βίαν νυμφεύεται,

ut mittamus reliqua quae multa in his versibus addubitantur et attemptantur, non tulerunt particulam, sed pronomen poposcerunt, *μὴ ζῴην ἐγώ*, quod ab Hartungo acceptum Wilamowitzius edita hac fabula in Analectis Euripideis p. 98 in textu posuit. Non vituperamus pronomen, quamquam ambigimus quam recte particula respuatur*). Nam etsi discriminis quiddam sentitur posita aut adempta particula temporali, quod genus etiam Dio Chrysostomus de Alexandro scribit 4, 49 *οὐδὲ γὰρ ζῆν ἐβούλετο, εἰ μὴ βασιλεὺς εἴη τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίας κτλ*, sed idem de Achille 11, 101 *καὶ περὶ τοῦ Πατρόκλου ἐτύγχανεν ἀκηκοὼς τῆς μητρός, ὃν φησιν ἐν ἴσῳ τῇ ἑαυτοῦ κεφαλῇ τιμᾶν καὶ μηδὲ αὐτὸς ἔτι βούλεσθαι ζῆν ἐκείνου ἀποθανόντος*, tamen hoc quidquid est discriminis ita comparatum habemus, ut arbitrio scriptoris relinquendum videatur. Sed Oedipus quae dicit in Sophoclis Oedipo Coloneo 1366

εἰ δ’ ἐξέφυσα τάσδε μὴ ’μαυτῷ τροφοὺς
τὰς παῖδας, ἦ τἂν οὐκ ἂν ἦ, τὸ σὸν μέρος,

cum intelligat *οὐκέτι ἂν ἦν*, iam subsidio esse versui Electrae possunt ne *ἔτι* invito poetae obtrudamus. Nam si quis eam particulam requiri censeat propterea quod *μακρὰν* habeat notionem temporalem et terminum definiat, veremur ne non recte iudicet, si quidem et Cicero Catonem (7, 24) ita loquentem facit *nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere*, et apud nostrates Goethius non solum Faustum de Helena

Nun ist mein Sinn, mein Wesen streng umfangen;
Ich lebe nicht, kann ich sie nicht erlangen,

sed etiam addita notione temporis in eadem tragoedia veneficam

Ich will euch gern ein Gläschen geben.
Doch wenn es dieser Mann unvorbereitet trinkt,
So kann er, wisst ihr wohl, nicht eine Stunde leben.

Quibus exemplis consulto compositis tantum patefactum est, Menekium in eo quod de ‘omnium linguarum’ usu iactabat multo plus professum esse quam praestare poterat; qui quidem nobis, quod saepe etiam in praeclaris criticis observare licet, nulla re nisi vulgari nostra dicendi consuetudine ductus videtur, quae in hoc genere loquendi multisque similibus particulas frequentare solet, quibus veteres saepius videmus pepercisse. Quod quam verum sit intelliget qui vel haec quae infra posita sunt exempla pauca

*6) [In Oreste Pylades dicit (1147) *μὴ γὰρ οὖν ζῴην ἔτι, ἢν μὴ ’π’ ἐκείνῃ φάσγανον σπάσω.*]

studiosius pertemptaverit maximeque qua re a Germanici sermonis more discedant attenderit. Euripides Phoeniss. 46

ὡς δ' ἐπεζάρει
Σφὶγξ ἁρπαγαῖσι πόλιν, ἐμός τ' οὐκ ἦν πόσις,
Κρέων ἀδελφὸς τἀμὰ κηρύσσει λέχη

sed ibidem v. 36

Λάιός θ', οὑμὸς πόσις,
τὸν ἐκτεθέντα παῖδα μαστεύων μαθεῖν,
εἰ μηκέτ' εἴη.

Helena 686

ΕΛ. οὐκ ἔστιν μάτηρ· ἀγχόνιον βρόχον
δι' ἐμὲ κατεδήσατο δύσγαμος αἰσχύνᾳ.
ΜΕ. ὤμοι· θυγατρὸς δ' Ἑρμιόνης ἔστιν βίος;

In Sophoclis Electra ipsa 822

ὡς χάρις μὲν ἢν κτάνῃ,
λύπη δ' ἐὰν ζῶ· τοῦ βίου δ' οὐδεὶς πόθος

h. e. τοῦ βίου οὐκέτι πόθος, et poterat hoc unum exemplum Meinekium si attendisset ab emendando altero retinere. Porro 876

πόθεν δ' ἂν εὕροις τῶν ἐμῶν σὺ πημάτων
ἄρηξιν, οἷς ἴασιν οὐκ ἔνεστ' ἰδεῖν.

Quae quia hanc vim habent '*für die nicht Heilung mehr zu sehn*' certatim advolant, ἔτ' ἔστ' coniectantes, cuius scripturae vestigia quaedam iam in codicibus expressa sunt, quibus nihil probatur nisi iam olim fuisse qui ἔτι in hac sententia desiderarent. Et quae 925 leguntur

τέθνηκεν, ὦ τάλαινα, τἀκείνου δέ σοι
σωτήρι' ἔρρει· μηδὲν ἐς κεῖνόν γ' ὅρα

quoniam sic reddenda sunt '*nicht blick auf jenen mehr*', non defuerunt (tres enumerat Michaelis diligentia) qui μηκέτ' scribi iuberent*). Quibus eo minus fidem habemus, quia vel his paucis exemplis videmus, quod plurimis cognosci potest, criticos nihil nisi emendandi occasionem venantes quae facile emendari possunt emendare, quae non possunt, quamvis simillima sint, praetermittere securos.

5. Haec levidensia sunt admodum: paulo fortasse graviora haec quae deinceps disputabimus de verbis multum quidem disceptatis necdum ad probabilem rationem revocatis quae in Electra v. 797

*30) [Apud Aristophanem quoque hic illic (cf. Equit. 699; Thesmoph. 225) ἔτι particulae praeter libros et praeter necessitatem locum fecerunt.]

et 798 leguntur. Postquam enim paedagogus hoc consilio ad Clytaemnestram missus simulatum interitum Orestis illa splendida oratione et quae miserationem movere posset enarravit atque exornavit, Clytaemnestra paulisper commota ut mater, dein gaudio elata, quod tanto periculo ab ultore dum viveret imminente liberata securitati vitae se dare possit, hoc animo cum Electra primum, dein cum paedagogo sermonem nectit. Ex quo haec afferimus.

ΗΛ. ὕβριζε· νῦν γὰρ εὐτυχοῦσα τυγχάνεις.
795 ΚΛ. οὔκουν Ὀρέστης καὶ σὺ παύσετον τάδε.
ΗΛ. πεπαύμεθ' ἡμεῖς, οὐχ ὅπως σε παύσομεν.
ΚΛ. πολλῶν ἂν ἥκοις, ὦ ξέν', ἄξιος φιλεῖν,
εἰ τήνδ' ἔπαυσας τῆς πολυγλώσσου βοῆς.
799 ΠΑΙ. οὐκοῦν ἀποστείχοιμ' ἄν, εἰ τάδ' εὖ κυρεῖ.

Quem cum sermonem attentius persequimur, primum intelligere videmur, quae dicit Clytaemnestra (795) οὔκουν Ὀρέστης καὶ σὺ παύσετον τάδε non interrogationem esse quam vulgo credunt sed conclusionem; quippe Clytaemnestra ex eo quod Electra dixerat ὕβριζε· νῦν γὰρ εὐτυχοῦσα τυγχάνεις colligit, ab ipsa igitur et ab Oreste mortuo haec iam non turbatum aut finitum iri. Quod cum Electra non sine acerbitate ita esse concesserit verbis πεπαύμεθ' ἡμεῖς, οὐχ ὅπως σε παύσομεν, tum Clytaemnestra paedagogum appellat, ut eum optime de se meritum esse fateatur quod ei contigit ut Electrae multisonis clamoribus finem imponeret. Non dubitat illa hoc eum vere perfecisse, sed agnoscit et dilaudat beneficium quantivis pretii; neque secus paedagogus mentem eius accepit, qui ita respondet, ut illa quae dicat sibi grata esse significet: οὐκοῦν ἀποστείχοιμ' ἄν, εἰ τάδ' εὖ κυρεῖ. Particula vero condicionalis non in hac magis quam in illa oratione vim incerti habet aut dubitationis, sed forma condicionali ponitur quod factum est ex eoque concluditur. Hanc sermonis rationem illi non assecuti sunt qui ἂν ἧκες reponentes (pro ἂν ἥκοις) huic ut respondeat εἰ ἔπαυσας, non quod factum est sed quod fieri potuisset efferri volunt; non magis illi, qui cum servant quod scriptum est in libris ἂν ἥκοις huic ex altera parte εἰ τήνδε παύσαις (vel παύσεις) respondere iubent: quo facto quae gesta esse Clytaemnestra sentiebat in vim voti aut futuri notionem accipienda sunt. Poterat recte dici ἥκεις ἄξιος εἰ ἔπαυσας, a quo tenuissima differentia distat id quod solita urbanitate loquendi positum est ἂν ἥκοις, non aliter atque in proximo versu ἀποστείχοιμ' ἄν et sexcenties in

una tragoedia. Sed has difficultates critici ipsi crearunt, quae
11 nullae sunt simpliciter ac vere iudicanti. Impeditior est eiusdem versus exitus, quem codex Laurentianus ita scriptum exhibet *ἄξιος φιλεῖν*, cum aliis Parisinus *ἄξιος τυχεῖν*, id quod correctoris manu tralatum est etiam in Laurentianum. Sunt qui *τυχεῖν* pro vero habent; nec improbabilis exsistit oratio, sive ita interpreteris ut *ἄξιος* dicatur *πολλῶν τυχεῖν* sive ad *πολλῶν ἄξιος* infinitivum *τυχεῖν* libere adiectum statuas. Alii in eadem sententia *λαχεῖν* praeferendum censuerunt, et notum est haec duo verba similis formae cognataeque significationis nonnumquam inter se permutata esse in libris, velut in Electrae versu 364 (cf. 751), sed qui hos versus duos respexerit, Antigonae 699

οὐχ ἥδε χρυσῆς ἀξία τιμῆς λαχεῖν;

Aiacis 924 *ὦ δύσμορ' Αἴας, οἷος ὢν οἵως ἔχεις,*
ὡς καὶ παρ' ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν,

dabit fortasse, non esse, si hanc sententiam sequimur, quod *τυχεῖν*, quae forma habet tamen scripti libri testimonium, mutetur in *λαχεῖν*. Sed etsi probabilem esse istam orationem diximus, quae non leviter adiuvatur exemplis modo allatis, tamen quam fidem habeat illa scriptura vehementer dubitamus propterea quod si *τυχεῖν* verum est, *φιλεῖν* quod est in potissimo codice unde ortum sit plane est in obscuro. Quare sic statuimus, *τυχεῖν* coniecturae acceptum ferri, minime vituperabili illi quidem sed tamen coniecturae, quam inierunt qui *φιλεῖν* intelligi posse desperarent. Itaque laudandi sunt qui ab hoc potius verbo profecti divinando poetae manum suscitare conabantur; sed varia quae protulerunt commenta, a Michaele in adnotatione vel in appendice diligenter collecta,

πολλῶν ἂν ἥκοις, ὦ ξέν', ἄξιος φίλων
πολλῶν ἂν ἥκοις, ὦ ξέν', ἄξιος φίλοιν vel *φίλοις*
πολλῶν ἂν ἥκοις, ὦ ξέν', ἄξιος φέρειν,

quamquam aliud alio melius est, et hoc postremum praecipue scite excogitatum est, tamen haec omnia non eam attingunt probabilitatem qua facile acquiescas. Fuit etiam vir doctus qui nec *τυχεῖν* nec *φιλεῖν* tolerandum ratus, abiecto verbo pronomen inseruit *ἡμῖν*, quo addito orationem quidem effecit haud ineptam, *πολλῶν ἂν ἥκοις ἡμῖν, ὦ ξέν', ἄξιος*, sed genere emendandi usus, quod etsi multos habet plausores, raro quod veri simile esset assecutum est. Nos recensitis omnibus *φιλεῖν* repetiimus, codicis fide munitum,

atque id mutare cum superioribus eo magis dubitamus, quo certius intelligere videmur, hoc verbum ipsum posse huic orationi accommodari. Ut enim mittamus paulisper *πολλῶν*, reliqua oratio *ὦ ξένε ἄξιος ἂν ἥκοις φιλεῖν*, nihil habet quod non recte aut non apte elatum sit; nam *ἄξιος φιλεῖν* h. e. dignus quem ames, ita probum est, ut licet nostro more loquendi infinitivus passivi potius exspectetur, qui Graece quoque recte scribi poterat, ut est apud Platonem *ἄξιος τιμᾶσθαι*, tamen nihil certius sit quam activam formam infinitivi Graecorum usui magis acceptam fuisse; itaque Plato scribit Legg. XII p. 301, 18 Bekk.

> *ἐὰν δὲ ἄξιον ὄντα εἰς δικαστήριον εἰσάγειν ἀρχόντων μηδεὶς εἰσάγῃ, ὄνειδος ἀποκείσθω τοῖς ἄρχουσιν* h. e. dignum quem inducas;

Euripides Electr. 1016 12

> *τὸ πρᾶγμα δὲ*
> *μαθόντας, ἢν μὲν ἀξίως μισεῖν ἔχῃ,*
> *στυγεῖν δίκαιον.*

Idem Orest. 1153

> *πάσαις γυναιξὶν ἀξία στυγεῖν ἔφυ*
> *ἡ Τυνδαρὶς παῖς,*

et saepe multi nec solum in hoc sed multis similibus dicendi generibus. Quod vero Clytaemnestra est quae paedagogum *ἄξιος φιλεῖν* h. e. dignum esse dicit qui ametur, ne quem vis verbi offendat, loquitur quemadmodum infra Electra locuta est (v. 1363) cum eundem paedagogum his verbis appellat *ἴσθι δ' ὡς μάλιστά σ' ἀνθρώπων ἐγὼ ἤχθηρα κἀφίλησ' ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ*. Itaque restat *πολλῶν*, quod ante seposuimus, quod iam impensius cavendum est ne quae satis tuto nobis exaedificata videntur labefactet et corruat. Non potest autem genetivus *πολλῶν* nisi cum *ἄξιος* coniungi, cui adiectum videtur, ut quasi gradus *τοῦ ἀξίου* augeatur et paedagogus non *ἄξιος φιλεῖν* sed *πολλῶν ἄξιος φιλεῖν* appelletur quasi dicas *σφόδρα ἄξιος*. Quem modum loquendi quominus temere statuere videamur, gravissimus auctor Graecitatis prohibebit Plato, qui ita scribit Legg. XII p. 299, 7

> *εἰσὶ γὰρ ἐν τοῖς πολλοῖς ἄνθρωποι ἀεὶ θεῖοί τινες, οὐ πολλοί, παντὸς δ' ἄξιοι ξυγγίγνεσθαι,*

quae neminem offenderunt, immo ne attendit quidem quisquam quod sciamus; et tamen omni genere oratio gemella est ei quam apud Sophoclem infestarunt docti indoctique; nam ne dicamus

quod apertum est ξυγγίγνεσθαι pari modo positum esse quo φιλεῖν in Electra, non ἄξιοι ξυγγίγνεσθαι dicuntur sed παντὸς ἄξιοι ξυγγίγνεσθαι h. e. non digni sed maxime digni quibuscum consuetudinem habeas. Addimus alterum exemplum eiusdem locutionis, quod ex Phaedro Platonis petimus, ubi ita loquitur Socrates (p. 47, 3 Schanz.)

> ὅτε σπουδῇ σε πείθοιμι, συντιθεὶς λόγον ἔπαινον κατὰ τοῦ ὄνου, ἵππον ἐπονομάζων καὶ λέγων ὡς παντὸς ἄξιον τὸ θρέμμα οἴκοι τε κεκτῆσθαι καὶ ἐπὶ στρατιᾶς.

His igitur exemplis*), paucis quidem sed certis et apertis, adiuti et confirmati multos annos in scholis Sophocleis verba Electrae a criticorum commentis tutari viriliter studuimus, illud quoque declarare, ἄξιος quia vim pretii haberet, ea notio ubi exaggeranda esset, addito genetivo πολλοῦ, παντός augeri solitam esse, πολέος δέ οἱ ἄξιον ἔσται (Od. VIII 405) i. e. *es wird ihm sehr werthvoll sein*; vel ut Xenophon loquitur in Anabasi (IV 1, 28) Ἀριστέας Χῖος, ὃς πολλαχοῦ πολλοῦ ἄξιος τῇ στρατιᾷ εἰς τὰ τοιαῦτα ἐγένετο h. e. *sehr werthvoll für dergleichen**), ex hac autem consuetudine natum esse alterum, ut vel ibi genetivo addito augeretur vis vocis ἄξιος, ubi simul infinitivum verbi sibi adiectum haberet, quod qua re quis dignus haberetur significaret. Sed sive hoc modo sive alio hanc proprietatem usus explicandam censent, de re ipsa dubitari non potest. Ac nuper novum accessit eiusdem locutionis exemplum, quod nos quidem adhuc fugerat, quod tamen, nisi
18 fallit opinio, primi ad verum interpretandi modum referimus, Dionis Chrysostomi, quem olim a nobis adolescentibus studiose versatum, quod modo recolere coepimus, beneficio factum est Ioannis Arnimii, viri nobilis, qui priorem orationum partem ad codices diligenter excussos recognitam ingenioque tam suo quam alieno emendatam edidit. Dio igitur statim in prima oratione haec scripsit 1, 6.

> ὁ γοῦν Τιμόθεος, εἰ καθάπερ πολεμικόν τινα διελθεῖν ᾔδει νόμον, οὕτως ἠπίστατο αὔλημα δικαίαν καὶ φρόνιμον καὶ σώφρονα τὴν ψυχὴν καὶ φιλάνθρωπον δυνάμενον παρασχεῖν, μὴ πρὸς ὅπλα ὁρμῶσαν μόνον ἀλλὰ ἐπί τε εἰρήνην καὶ ὁμόνοιαν καὶ θεῶν τιμὰς καὶ ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν,

---

*9) [Aristophan. Av. 797 ἆρ' ὑπόπτερον γενέσθαι παντός ἐστιν ἄξιον;]

*17) [Thucyd. IV 40, 2 ἀπεκρίνατο αὐτῷ (Spartanus captivus Atheniensi quaerenti de virtute mortuorum) πολλοῦ ἂν ἄξιον εἶναι τὸν ἄτρακτον, λέγων τὸν οἰστόν, εἰ τοὺς ἀγαθοὺς διεγίγνωσκε peracerbe.]

τοῦ παντὸς ἂν ἦν ἄξιος Ἀλεξάνδρῳ παρεῖναί τε καὶ ἐπαυλεῖν, οὐ θύοντι μόνον ἀλλὰ καὶ ἄλλως κτλ.

Non negligimus praetereundo memorare, cum ita dicat *εἰ ἠπίστατο, ἄξιος ἂν ἦν Ἀλ. παρεῖναι* h. e. si scivisset, dignus esset qui Alexandro adesset, haec habere eam formam orationis quam quidam, ut vidimus, Sophoclis versui praeter librorum testimonium et praeter poetae mentem obtrudere conati sunt. Sed Dio quod ita loquitur, non *ἄξιος ἂν ἦν Ἀλεξάνδρῳ παρεῖναι* sed *τοῦ παντὸς ἂν ἦν ἄξιος Ἀλ. παρεῖναι*, duo viri Graece perdocti haeserunt obstupefacti neque se expedierunt; quorum Wilamowitzius *διὰ παντός* dubitanti coniectura pro *τοῦ παντός*, Arnimius *τοῦ παντὸς ἂν ἦν ἄξιος παρεῖναί τε καὶ ἐπαυλεῖν ⟨ἐθέλων⟩* addito participio scribendum proposuit. Sed iis his ipsis diebus, quibus haec scribimus, eruditus Batavus repugnavit Herwerdenus (Mnemos. a. 1894 p. 125), qui sana esse verba Dionis asseverat, sed quae affert dum reputamus, orationis naturam parum nobis perspexisse videbatur; nam quod ait 'omnis sententiae vis est in *οὐ μόνον — ἀλλὰ καί*' ad hanc causam quam agimus nihil pertinet, et quod 'ad *τοῦ παντὸς ἄξιος* conferri iubet II § 8', ubi haec leguntur *τὸν δὲ Ἡσίοδον, ὦ Ἀλέξανδρε, ὀλίγου ἄξιον κρίνεις, ἔφη, ποιητήν; οὐκ ἔγωγε, εἶπεν, ἀλλὰ τοῦ παντός*, quibus addere poterat, si tanti erat, quae exstant in or. 3, 104 *εἰ δὲ ὀφθαλμοὶ ⟨καὶ ὦτα⟩ καὶ γλῶτται καὶ χεῖρες ἀνθρώπῳ τοῦ παντὸς ἄξια οὐ μόνον πρὸς τὸ ἥδεσθαι ζῶντα ἀλλὰ δύνασθαι ζῆν*, nemo dubitavit quin *τοῦ παντὸς ἄξιος* recte diceretur, sed et Wilamowitzius et editor offensi quod *ἄξιος* adiectivum quasi gemino onere pressum gemeret, ex altero latere genetivo *τοῦ παντός*, ex altero autem infinitivo adiecto *παρεῖναι*, altera utra parte levare vocem instituerunt, cum alter *διὰ παντὸς* scriberet h. e. perpetuo, ut restarent haec *ἄξιος ἂν ἦν Ἀλ. παρεῖναι*, alter autem, quo verba *τοῦ παντὸς ἄξιος ἂν ἦν* integram orationem efficerent, infinitivus *παρεῖναι* unde penderet participium *ἐθέλων* addendum censeret. Verum haec etsi prudenter excogitata sunt, neque Dioni obtruditur quod orationem eius dedeceat, tamen eos iam putamus fassuros esse Dioni concedi oportere quod a Sophocle, a Platone alienum non esse intelleximus*). Et hoc igitur exemplo

*35) Dionem cum semel in manum sumpserimus, quid vetat perbreviter in adnotatione significare, unum et alterum locum ex eius orationibus quemadmodum emendari posse opinemur. 12, 12 *ταῦτα δὲ ὑμῖν ἐναντίον τοῦδε τοῦ θεοῦ προλέγω καὶ ξυμβουλεύω δι' εὔνοιαν καὶ φιλίαν προαγόμενος. οἶμαι*

14 probatur, quod volumus, posse etiam extremae aetatis scriptorem nonnumquam aliquid utilitatis afferre ad priscorum poetarum scriptorumve orationem declarandam ac stabiliendam.

6. Unum etiam versiculum, immo unam vocem, priusquam finem disputandi faciamus, accuratius disceptabimus. In Antigona custos, cum a se suisque comitibus deprehensam esse Antigonam Polynicis corpus nudum abiectum pulvere obtegentem perhibet, sic de re gesta narrare incipit.

407 *τοιοῦτον ἦν τὸ πρᾶγμ'. ὅπως γὰρ ἥκομεν,*
πρὸς σοῦ τὰ δείν' ἐκεῖν' ἐπηπειλημένοι,
πᾶσαν κόνιν σήραντες ἣ κατεῖχε τὸν
410 *νέκυν, μυδῶν τε σῶμα γυμνώσαντες εὖ,*
καθήμεθ' ἄκρων ἐκ πάγων ὑπήνεμοι,
ὀσμὴν ἀπ' αὐτοῦ μὴ βάλοι πεφευγότες,

δὲ ἐμαυτὸν ἂν πρῶτον πείθειν καὶ παρακαλεῖν, εἴ μοι τὰ τοῦ σώματος καὶ τὰ τῆς ἡλικίας ἐπεδέχετο. ἀλλὰ γὰρ ⟨ἀγαπᾶν⟩ ἀνάγκη διὰ τὸ κακοπαθεῖν, εἴ πού τι δυνησόμεθα εὑρέσθαι παρὰ τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν ὥσπερ ἀπερριμμένον ἤδη καὶ ἕωλον σοφίας λείψανον χήτει τῶν κρειττόνων τε καὶ ζώντων διδασκάλων. Addidimus *ἀγαπᾶν*, quod et sententia videtur flagitari (*ἀγαπᾷ εἴ πῃ αὐτὸς καθαρὸς ἀδικίας . . βιώσεται* Plato) et eo loco ubi collocavimus perfacile propter praecedentium et insequentium syllabarum similitudinem negligi incuria potuit. Quod si quis maluerit *ἀλλ' ἀγαπᾶν ἀνάγκη*, quamquam propius etiam ad traditam scripturam accedit, reminiscendum est, Dionem saepe ponere *ἀλλὰ γάρ*, quod ne ab hac quidem sententia alienum erat.

33, 56 *πότερον οὖν ἀσπαζομένων ἀλλήλους ἢ καλούντων ἢ φιλοφρονουμένων; ⟨οὐμενοῦν⟩, ἀλλ' ὥσπερ ὑμέναιος ἴδιόν τι μέλος ἐστὶν ἀρχαῖον ἐπὶ τῶν γαμούντων, οὕτως καινὸς οὗτος εὕρηται ῥυθμὸς ἄλλης τινὸς ἑορτῆς.* Arnimius intellexit ante *ἀλλὰ* in respondendo aliquid desiderari, addidit *οὐδαμῶς*. Illud quod posuimus et facilitate commendatur, praecedentis enim vocis syllabis extremis geminatis effectum est, et usu Dionis, qui similiter scribit 31, 71; ibid. 128 haec habet *τί οὖν; ἔσθ' ὅπως παρεδέξαντο τὸν νόμον; οὐμενοῦν, ἀλλ' ἑάλω γραφῆς.*

11, 57 *οὔκουν, εἶπεν, οὐδὲ τοῦτο ἀληθὲς λέγουσιν· πῶς γὰρ ἐν ὀλίγῳ οὕτω χρόνῳ πόλις ἁλοῦσα καὶ ἐρημωθεῖσα τοσαύτην ἐπίδοσιν ἔσχεν ὡς μεγίστην γενέσθαι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν.* In libris est *ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ οὕτω* vel *οὕτως*; sed *οὕτως*, quod olim cum proximis coniungebant, *οὕτω πόλις ἁλοῦσα κ. ἑ.*, Wilamowitzius, cui Arnimius accessit, delendum censuit, praestabit fortasse transponere ob eam causam, quia nihil usitatius est Dioni ea voce postposita, qui talia scribit *βαθὺν οὕτως ὕπνον, τέλειον οὕτω λόγον, ἐγγὺς οὕτως ὑμῶν, χαλεπὸν οὕτως καὶ βίαιον κέντρον*, sexcenta alia; et peccari nonnumquam invertendo ordine in libris Dioneis cum alia demonstrant tum quod 32, 78 variant libri, aut *τόπος οὕτω καλούμενος* aut *τόπος καλούμενος οὕτως* exhibentes.

ἐγερτὶ κινῶν ἄνδρ' ἀνὴρ ἐπιρρόθοις
414 κακοῖσιν, εἴ τις τοῦδ' ἀφειδήσοι πόνον.

De verbo ἀφειδήσοι agitur, quod paene ultimum est in versu extremo; cuius versus sententia non potest ambigua esse: hoc enim dicit custos, alterum alteri eorum, qui ibi in custodia erant, mala multa ingessisse, si quis hunc laborem, qui iis iniunctus erat, neglecturus esset. Neque dubitabat G. Hermannus hanc illi verbo significationem tribuere, quam loci natura flagitabat; qui haec adnotavit 'eodem redire φείδεσθαι πόνου et ἀφειδεῖν πόνου, quoniam alterum est *non satis operae adhibere*, alteri verbo autem contemnendi et negligendi notio adhaesit'. Sed verbum ἀφειδεῖν habueritne revera in Graecorum sermone eam vim quam colligebat ex oratione quae expedienda erat, ne quaesivit quidem, nedum explorato usu docuerit. Neque magis hoc sibi faciendum crediderunt qui Hermanni vestigia insistentes in eadem explicatione perseverabant, Wunderus, Wexius, quorum hic quidem pluribus verbis patefacere studet, qui verbum ἀφειδεῖν a sua propria significatione ad eam devenire potuerit, quam Sophoclei versus causa statuebant: 'si cui rei', inquit, 'non parcimus eamque profundimus, eam profecto necesse est non magni nos fecisse, inde fit ut ἀφειδέω simpliciter sit negligere, ἀφροντιστέω'. Quanto praestitisset, uno aliquo exemplo vel testimonio hoc probare quod ex uno versu de quo cummaxime agitur conclusum ratiunculis expositis persuadere cupiunt. Sed nihilo melius huic officio interpretis satisfecerunt ii qui a contraria parte stabant, Bothius, Hartungus, qui riserunt Hermanni interpretationem, cum negarent fieri posse quod ille affirmarat, φείδεσθαι et ἀφειδεῖν in eandem scilicet notionem coire, sed ipsi dum incredibilia comminiscuntur aut reiectanea, ut usum verbi in dubitationem vocati circumspicerent, ne hi quidem a se impetrare potuerunt. Itaque in hac quaestione exstitit diuque permansit ea condicio quae in tot controversis versibus Sophocleis haeret propter ignaviam interpretum, ut alteri negent quod alteri affirmant sed a neutra parte afferatur quo altera convinci possit. Longe prudentius hanc causam egit Bonitzius, ut eius sollertiam ingenii decebat: qui in schedis Sophocleis a. 1857 editis (II p. 48), ut summam eius disputationis amplectamur, ita disserit, quod Electra Sophoclea dicat (v. 980) ψυχῆς ἀφειδήσαντε, id proprietate nominis fieri ut in sensum ἀμελήσαντε ψυχῆς sive βίου accipere liceat, sed idem nec in nomina cadere qualis πόνος est nec

omnino credibile esse quod Hermannus statuerat ἀφειδεῖν universe vim negligendi vel contemnendi induisse; quod quibus exemplis monstrari lexicographi putaverint, Strabonis, Euripidis (Iphig. Taur. 1354), Apollonii Rhodii (ι 338), iis non hoc probari sed ubivis propriam 'non parcendi' notionem perspicue agnosci; qui vero versus unicus Apollonii (ιι 98) οὐ δ' ἄρα Βέβρυκες ἄνδρες ἀφείδησαν βασιλῆος in contrariam partem valere videretur, in eo Merkelium censuit suo iure a Choerobosco grammatico exhibitam scripturam ἀκήδησαν codicum lectioni praetulisse; et hanc vocem probabile esse etiam in versu Antigonae locum habuisse, εἴ τις τοῦδ' ἀκηδήσοι πόνου, id eo verisimilius, quia has verborum formas etiam alibi librariorum errore inter se permutatas esse constaret. Quae erat hominis intelligentis et acuti disputatio, qui hoc agit ut argumentorum vi, cum demonstrat, alia refellit, aliquid efficiat, quod probari aliis possit; nec defuit successus. Raro alias divinatione unius inventum adeo communi omnium consensu acceptum est. Receperunt Bonitzii ἀκηδήσοι nescio quot editionibus Dindorfius et qui sextam Dindorfii Teubnerianam paravit Siegfr. Meklerus; Meinekius probavit edita Antigona, quamquam in Anal. Alex. p. 130 Apollonium l. c. ἀφείδησαν potius quam ἀκήδησαν scripsisse existimarat, Nauckius non una solum editione recepit, probarunt Seyffertus, Wecklinus, qui ab Antigonae versu profectus etiam in Electra l. c. ψυχῆς ἀκηδήσαντε reponi suasit, Turnerius, Iebbius,
16 et quis non? Horum tamen omnium nemo in rem inquisivit sed contenti nova scriptura vetustam interpretum crucem sublatam propagarunt securi quod speciosum esse nemo negare poterat. Et tamen perspicuum esse poterat Bonitzium non dedita opera significationes quae essent verbi addubitati explorasse sed bonam partem pependisse ab iis quae ab aliis allata vidit. Οἷον εὐθὺς apud Apollonium Rhodium eius verbi usus non illis duobus versibus continetur quos forte Bonitzius ab aliis citatos adhibuit, sed patuit latius nec recte iudicari potuit nisi omnibus cum cura perspectis. Itaque cum ante aliquot annos Argonautica relegeremus, non hoc consilio, sed tamen ut ne hanc quidem quaestionem negligeremus, ilico nobis persuasum est falsam esse Bonitzii sententiam et postliminio restituendum esse verbum antiquitus traditum Bonitzii coniectura temere de sua sede deiectum. Quamobrem reveniente prooemiandi necessitate ex hac quidem parte profligare si possumus hanc quaestionem animum induximus, cum praeser-

tim hoc quoque in ea re persequi liceat quod instituimus, ut huius modi causas probaremus non ratiocinando aut argutando sed testimoniis sed exemplis agi oportere.

Itaque Apollonius cum scribit in secundo 869

Αἰακίδη, πῶς καλὸν ἀφειδήσαντας ἀέθλων
γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ δὴν ἔμμεναι

non dicit 'non parcentes laboribus'; requireretur enim contrarium 'parcentes laboribus'. Itaque sic intelligimus 'qui decet immemores laborum in aliena terra diu sedere?' quemadmodum statim v. 877 in contrariam partem *ὀρόθυνον* inquit *ἐπιμνήσασθαι ἀέθλων*.

Non secus IV 1252

ἄλλος δ' αὖτ' ἄλλον τετιημένος ἐξερέεινεν·
τίς χθὼν εὔχεται ἥδε; πόθι ξυνέωσαν ἄελλαι
ἡμέας; αἴθ' ἔτλημεν ἀφειδέες οὐλομένοιο
δείματος, αὐτὰ κέλευθα διαμπερὲς ὁρμηθῆναι Πετράων,

quos *ἀφειδέας δείματος* dicit 'parcentes timori' potius intelligit quam 'timori non parcentes'; voluit enim nihil impeditos timore pervasisse per medias vias petrarum. Neque *ἀκηδέες* reponere suadebit, quod III 597 legitur

ὄφρά ἑ τιμῆς
καὶ σκήπτρων ἐλάσειαν ἀκηδέες,

ubi scholiasta *ἀκηδέες* interpretatur *ἀφρόντιστοι ὄντες αὐτοῦ*, etiamsi *ἀκηδέες δείματος* tam recte dici potuerit quam *δείματος ἀφειδέες*, nisi qui alterum nomen cum verbo suo radicitus ex Apollonio exstirpare animum induxerit. Nos his duobus locis potius probatum intelligimus, *φείδεσθαι* et *ἀφειδεῖν* non inter se simpliciter oppositas notiones habere, quasi parcere et non parcere, sed *ἀφειδεῖν* a primitiva vi profectum usu dilatatum esse ut *non curare, negligere, securum esse alicuius rei* significaret eamque notionem quippe latius patentem etiam cuivis generi nominum potuisse aptari. Quod si recte statuimus, iam hoc vincere videmur, Sophoclea verba librorum fide tradita *εἰ τοῦδ' ἀφειδήσοι πόνου* iniuria damnata esse, quae concedi oportet tam recte dici potuisse quam ab Apollonio *ἀφειδήσαντας ἀέθλων* eandemque vim verbi utrobique agnosci.

Sed accedit tertius Apollonii locus, qui Amyco rege Bebrycum a Polluce occiso ita pergit narrare II 98

οὐ δ' ἄρα Βέβρυκες ἄνδρες ἀφείδησαν βασιλῆος,
ἀλλ' ἄμυδις κορύνας ἀζηχέας ἠδὲ σιγύννους
ἰθὺς ἀνασχόμενοι Πολυδεύκεος ἀντιάασκον.

Intelligimus non securos fuisse Bebrycas regis occisi sed armis captis vindicaturos mortuum Polluci obviam ivisse, agnoscimusque eandem quam ante verbi ἀφειδῆσαι significationem. Nihil discrepantiae est in libris, neque scholiastam putamus aliud legisse, qui cum sententiam ita interpretatur οὐκ ἠμέλησαν δέ φησιν οὐδὲ κατεφρόνησαν τοῦ Ἀμύκου πεπτωκότος, iisdem quidem verbis utitur, quibus ἀφειδεῖν interpretantur grammatici, in Bekkeri Anecdotis p. 469 ἀφειδήσας: ἀμελήσας, Hesychius ἀφειδήσας· μὴ φεισάμενος καταφρονήσας ἢ παριδών (περιιδών). Vide apud eundem ἠφειδηκότες. Nihilo minus hanc scripturam abiecerunt. Quia enim Choeroboscus in Theodosii Canones, ibi ubi Βεβρύκων nominis prosodiam disceptat (I p. 314 Gaisf. I p. 295 Hilg.), cum ita scribit εὑρέθη γὰρ (Βέβρυξ) καὶ ἐκτεταμένον ἔχον τὸ υ, οἷον 'Βεβρύκων βασιλῆος ἀγήνορος' (Apoll. II 2), καὶ συνεσταλμένον, οἷον 'οὐδ' ἄρα Βέβρυκες ἄνδρες ἀκήδησαν βασιλῆος', in versu nostro non ἀφείδησαν sed ἀκήδησαν affert (nam testari ne dici quidem potest), hoc Merkelius, spreto librorum testimonio, Apollonio suo reddidit, improbante Meinekio Anal. Alex. p. 130, probante graviter Bonitzio. Utri parti credimus? Paene mirandum est doctos homines tam festinanter a Choerobosco exhibitam scripturam arripuisse, neque putamus hoc fieri potuisse nisi ab iis qui aut nollent aut non crederent ἀφείδησαν habere eam, quam probavimus, significationem. Nam de errore si agitur, quamquam non nescimus φείδεται et κήδεται, φειδόμενος et κηδόμενος hic illic inter se et in utramque quidem partem permutatas formas esse (qua de re Fr. Iacobsius, quem Meinekius laudat, in Anthol. Palat. V 279 et Wecklinus in Arte Sophoclis emendandi p. 50 agunt), quam, quaesumus, probabile est, ἀφείδησαν, quod est significantius verbum et magis proprium, quodque usu poetae testimoniisque librorum et interpretis Graeci stabilitur, errore natum esse, non errore alterum, quod et simplicem habet apertamque significationem et ab eo traditur, qui mirum quantum scatet erroribus in poetarum versibus quos citavit, sive librarii peccarunt sive grammaticus ipse*). Sed

*33) Nolumus hoc persequi longius, quamquam in diligentissima recensione Hilgardi facilius nunc est quam erat in Gaisfordi editione, sed afferimus tamen, si quis examinare cupiat, pauca exempla quae ex Hilgardi libro elegimus: p. 155, 30. 296, 32. 297, 29. 164. 168. — Ceterum similis significationis voces in libris scriptis inter se permutari nota res est, et fortasse non inutile est in hac causa memorare in Xenophontis Anabasi V 4, 20

nos quo curiosius rimamur rationem inter has duas verborum formas ἀφείδησαν et ἀκήδησαν intercedentem, eo certius habemus, non esse de mero scribendi errore cogitandum, sed alia via huius originem discrepantiae expediendam. Sic enim statuimus, ad ἀφεί-δησαν, quod Apollonius posuerat, interpretandi causa, quod non 18
ineptum erat, ἀκήδησαν adscriptum eius locum obtinuisse et hac forma versum in Choerobosci congeriem migrasse. Similia certe non desunt in Apollonii libris, qualia vel haec sunt quae ex Merkelii adnotatione petimus II 779 ἐμὲ δ' εὗρε νέον χνοάοντα (χνοάοντας) ἰούλους. Etym. M. 813, 11 χνοάοντα παρειάς. IV 1198 ἑλισσόμεναι περὶ κύκλον. Gaisfordii libri Etym. M. 56, 30 ἀλη λάμενοι περὶ κύκλον. IV 1679 πετραίῳ στόνυχι χρίμψε σφυρόν. Etym. M. 728, 32 Πτερέῳ στόνυχι τρίψε σφυρόν. Quibus accedit, ut ἀφείδησαν verbum ipsum potuisse interpretandi sedulitatem excitare appareat, III 1013

> προπρὸ δ' ἀφειδήσασα θυώδεος ἔξελε μίτρης
> φάρμακον,

ubi scholiasta affert γράφεται προπρὸ δὲ μειδήσασα. Quo nemo utetur, quemadmodum ne superioribus quidem locis quisquam grammatici testimoniis librorum scripturam posthabendam esse censuit. Quodsi contigit argumentando probare, ἀφείδησαν in Apollonii versu retinendum sive restituendum, ἀκήδησαν Choerobosco relinquendum esse, incipit vel hoc nomine Bonitzii coniectura, cuius species non leviter illa discrepantia adiuvabatur, hoc adminiculo privata labefacteri.

Sed pergimus Apollonii exempla verbi ἀφειδῆσαι recensere. III 630 Medeae somnium narratur, quo ipsa sibi videbatur ἆθλον subiisse,

> ὀίετο δ' ἀμφὶ βόεσσιν
> αὐτὴ ἀεθλεύουσα μάλ' εὐμαρέως πονέεσθαι·
> σφωιτέρους δὲ τοκῆας ὑποσχεσίης ἀθερίζειν,
> οὕνεκεν οὐ κούρῃ ζεῦξαι βόας, ἀλλά οἱ αὐτῷ
> προύθεσαν· ἐκ δ' ἄρα τοῦ νεῖκος πέλεν ἀμφήριστον
> πατρί τε καὶ ξείνοις· αὐτῇ δ' ἐπιέτρεπον ἄμφω
> τὼς ἔμεν, ὥς κεν ἑῇσι μετὰ φρεσὶν ἰθύσειεν.
> ἡ δ' ἄφνω τὸν ξεῖνον, ἀφειδήσασα τοκήων,
> εἵλετο· τοὺς δ' ἀμέγαρτον ἄχος λάβεν, ἐκ δ' ἐβόησαν
> χωόμενοι· τὴν δ' ὕπνος ἅμα κλαγγῇ μεθέηκεν.

cum varia sit scriptura librorum partim ἀμελήσαντες partim ἀφροντιστήσαντες exhibentium variari etiam editorum iudicia.

Tantum apponi debebat, ut recte iudicari posset. Quod enim Medea dicitur *ἀφειδήσασα τοκήων* hospitem praetulisse, possit in hac narratione ita accipi ut Medeam non pepercisse parentibus intelligamus, quibus tantum irae et aegroris moveret, *ἀφειδήσασα* igitur a vulgari significatione, qua *μὴ φειδομένη* dicatur, hic quidem non discessisse. Sed qui ita iudicant, veremur ne specie ducantur ob nostri sermonis morem, cum *schonen*, *Schonung* vim lenitatis et clementiae habet, quae a veterum verbis *φείδεσθαι* et *parcere* fere aliena est. Sed hoc utut est, tamen cum haec quattuor loca uno ordine recognoverimus

ἀφειδήσαντας ἀέθλων
ἀφειδέες οὐλομένοιο Δείματος
οὐ . . . ἀφείδησαν βασιλῆος
ἀφειδήσασα τοκήων,

eo ducimur, ut hoc verbum, quemadmodum semper genetivum nominis sibi iunctum habet, eodem ubivis significatu positum statuamus et Medea quoque quod fecerit neglectis parentibus sive nihil morata parentes fecisse dicatur.

Sed restant nonnulli versus Apollonii, qui hoc idem participium sed nullo adiecto genetivo nominis habent, de quorum vi et sententia quaerendum est. III 1013, ubi de Medea, cuius modo opem Iaso efflagitavit largis ei laudibus impertitis, haec dicuntur:

ὣς φάτο κυδαίνων· ἡ δ' ἐγκλιδὸν ὄσσε βαλοῦσα
νεκτάρεον μείδησ', ἐχύθη δέ οἱ ἔνδοθι θυμὸς
1010 *αἴνῳ ἀειρομένης, καὶ ἀνέδρακεν ὄμμασιν ἄντην·*
οὐ δ' ἔχεν ὅ,ττι πάροιθεν ἔπος προτιμυθήσαιτο,
ἀλλ' ἄμυδις μενέαινεν ἀολλέα πάντ' ἀγορεῦσαι.
1013 *προπρὸ δ' ἀφειδήσασα θυώδεος ἔξελε μίτρης*
φάρμακον· αὐτὰρ ὅ γ' αἶψα χεροῖν ὑπέδεκτο γεγηθώς.

Ut mittamus nunc, de qua supra diximus, varietatem scripturae in v. 1013 a scholiasta memoratam, in scholiis quod ad *ἀφειδήσασα* haec adscribuntur *ἀφροντιστήσασα τοῦ προσειπεῖν* (*πρὸς τοῦτον εἰπεῖν* Laur.), *ἀντὶ τοῦ μηκέτι ἀκριβωσαμένη ἢ πολυπραγμονήσασα ἀφεῖλεν ἐκ τῆς στηθοδεσμίδος τὸ φάρμακον*, apparet interpretem ei verbo parcendi vel non parcendi vim minime tribuisse, et quamquam nonnihil dubitationis est de prioribus *ἀφροντιστήσασα τοῦ προσειπεῖν* (quae in Laurentiano quidem libro non ita scripta sunt), iis quae addidit verissime videtur sensum huius participii reddidisse: nescia erat Medea quo prius verbo eum alloqueretur, maluit

si fieri poterat simul omnia proferre; antea autem nihil morata, nulla re deterrita, secura, dedit ei quod petiit.

Eademque significatio cognoscitur III 527

τὼ καίπερ μεμαῶτες ἐρητύοισθ' ἐνὶ νηὶ
τυτθὸν ἔθ', ὡς τὸ πάροιθεν· ἐπεὶ καὶ ἐπισχέμεν ἔμπης
527 λώιον, ἢ κακὸν οἶτον ἀφειδήσαντας ἑλέσθαι,

h. e. manere paulisper melius est quam nihil moratos, securos, malam sortem sustinere. Quid hic 'non parcendi' vis?

Denique I 338

ἀλλά, φίλοι, ξυνὸς γὰρ ἐς Ἑλλάδα νόστος ὀπίσσω,
ξυναὶ δ' ἄμμι πέλονται ἐς Αἰήταο κέλευθοι,
τούνεκα νῦν τὸν ἄριστον ἀφειδήσαντες ἕλεσθε
ὄρχαμον ἡμείων, ᾧ κεν τὰ ἕκαστα μέλοιτο,

in quibus Bonitzius putabat notionem 'non parcendi' neminem posse fugere, nos eandem significationem statuimus, quae est in superioribus duobus exemplis. Est enim horum trium versuum ratio plane par et ea quidem, quae notionem poscat promptae audaciae quae non anxie tergiversatur sed secura facit quod faciendum esse intelligit. Multa ponimus, nec nobis satisfacimus, ut aperiamus quam esse vim τοῦ ἀφειδήσαντος sentiamus. Quodsi licet Graeca voce significare quod in illo participio putamus inesse, in promptu est ἀπηλεγέως, quo Homerica carmina utuntur et Apollonius ipse, I 439

αἶψα δ' ἀπηλεγέως νόον ἔκφατο Λητοΐδαο

et II 845 εἰ δέ με καὶ τὸ
χρειὼ ἀπηλεγέως Μουσέων ὕπο γηρύσασθαι.

Non aliter illo participio usus videtur Euripides in nuntii narratione quae est in Iphigenia Taurica v. 1354

ἡμεῖς δ' ἀφειδήσαντες, ὡς ἐσείδομεν
δόλια τεχνήματ', εἰχόμεσθα τῆς ξένης
πρυμνησίων τε.

Non progredimur ultra, neque Nonnum aut Musaeum asciscimus, quamquam non dubitamus, apud eos eundem huius verbi usum repertum iri quem in Apollonio monstravimus: in hoc autem omnia redeunt eo, ut ἀφειδῆσαι, ἀφειδήσαντες non sit 'non parcere' sed 'non curare' sive 'securum esse', hoc est eum sensum habeat, quem Sophocleus versus requirebat cuius haec causa disputata sunt.*) Sophocli vero ne dubitemus hanc proprietatem verbi

*38) [Wecklinus (*Berl. philol. wochenschr.* 1895 *n.* 21) quamquam mea

ascribere satis fiduciae affert Apollonius, qui est ex iis poetis qui raro nova sine exemplo proferunt sed quae habent superiores ea suo usu renovare et frequentare solent. Sed quo confidentius in Antigonae versu vetustam scripturam

εἴ τις τοῦδ᾽ ἀφειδήσοι πόνον

instaurandam, noviciam *ἀκηδήσοι* repudiandam dicimus, eo minus probaturi sumus in Electra 980

ὣ τοῖσιν ἐχθροῖς εὖ βεβηκόσιν ποτὲ
ψυχῆς ἀφειδήσαντε προὐστήτην φόνον

ἀκηδήσαντε reponi pro *ἀφειδήσαντε*, quod probum est et primitivam significationem habet, *vitae non parcentes*, quo modo saepe tam Graeci (*ἀφειδοῖεν ἂν τοῦ βίου* Thucydides II 43, *μὴ φειδόμενοι τᾶς ζωᾶς* Tyrtaeus apud Dionem Chrysostomum 2, 59) quam Romani (*ego meae cum vitae parcam letum inimico deprecor* Ennius, *patriae consulerent vitae non parcerent* Cicero) locuti sunt. Scr. m. Septembr. a. MDCCCXCIV.

---

demonstratione nihil motus dubitare pergit nec suam pristinam opinionem omittit, tamen versus tragicos incerti auctoris (ad. 569 Nauck. ed. II) afferendos duxit

Τεῦκρος δὲ τόξον χρώμενος φειδωλίᾳ
ὑπὲρ τάφρον πηδῶντας ἔστησεν Φρύγας,

quia Trypho qui citavit aliique grammatici (vid. Nauck.) *φειδωλίᾳ* dici *ἀντὶ τοῦ ἀκριβείᾳ* adnotarunt.

Meae disputationis ignarus multis annis post R. C. Seaton in *Classical Review* XV (Londini 1901) p. 29 sq. de eodem verbo ita egit ut in summa re et maxime de Apollonii versibus mecum plane consentiret. Cuius rei ego ut non ignarus essem fecit Plasbergii mei amicitia.]

XLII. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1895/96.

Lectionum academicarum enumerationi, quae proximi anni 3
mensibus hibernis habebuntur, ut aliquid de litteris more antiquo praemittatur, cum de Theocriti idyllio septimo, cui *Θαλύσια* inscribitur, nonnulla disputare instituimus, paene pudor nos retinet quominus exsequamur quod volumus: tam tenuia sunt quae afferimus nec ullo modo comparanda cum iis quae viri clari, eruditione et ingenio pariter praestantes, cum de omni poesi Theocritea tum de hoc carmine, unde quasi quaedam radices tam rerum quam artis Theocriteae ducuntur, his proximis annis certatim enuclearunt. Qui cum aut antiquitates Coas persecuti locorum situm et naturam, in quibus haec quae sunt in hoc carmine agi voluit poeta non sine documentorum fide eruerent, aut homines qui actores sunt in hac fabula vel memorantur in ea derepta quam gestant persona pastoricia aut nominum griphis quibus involvuntur solutis suam veram monstrare faciem cogerent, aut in *βουκολιασμοῦ* vim et usum et huius carminis artificia inquirerent quibusque id filis cum aliis idylliis connecteretur patefactum irent, multa in clara luce posita sunt quae adhuc tenebrarum obscuritate obtecta iacuerunt. Quorum ingeniosam virtutem, quam vel ibi admiramur, ubi assentiri dubitamus, ne speciosa pro veris amplectamur, quoniam aemulari nec possumus nec volumus, eos si qui Theocriti res et huius idyllii rationes penitus cognoscere cupiant, ad illorum operas luculentas abire iubemus, nos hunc contractum tramitem quem solemus insistentes observationes quasdam grammaticas ex uno versu ductas proponimus, ut huic praefandi officio sic ut possumus satis faciamus.

Itaque in cantilena quam Lycidas amico offert ita dicens (v. 50)

κἠγὼ μέν — ὅρη, φίλος, εἴ τοι ἀρέσκει
τοῦθ' ὅ τι πρᾶν ἐν ὄρει τὸ μελύδριον ἐξεπόνασα

a v. 72 haec narrantur de Daphnide

ὁ δὲ Τίτυρος ἐγγύθεν ᾀσεῖ
ὥς ποκα τᾶς Ξενέας ἠράσσατο Δάφνις ὁ βούτας
χὠς ὄρος ἀμφ' ἐπονεῖτο καὶ ὡς δρύες αὐτὸν ἐθρήνευν
Ἱμέρα αἵτε φύοντι παρ' ὄχθαισιν ποταμοῖο,
εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον
ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα.

Nihil admodum in his difficultatis haeret, quod legentem moretur, sunt tamen in iis quae insuper habita ab interpretibus intentiorem quandam explicandi curam poscere videntur, in quibus, quid sit quod (v. 76) dicat χιὼν ὥς τις addito pronomine indefinito, quo hoc nomen augere a nostra loquendi consuetudine alienum est, neque id Graeci semper eodem simili utentes addiderunt, quemadmodum Callimachus scribit 6, 91

ὡς δὲ Μίμαντι χιών, ὡς ἀελίῳ ἔνι πλαγγών,
καὶ τούτων ἔτι μεῖζον ἐτάκετο, μέσφ' ἐπὶ νευράς

ac venustius etiam Odyssea (XIX 205)

ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,
ἥν τ' Εὖρος κατέτηξεν, ἐπὴν Ζέφυρος καταχεύῃ . . .
ὣς τῆς τήκετο καλὰ παρήια δακρυχεούσης

aut in alio simili Theocritus ipse 2, 103

ἐγὼ δέ νιν ὡς ἐνόησα
ἄρτι θύρας ὑπὲρ οὐδὸν ἀμειβόμενον ποδὶ κούφῳ,
πᾶσα μὲν ἐψύχθην χιόνος πλέον.

Quid igitur esset illic quod additum legeretur pronomen, non uno modo aestimarunt docti, fuerunt etiam qui mutata orationis forma pronomen demendum curarent. Omittimus singulorum opiniones recensere nec si quid forte recti aut utile allatum est ab aliis moramur; qui dedita opera hanc rem exploraverit et abunde huic quaestioni satisfecerit non novimus. Hoc igitur primum dicimus, τὶς pronomen indefinitum iam inde ab Homerica antiquitate in afferendis similibus praecipue et praeter similia ita poni consuevisse, nullam ut vim haberet, plane ut nostrum *ein*, cum sine accentu ullo ac paene sine sono pronuntiatur. Ita Theocritus ipse locutus est, βάτραχος ὥς τις 7, 41 *wie ĕin Frosch*, non *irgend ein*, quo oratio corrumpitur; ὁδοιπόρος ὥς τις 12, 9 *wie ĕin Wanderer;* et hac quidem collocatione, quam habet etiam Sophocles cum dicit in Electra 234 μάτηρ ὡσεί τις πιστά *wie ĕine treue Mutter*. Ex simili Theocriteo sed aliter formato et illa sunt 13, 62 νεβροῦ φθεγξαμένας τις ἐν οὔρεσι λῖς ἐσακούσας ἐξ εὐνᾶς σπεύσαι κεν

ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα· τοῖος χήρακλέης κτλ, de quibus in prooem. aest. 1885 (P. I p. 306 s.) egimus, id quoque caventes ne quis pronomen auferret cum Madvigio. Sed quid parcimus periturae chartae? quin cumulamus exempla quo magis natura huius dictionis et consuetudo appareat? ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖν' ὥς τις περὶ πόρτακι μήτηρ Il. XVII 4; ὡς δ' ὅτε τίς τε λέων ὀρεσίτροφος ἀλκὶ πεποιθὼς βοσκομένης ἀγέλης βοῦν ἁρπάσῃ ibid. 61; ἑστήκειν ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν ibid. 133; πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν αἱματόεις ὥς τίς τε λέων κατὰ ταῦρον ἐδηδώς ibid. 541; βῆ δ' ἴεναι ὥς τίς τε λέων ἀπὸ μεσσαύλοιο ibid. 657; ἕλκε δὲ δουρὸς ἑλὼν ὑπὲρ ἄντυγος, ὡς ὅτε τις φὼς πέτρῃ ἔπι προβλῆτι καθήμενος ἱερὸν ἰχθύν Il. XVI 406; ἤριπε δ' ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν ἢ ἀχερωίς ibid. 482; ἀλλ' ἔμεν' ὡς ὅτε τις σῦς οὔρεσιν ἀλκὶ πεποιθώς Il. XIII 471; ἔρειπε δὲ τεῖχος Ἀχαιῶν ῥεῖα μάλ' ὡς ὅτε τις ψάμαθον πάις ἄγχι θαλάσσης Il. XV 361; ἄγχι μάλ' ὡς ὅτε τίς τε γυναικὸς ἐυζώνοιο στήθεός ἐστι κανών Il. XXIII 760, ubi τὶς nihil quidem indefiniti affert comparationi, quod interpretes voluerunt, sed a nostro certe usu, qui in ea re vix ferebat *ein*, recedit; ὡς δ' ὅτε τις χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνήρ Od. VI 232; cf. V 249; Il. XVI 263; XXIII 845; δίνεον ὡς ὅτε τις τρυπῷ δόρυ νήιον ἀνὴρ τρυπάνῳ Od. IX 384; ἕξω δ' ὡς ὅτε τις στερεὴ λίθος ἠὲ σίδηρος Od. XIX 494; οἷά τις ξουθὰ.. Ἴτυν Ἴτυν στένουσ'.. ἀηδών Aeschylus Agam. 1096; τεκνολέτειρ' ὥς τις ἀηδών Sophocles Electr. 107. cf. 189; πτήσσει Φρύνιχος ὥς τις ἀλέκτωρ Aristophanes Vesp. 1490; ὃ δ' ὥς τις ὄρνις ἄπτερον καταστένων ὠδῖνα τέκνων Euripides Hercul. 1039; ὄρνις γὰρ ὥς τις ἐκ χερῶν ἄφαντος εἶ Hippol. 828; cf. Suppl. 1046; μέλισσα δ' οἵα τις πεπόταται Hippol. 564; οἷα δέ τις κύκνος ἀχέτας ποταμίοις παρὰ χεύμασιν πατέρα φίλτατον καλεῖ Electr. 151; ὀρεία τις ὡς λέαιν' ὀργάδων δρύοχα νεμομένα, τάδε κατήνυσεν Electr. 1163; τροφαῖσιν ὥς τις πτόρθος ηὐξόμην τάλας Hecub. 20; πλαγκτὰ δ' ὡσεί τις νεφέλα πνευμάτων ὑπὸ δυσχίμων ἀίσσω Suppl. 961; τυφὼς πύλαισιν ὥς τις ἐμπεσὼν βοᾷ Phoeniss. 1154; ἠύτε τις θὴρ ἄγριος ὅν ῥά τε γῆρυς ἀπόπροθεν ἵκετο μήλων Apollonius Argon. I 1243; ἠύτε τίς τε δι' ἠέρος ὑψόθι κίρκος II 933; βῆ ῥ' ἐς ἐρημαίην κλωπήιος ἠύτε τις φώρ III 1197; ἀλλ' ὥς τίς τ' ἐν ὄρεσσι πελωρίη ὑψόθι πεύκη IV 1682; ἀλλ' ἀστίβητον οἶμον οἷά τις σιφνεύς Lycophro Alex. 121; ὅπως τις ὑλοκουρὸς ἐργάτης ὀρεύς ibid. 1111. Exempla haec quae enumeravimus praeter pauca a similitudinibus petita sunt, in quibus non sine causa hoc genus

frequentius est quam in aliis dicendi modis; sed cadere tamen diximus idem in alias orationis formas. Quale hoc est quod apud Theocritum legitur (14, 43) *αἶνός θην λέγεταί τις*, quod olim fuit qui emendando depravaret, sed usu superiorum confirmatur, quorum Archilochus ait *αἶνός τις ἀνθρώπων ὅδε* (fr. 86), vel *ἐρέω τιν' ὑμῖν αἶνον* (fr. 89), carmen populare apud Bergkium (P. L. III) 34 *αἶνός τίς ἐστιν ὡς*; Euripides quoque *ἦν γάρ τις αἶνος ὡς* (fr. 321 Nauck. ed. II), neque Diodorus secus (XXXIII 7, 5) *αἰνόν τινα διελθών*. Quibus consimilia accedunt Aeschyli *ὡς λόγος τις* Eumen. 4; *μὴ καὶ λόγος τις Ζῆνα μιχθῆναι βροτῷ* Suppl. 284; Pindari *ἔστι δέ τις λόγος ἀνθρώπων* Nem. 9, 6; Euripidis *ἔστιν δὲ δὴ λόγος τις* Helen. 17, multa alia, in quibus omnibus facile percipitur, quam paene nullam vim habeat pronomen adiectum. Idem valet in haec quamvis ab illis diversa, *πωλεῖταί τις δεῦρο γέρων ἅλιος νημερτὴς ἀθάνατος Πρωτεὺς Αἰγύπτιος* Od. IV 384; *ἔσκε τις ἐνθάδε μάντις ἀνὴρ ἠύς τε μέγας τε Τήλεμος Εὐρυμίδης* Od. IX 508; *ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν καὶ καλὸν ἐδέγμην ἐνθάδ' ἐλεύσεσθαι* Od. IX 513; *ξεῖνός τις δύστηνος ἀλητεύει κατὰ δῶμα ἀνέρας αἰτίζων* Od. XVII 501, sed haec *νοθεύει Ἀρίσταρχος*; *τοὺς δ' εἴπερ παρά τίς τε κιὼν ἄνθρωπος ὁδίτης κινήσῃ ἀέκων* Il. XVI 263; *εἰ δ' ἄρα τις καὶ μοῦνος ἰὼν ξυμβλῆται ὁδίτης* Od. VII 204. Quare Theocritus quoque credendus est 7, 11 *καί τιν' ὁδίταν ἐσθλὸν σὺν Μοίσαισι Κυδωνικὸν εὕρομες ἄνδρα* scripsisse, olim repositum, non *τὸν ὁδίταν*, quod, quamvis sit in libris, pravum est neque edi debebat. A quibus non multum discedunt haec, *ἔστι δέ τις νῆσος μέσσῃ ἁλὶ πετρήεσσα, Ἀστερίς* Od. IV 844; *Ὠγυγίη τις νῆσος ἀπόπροθεν εἰν ἁλὶ κεῖται* Od. VII 244; *ἔστι διειδομένη τις ἐν ὕδατι νῆσος ἀραιή* Callimachi 4, 191; *ἧς δέ τις αἴγειρος μέγα δένδρεον* 6, 37. Sed omittimus alia et huius generis et aliorum, in iisque multa ambigua, de quibus in diversas partes discessum est ab interpretibus*). Non praetereundus est Plato qui solus plurima sup-

*31) De oratione bimembri, quae in altera parte pronomen habet adiectum eo modo quo Plato scribit *θαλλὸν ἤ τινα καρπόν*; *πνεῦμα ἤ τις ἠχώ*, diximus in prooemio hib. a. 1883/84 p. 7 (P. I p. 216, 29 n.) paucis allatis exemplis, quae plurima inde ab Homericis carminibus afferri possunt. Quod genus tetigit Otto Hensius in stud. Soph. a. 1880 editis p. 25, de eodem usu in nominibus propriis agens; de quo porro qui contra illum disseruit Georgius Kaibelius in ephemeride gymnasiis dicata vol. XXXIV p. 628 nonnulla exposuit.

peditat quaerenti, velut in Legum libro tertio p. 96, 8 Schz. cum scribit *κατὰ τὴν παροιμίαν ἀπό τινος ὄνου πεσεῖν* agnoscimus quem volumus pronominis usum; quaeque paulo post in eodem libro leguntur (p. 97, 8) *ἔοικε κατὰ τύχην τινὰ ἡμῖν τὰ τῶν λόγων τούτων πάντων ὧν διεξήλθομεν γεγονέναι· σχεδὸν γὰρ εἰς χρείαν αὐτῶν ἔγωγ' ἐλήλυθα τὰ νῦν, καὶ κατά τινα αὖ καιρὸν σύ τε παραγέγονας ἅμα καὶ Μέγιλλος ὅδε. οὐ γὰρ ἀποκρύψομαι σφὼ τὸ νῦν ἐμοὶ ξυμβαῖνον ἀλλὰ καὶ πρὸς οἰωνόν τινα ποιοῦμαι· ἡ γὰρ πλείστη τῆς Κρήτης ἐπιχειρεῖ τινα ἀποικίαν ποιήσασθαι*, testimonio esse possunt, quam levis sit sensus variis nominibus pronominis adiecti et quam usitatum hoc fuerit in communi sermone Graeco. Sed ad Theocriti locum ut redeamus, cuius causa haec nimio fortasse studio collegimus, quod ille scribit *χιὼν ὥς τις κατετάκετο* cum ipso more quem ostendimus sustentatur, tum propius etiam accedunt exempla qualia haec sunt, *ὅτε τις χειμὼν ἔκπαγλος ὄροιτο* Od. XIV 522*); *ἢ πολέμοιο ἢ λοιμοῖο τέλος ποτιδέγμενοι, ἠέ τιν' ὄμβρον ἄσπετον* Apollonii Argon. IV 1282; et quae Euripides scribit in Troasin 1298

πτέρυγι δὲ καπνὸς ὥς τις οὐ-
ρανίᾳ πεσοῦσα δορὶ καταφθίνει γᾶ,

quod nos vix nostro sermone imitabimur dicentes *wie ein Rauch*, sed similiter Aemilius Zola scripsit, *lui si grand s'était évanoui, ainsi qu'une fumée;* aut quae Aeschylus in Agamemnone 275

ὑπερτελής τε
πεύκη τὸ χρυσοφεγγές, ὥς τις ἥλιος,
σέλας παρηγγάρευσε Μακίστου σκοπῷ,

quae sic videntur scribenda esse, et imaginem quam habent a sole 7
petitam nullo nostro sed eiusdem scriptoris Francogallici exemplo stabilire licet, qui ita scribit, *la pièce, attelée de ses quatre chevaux, lui sembla éclatante ainsi qu'un soleil.* Ex nostratibus fuit olim qui diceret quod nostro mori alienum est, *rehte rôt, als ein bluot; geverwet rehte als ein bluot;* nec Goethio non placuit scribere, quod et ipsum communis dicendi consuetudo non recipit

---

*16) Diversa sunt quae negationem habent: *μή τις Διὸς κεραυνὸς ἤ τις ὀμβρία χάλαζ' ἐπιρράξασα* Oedip. Col. 1502; *ἵνα μή τις ἔρις καὶ νεῖκος ὄρηται* Odyss. XX 267; *οὔ τἂν δικαίως τῇδ' ἐπιρρέποις πόλει μῆνίν τιν' ἢ κότον τιν' ἢ βλάβην* Eumen. 870. Eodem redeunt quae poetae nostrates scribunt: *Sank je ein Schlaf auf meine Augenlider; soll mir je noch eine Sonne scheinen,* quae tam recte dicuntur, quam *kein Schlaf, keine Sonne.*

Es ist ein Schnee gefallen,
Denn es ist noch nicht Zeit
Dass von den Blümlein allen
*Wir werden hocherfreut**).

Quamobrem Theocrito relinquamus illud suum χιὼν ὥς τις κατετάκετο, quod intelligimus quam late patentem rationem sequatur et quam attenuata usu vis sit additi pronominis, vix ut incommodum sentiatur ullum.

Alterum de quo nobis iidem versus disserendi materiam afferunt conformatio est sententiae comparativae; de quo genere in prooemio aest. a. 1885 (P. I p. 297 ss.) nonnulla exposita sunt, sed ea licet plenius et in quibusdam accuratius persequi. Similitudinem igitur a liquescente nive ad tabescentem hominem translatam cum ita efferat Theocritus

ὡς δρύες αὐτὸν ἐθρήνευν
εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον

apparet eum uno verbo defunctum esse cum posset ponere duo; nam sententia haec est δρύες αὐτὸν ἐθρήνευν, εὖτε κατετάκετο ὡς χιών τις κατατάκεται ὑφ' Αἷμον, sed unum quod posuit cum narrationi adderet collocavit tamen quasi unum duplici officio inserviens in media sententia comparativa. Ad eundem modum conformata comparatio est in idyllio 12, 8

τόσσον ἔμ' εὔφρανας τὺ φανείς, σκιερὰν δ' ὑπὸ φαγόν
ἀελίου φρύγοντος ὁδοιπόρος ἔδραμον ὥς τις.

Nempe de se ille dicit σκιερὰν ὑπὸ φαγὸν ἀελίου φρύγοντος ἔδραμον addita comparatione ὡς ὁδοιπόρος τις τράχει ὑπὸ φαγὸν ἀελίου φρύγοντος: sic enim illo loco explicuimus, cum interpretes a vera ratione longius deerrassent. Verbum igitur unum quod positum est, ἔδραμον, quae pars est narrationis, locum habet in oratione comparativa. Tertium addimus id. 17, 107

οὐ μὰν ἀχρεῖός γε δόμῳ ἐνὶ πίονι χρυσός
μυρμάκων ἅτε πλοῦτος ἀεὶ κέχυται μογεόντων.

Cum enim ad haec οὐκ ἀχρεῖος χρυσὸς ἐν δόμῳ κέχυται comparandi causa addatur ἅτε μυρμάκων πλοῦτος ἀεὶ μογεόντων scil. χέεται, rursus verbum, quod unum est, intelligimus in compara-

---

*4) [Quaedam similia ex nostratium usu affert M. Rannowius in *wochenschr. f. class. phil.* 1895 *n.* 49.]

tione poni sed ad comparationem non pertinere. Quae conformatio, quamquam non indigna quae attendatur, nihil tamen habet admodum miri aut singulare neque quod Alexandrinorum poetarum proprium existimetur, quae Hauptii fuit sententia, qui quae poetae Romani similia exhibent, Catullus c. 64, 238

haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes
aerium nivei montis liquere *cacumen,*

Horatius*) c. IV 4, 42

pulcher fugatis
ille dies Latio tenebris
qui primus alma risit adorea,
dirus per urbes Afer ut Italas
ceu flamma per taedas vel eurus
per Siculas equitavit *undas,*

ad illorum maxime poetarum exemplum artificiosius formata censebat. Sed exemplum si quaerebatur iam Homerica carmina dabant, velut Od. XVII 397

Ἀντίνο', ἦ μευ καλὰ πατὴρ ὣς κήδεαι υἷος

h. e. *καλά μευ κήδεαι ὡς πατὴρ κήδεται υἷος*; vel Il. III 21

τὸν δ' ὡς οὖν ἐνόησεν ἀρηίφιλος Μενέλαος
ἐρχόμενον προπάροιθεν ὁμίλου μακρὰ βιβάντα,
ὥς τε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας . . .
ὣς ἐχάρη Μενέλαος

quae (non enim uno modo interpretantur) sic esse accipienda arbitramur *Μενέλαος ἐχάρη ὥστε λέων χαίρει μεγάλῳ σώματι ἐπικύρσας.* Neque secus Il. XII 154

οἳ δ' ἄρα χερμαδίοισιν ἐυδμήτων ἀπὸ πύργων
βάλλον . . .
νιφάδες δ' ὣς πῖπτον ἔραζε
ἅς τ' ἄνεμος ζαὴς νέφεα σκιόεντα δονήσας
ταρφείας κατέχευεν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ

h. e. *χερμάδια πῖπτον ὡς νιφάδες πίπτουσιν ἔραζε ἃς ἄνεμος κατέχευε*: sic enim haec explicanda esse cum ipsa per se tum collata

*9) Idem in eodem genere hoc ausus est in satira libri primi tertia v. 9

nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret,

h. e. currebat velut qui fugiens hostem currit.

quae sunt v. 278 sqq. persuadent. Cf. VIII 306 sqq. Sed saepe in comparationibus Homericis sine ulla quaesita collocatione unum quidem verbum ponitur sed in primaria sententia, inde ut audiatur in adiecto simili, velut Il. II 394

Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον, ὡς ὅτε κῦμα
ἀκτῇ ἐφ' ὑψηλῇ ὅτε κινήσῃ Νότος ἐλθών

vel XVI 406

ἕλκε δὲ δουρὸς ἑλὼν ὑπὲρ ἄντυγος, ὡς ὅτε τις φὼς
πέτρῃ ἔπι προβλῆτι καθήμενος ἱερὸν ἰχθὺν
ἐκ πόντοιο θύραζε λίνῳ καὶ ἤνοπι χαλκῷ,
ὣς ἕλκ' ἐκ δίφροιο —

et XVII 4

ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖν', ὥς τις περὶ πόρτακι μήτηρ
πρωτοτόκος.

Quae certo ducunt ut recte interpretemur etiam si quae sunt artificiosius structa.

Sed alterum illud genus enuntiati comparativi Apollonio suo restituit R. Merkelius, III 1292, cum ita edidit de tauris ignem efflantibus

ἄμφω ὁμοῦ προγένοντο πυρὸς σέλας ἀμπνείοντες.
ἔδδεισαν δ' ἥρωες, ὅπως ἴδον. αὐτὰρ ὅ τούς γε
εὖ διαβὰς ἐπιόντας, ἅτε σπιλὰς εἰν ἁλὶ πέτρη,
μίμνεν, ἀπειρεσίῃσι δονεύμενα κύματ' ἀέλλαις.

μίμνεν enim editoris est, libri habent μίμνει. Qui quamvis rem non probe perspexisse videatur ex iis quae adnotavit, tamen dubium esse non potest, quin recte scribi potuerit quod voluit, ut μίμνεν ad Iasonem relatum locum teneat in media sententia comparativa quae ipsa nullum suum verbum habet, ad eum videlicet modum quem supra declaravimus, quemque Apollonius ipse alibi secutus est, velut III 1320

ὃ δ' ἄρ' αὖτις ἑλὼν σάκος ἔνθετο νώτῳ
ἐξόπιθεν καὶ γέντο θοῶν ἔμπλειον ὀδόντων
πήληκα βριαρὴν δόρυ τ' ἄσχετον ᾧ ῥ' ὑπὸ μέσσας
ἐργατίνης ὥς τίς τε Πελασγίδι νύσσεν ἀκαίνῃ
οὐτάζων λαγόνας,

quae sic sunt evolvenda δόρυ ἄσχετον, ᾧ ὑπὸ μέσσας λαγόνας νύσσεν ὡς ἐργατίνης τις Πελασγίδι ἀκαίνῃ, scilicet νύσσει, cuius verbi locum obtinet νύσσεν, quod praeteritum non ad aratorem pertinet sed ad Iasonem. Item III 1392

ὣς τότε γηγενέων κεῖρεν στάχυν· αἵματι δ' ὁλκοί
ἠΰτε κρηναῖαι ἀμάραι πλήθοντο ῥοῇσιν.

Sed saepe Apollonius duplici verbo utitur, veluti III 1370

Κόλχοι δὲ μέγ' ἴαχον, ὡς ὅτε πόντος
ἴαχεν ὀξείῃσιν ἐπιβρομέων σπιλάδεσσιν,

hic quidem utrobique praeterito verbi posito, quod notum est a comparatione non alienum esse; aut si uno, in sententia principali posito, velut IV 11

τῇ δ' ἀλεγεινότατον κραδίῃ φόβον ἔμβαλεν Ἥρη.
τρέσσεν δ' ἠΰτε τις κούφη κεμάς, ἥν τε βαθείης
τάρφεσιν ἐν ξυλόχοιο κυνῶν ἐφόβησεν ὁμοκλή,

vel III 956 sqq. Verum *μίμνεν* an *μίμνει* illo loco rectius scribatur ambiguum est. Etenim si retinemus quod libris acceptum fertur, *μίμνει*, integrum est enuntiatum comparativum, *ἅτε σπιλὰς εἰν ἁλὶ πέτρη μίμνει ἀπειρεσίῃσι δονεύμενα κύματ' ἀέλλαις*, ex eo vero verbum sumendum quo narratio suppleatur. Et quamquam plerumque, si unum verbum est, id narrationi additur, in comparatione auditur, tamen ne contrarium quidem plane insolens est et alienum. Velut cum Euripides scribit in Troasin v. 826 *ἠιόνες δ' ἅλιαι ἴαχον· οἷον οἰωνὸς ὑπὲρ τεκέων βοᾷ, αἳ μὲν εὐνάτορας, αἳ δὲ παῖδας, αἳ δὲ ματέρας γεραιάς*, quidquid vitiosi est in verbis, tantum apparet ex *βοᾷ* exempli in principali oratione *βοῶσιν* intelligi: nisi quod quia simile praecedit, hoc paulo sane facilius instituitur quam eodem insequente. Nihilo minus dubitamus Apollonio istam conformationem adimere, qua quae est pars potior nullo suo verbo aucta pendeat, *αὐτὰρ ὃ τούς γε εὖ διαβὰς ἐπιόντας*, verbum autem simili accommodatum, *ἅτε σπιλὰς εἰν ἁλὶ πέτρη μίμνει ἀπειρεσίῃσι δονεύμενα κύματ' ἀέλλαις*, simul istam orationem sustentet. Qua in re reminiscendum est, Graecos poetas scriptoresque non raro solitos sententias ita struere, ut priore parte nondum absoluta cum novum subiectum, sive comparationis causa sive in alio quo modo loquendi, medium interponitur verbi formam ad hoc quod propius est applicetur neque ad superiorem partem oratio revertatur. Quod genus interpretes hic illic tetigerunt et uno alterove exemplo, quod forte in promptu erat, declararunt sed interpretando miscuerunt diversa neque rei rationem satis dilucide explicuerunt. Cuius modi sunt haec Theognidea (541 Bgk.)

δειμαίνω, μὴ τήνδε πόλιν, Πολυπαίδη, ὕβρις,
ἥπερ Κενταύρους ὠμοφάγους ὄλεσεν,

quae nec imperfectam sententiam habent neque verbum extremum depravatum. Et quae Euripides scribit in Oreste 1035*)

ΟΡ. τόδ' ἦμαρ ἡμῖν κύριον· δεῖ δ' ἢ βρόχους
ἅπτειν κρεμαστοὺς ἢ ξίφος θήγειν χερί.
ΗΛ. σὺ νύν μ', ἀδελφέ, μή τις Ἀργείων κτάνῃ
ὕβρισμα θέμενος τὸν Ἀγαμέμνονος γόνον.
ΟΡ. ἅλις τὸ μητρὸς αἷμ' ἔχω· σὲ δ' οὐ κτενῶ.

Tantum erat afferendum, ut plane perspiceretur, quid ad illa verba *σὺ νύν μ' ἀδελφέ* necesse esset ex proximis cogitando ascisceretur. Inonis Euripideae sunt haec (fr. 417 ed. II Nauckii)

κέκτησο δ' ὀρθῶς· ἂν δ' ἔχῃς ἄνευ ψόγου,
κἂν σμικρὰ σῴζου, τῇ δίκῃ ξυνοῦσ' ἀεί,
μηδ' ὡς κακὸς ναύκληρος εὖ πράξας ποτὲ
ζητῶν τὰ πλεῖον' εἶτα πάντ' ἀπώλεσεν.

Quae in reliquis sic videntur recte scribi, *ἀπώλεσεν* autem verbum quippe ad *κακὸν ναύκληρον* et hanc sententiam accommodatum prave olim corrigendo cogere voluerunt, ut ad caput rediret et *μηδὲ* particulae adhaeresceret. Thucydides I 82, 1 cum ita scripsit

ἀνεπίφθονον δέ, ὅσοι ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ὑπ' Ἀθηναίων ἐπιβουλευόμεθα, μὴ Ἕλληνας μόνον ἀλλὰ καὶ βαρβάρους προσλαβόντας διασωθῆναι,

videlicet verbum *ἐπιβουλευόμεθα*, quod debebat ad *ὅσοι*, ad *ἡμεῖς* applicari maluit, quo factum est illud ut penderet. Xenophon in institutione Cyri IV 1, 3 vel haec sibi permisit

11 Χρυσάνταν οὐδὲν ἄλλων δέομαι πυνθάνεσθαι, ἀλλ' αὐτὸς οἶδα οἷος ἦν· τὰ μὲν γὰρ ἄλλα ὅσαπερ, οἶμαι, καὶ πάντες ὑμεῖς ἐποιεῖτε.

Nam *ἐποίει* exspectabatur, sed *ἐποιεῖτε*, ad *πάντες ὑμεῖς* relatum, plus habet, ut ait Dindorfius, praesidii a libris quam alterum, quod facile quivis reponere poterat. Magis etiam cum nostra causa coniuncta sunt quae Theocritus scribit 5, 28

ΛΑ. τίς δὲ παρεύσας
αἰγὸς πρατοτόκοιο κακὰν κύνα δήλετ' ἀμέλγειν;

---

*2) [Ubi quaedam R. Porsonus et G. H. Schaeferus memorarunt; ad eiusdem tragoediae v. 643 (632) ἃ δ' ἔλαβες ἀπόδος, πατρὸς ἐμοῦ λαβὼν πάρα. οὐ χρήματ' εἶπον· χρήματ', ἣν ψυχὴν ἐμὴν σώσῃς, ἅπερ μοι φίλτατ' ἐστὶ τῶν ἐμῶν vide G. Hermannum. Nonnulla etiam Rannowius attulit l. s. c.]

KO. ὅστις νικασεῖν τὸν πλατίον ὡς τὺ πεποίθεις,
σφὰξ βομβέων τέττιγος ἐναντίον.

Hoc enim, πεποίθεις, cui adhaerent proxima σφὰξ βομβέων, librorum fide nititur, et quamquam una dempta littera effici potest, id quod olim suaserunt, ad ὅστις quod aptetur, non licebit, opinamur, πεποίθεις cum ὡς τὺ coniunctum errori librarii adscribere. Et quae Callimachus hymn. 3, 153 de Hercule reducem ex venatione Artemin excipiente

κερδαλέῳ μύθῳ σε, θεή, μάλα τῷδε πινύσκει
'βάλλε κακοὺς ἐπὶ θῆρας, ἵνα θνητοί σε βοηθόν
ὡς ἐμὲ κικλήσκουσιν.

Quam pusilla opera erat κικλήσκωσιν reponere cum Italis et novissimo editore, ut ἵνα haberet quod desiderabat, sed rursus verendum est pro librario ne poetam corrigamus, qui omisso ἵνα ad ὡς quod propius erat orationem conformavit. His duobus Graecorum poetarum exemplis addatur Latinum. Ovidius enim in decima Heroidum epistola 139 ita scribit

corpus ut impulsae segetes aquilonibus horrent,
litteraque articulo pressa tremente labat,

horrendi verbo ad *segetes* relato, quod debebat ad *corpus*: *horrent* enim probi codices tuentur, non *horret*, quod ut facile restitui poterat, ita iniuria praefertur ab editoribus, etiam Ehwaldo; neque hoc quod reddimus Ovidio deterius est quam quod Theocrito Callimachoque non poterat denegari. Romani autem quam consueti fuerint in omni genere orationis verborum formas praeter sententiae necessitatem cum proximis exaequare, vel Livius testimonio est, qui quae scribit VII 38, 6

cur autem potius Campani agrum Italiae uberrimum, dignam agro urbem, qui nec se nec sua tutari possent, quam victor exercitus haberet, *qui suo sudore ac sanguine inde Samnites depulisset*

et quae XXXVIII 9, 13

signa aenea marmoreaque et tabulae pictae, quibus ornatior Ambracia, quia regia ibi Pyrrhi fuerat, quam ceterae regionis eius urbes erant, *sublata omnia avectaque*

intemptata sunt, quamquam non difficilius erat hic *erat* aut illic *haberent* ut sententia poscebat reponi quam apud Ovidium *horret*. Et talia quidem Apollonius ipse non refugit. Nam cum scribit III 948

12 *οὐδ' ἄρα Μηδείης θυμὸς τράπετ' ἄλλο νοῆσαι,*
μελπομένης περ ὅμως· πᾶσαι δέ οἱ, ἥντιν' ἀθύροι
*μολπήν**), *οὐκ ἐπὶ δηρὸν ἐφήνδανεν ἑψιάασθαι,*

sic enim *ἐφήνδανεν* libri quorum fides est nec tanti faciendum quod in paucis *ἐφήνδανον* exhibetur, verbi forma non ad *πᾶσαι*, quod oportebat, sed ad id quod propius erat nomen singulari numero *ἥντινα μολπήν* accommodatur; aut in eodem libro 190 cum haec leguntur

ὃ δὲ καί ποτ' ἀμύμονα Φρίξον ἔδεκτο
μητρυιῆς φεύγοντα δόλον πατρός τε θυηλάς,
πάντες ἐπεὶ πάντῃ καὶ ὅτις μάλα κύντατος ἀνδρῶν
Ξεινίου αἰδεῖται Ζηνὸς θέμιν ἠδ' ἀλεγίζει,

quasi nullum esset *πάντες* enuntiati relativi formam quod medium est *ὅτις κύντατος ἀνδρῶν* sequuntur verba *αἰδεῖται, ἀλεγίζει*, quae non tam facile pluralem numerum quam *ἐφήνδανεν* recipiunt. Sed ea Merkelius ait diversa esse ab eo loco, de quo agimus; et sunt quidem diversa, sed ut eandem cum illo consuetudinem prae se ferant, qua Graeci a severiore enuntiati structura paululum deflectentes verborum formas cum iis quae proxima sunt coniunctas esse volunt. Quo magis credibile est poetam etiam in illo simili *μίμνει* verbum cum vicinis conciliasse, quamquam superior oratio stabat imperfecta. Quem morem Graecorum, ut hoc genus omne amplectamur, vel in iis agnoscas quae sunt apud Aristotelem in arte poetica c. 14 p. 1453b 27 *ἔστι μὲν γὰρ οὕτω γίνεσθαι τὴν πρᾶξιν, ὥσπερ οἱ παλαιοὶ ἐποίουν εἰδότας καὶ γιγνώσκοντας*, quae olim prava interpunctione obscurata ad suam rationem revocare Platonisque exemplo stabilire studuimus; etenim nihil curans prae-

*3) Memorabilia haec sunt hoc quoque nomine, quod a *πᾶσαι* nomen seiunctum in alia orationis parte positum est. Quod genus tragicus ignotus (fr. 392 Nauck. ed. II) dixit

Ἀργεῖος ἢ Θηβαῖος· οὐ γὰρ εὔχομαι
μιᾶς· ἅπας μοι πύργος Ἑλλήνων πατρίς;

nec disparia sunt haec Propertii II 26, 25

nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos:
carmina tam sancte nulla puella colit;

II 24, 35

tu mea compones et dices 'ossa, Properti,
haec tua sunt.

μολπή autem nomen, a *πᾶσαι* separatum, quod se ad relativi enuntiati formam applicavit, ex eo genere est, de quo supra dicimus in prooemio Enniano p. 44, exempla Callimachea in Callimacho suo Meinekius collegit p. 145.

missa scriptor ab *ὥσπερ* particula reliqua pendere voluit, ut ad novum subiectum *οἱ παλαιοί* applicarentur omnia nec reverteretur ad primam orationem. A quibus non longe discedit Plutarchus, cuius haec sunt de tranquillitate animi c. 10 (p. 470 b) *καίτοι καὶ τοῦτο μέγα πρὸς εὐθυμίαν ἐστί, τὸ μάλιστα μὲν αὑτὸν ἐπισκοπεῖν καὶ τὰ καθ' αὑτόν, εἰ δὲ μή, τοὺς ὑποδεεστέρους ἀποθεωρεῖν καὶ μὴ καθάπερ οἱ πολλοὶ πρὸς τοὺς ὑπερέχοντας ἀντιπαρεξάγουσιν*; quae vulgo item mala distinctione laborant, quorumque rationem ne Wyttenbachius quidem perspexit, nedum posteriores. 13
Qui cum aut *ἀντιπαρεξάγειν* legendum proponeret aut aliquid excidisse suspicaretur, non vidit a verbis *καὶ μὴ καθάπερ* interveniente novo subiecto ad hoc relata omnia suo ordine sese excipere neque ad superiora rediri. Cui simile exemplum in eodem libello legitur c. 20 p. 477 d *ὧν τὸν βίον μύησιν ὄντα καὶ τελετὴν τελειοτάτην εὐθυμίας δεῖ μεστὸν εἶναι καὶ γήθους, οὐχ ὥσπερ οἱ πολλοὶ Κρόνια καὶ Διάσια καὶ Παναθήναια καὶ τοιαύτας ἄλλας ἡμέρας περιμένουσιν ἵν' ἡσθῶσι κτλ.* Omninoque hoc genus enuntiatorum quorum partes per voces *οὐχ ὥσπερ, μὴ καθάπερ* conglutinantur notum est multo usu frequentari apud hunc scriptorem et apud alios: quorum enuntiatorum vim et naturam, cum nostra quaestione coniunctam, olim in mantissa ad Aristotelis de arte poetica librum adiecta p. 275 sq. multis collectis exemplis patefacere conabamur.

Sed ut conclusa sit nobis haec oratio, si quid disputando profecerimus, cum fide iam quadam videbimur statuere, Apollonium scripsisse ea quae libri testantur,

αὐτὰρ ὅ τούς γε
εὖ διαβὰς ἐπιόντας, ἅτε σπιλὰς εἰν ἁλὶ πέτρη
μίμνει ἀπειρεσίῃσι δονευμένα κύματ' ἀέλλαις,

eumque hoc simile ad eum modum quem pluribus persecuti sumus*) extulisse.

---

*30) In adnotatione addimus exempla Vergiliana duo, quae quamquam habere videntur quibus illa confirmare liceat, uno nomine discedunt ut rectius ab illis segregentur. Aen. x 132

ipse inter medios, Veneris iustissima cura,
Dardanius caput ecce puer detectus honestum,
qualis gemma micat *fulvum quae dividit aurum,*
aut collo decus aut capiti, vel quale per artem
inclusum buxo aut Oricia terebintho
lucet *ebur.*

Restat tertium quod ex Theocriti versibus exorsi disceptare voluimus, quod quamquam in illo prooemio tractatum est, habemus tamen quibus illa augeri non inutiliter, nonnulla nostra ab alieno iudicio vindicari posse videantur. Etenim quae in idyllio 12, 8 leguntur, de quibus supra diximus (p. 185),

14 *τόσσον ἔμ' εὔφρανας τὺ φανείς, σκιερὰν δ' ὑπὸ φαγόν*
ἀελίου φρύγοντος ὁδοιπόρος ἔδραμον ὥς τις

plerumque prave accepta sic interpretanda duximus, ut se diceret pueri amator urente sole sub fagi umbram cucurrisse, figurata oratione professus quantum delectationis sibi adventus amasii attulisset. Et haec *μεταφορικῶς* elata per se constare poterant: additis verbis *ὥς ὁδοιπόρος τις* origo metaphorae aperitur, et quae propria sunt viatoris inter vias ob fervorem solis arboris umbram petentis ea videmus in ipsum esse amatorem translata reditu pueri desiderati exhilaratum. Eodem modo in idyllio tertio extremo formatum est simile, quod et ipsum interpretes parum recte expedierunt. Cum enim caprarius lamentetur

κεισεῦμαι δὲ πεσὼν καὶ τοὶ λύκοι ὧδέ μ' ἔδονται·
ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο,

haec dicit, a lupis me devorari pergratum tibi acciderit, sed quia a melle ducit simile, ita loquitur, me perire, hoc tibi dulce per guttur descendat mellis instar suaviter per guttur defluentis. Quod est contractum quoddam genus enuntiati comparativi, idque late patet et olim compluribus exemplis, Pindari inprimis et Aeschyli, a nobis declaratum est. Quae nunc non repetimus sed afferimus alia, si fieri possit ut ea ratio quam dicimus clariore in luce po-

---

ipse enim cum *micare* dicatur, tamen hoc verbum, quod nonnulli interpungendo a suis vicinis separatum ad *ipse* redire indicant, simili cui inhaeret accommodatum et cum *lucet* in altera similitudine comparatum videtur, ut hinc necesse sit audiatur in prima oratione, sed verbi forma quae posita est eadem cogitando suppletur. Aen. VII 585

certatim regis circumstant tecta Latini:
ille velut pelagi rupes immota resistit,
ut pelagi rupes magno veniente fragore,
quae sese multis circum latrantibus undis
mole tenet.

ille quo modo *restiterit* declaratur exemplo, sed *immota resistit*, quae comparationis sunt, non videntur posse seiungi, neque quicquam ne hic quidem interpungendo efficitur, sed ex comparatione sumitur eadem quidem forma verbum ad *ille* quod mente addatur.

natur et sic uti par est aestimetur. In Phaedone Platonis (p. 143, 20 Sch.) haec dicit Socrates

> ἐὰν μέν τι ὑμῖν δοκῶ ἀληθὲς λέγειν, συνομολογήσατε, εἰ δὲ μή, παντὶ λόγῳ ἀντιτείνετε, ὅπως μὴ ἐγὼ ὑπὸ προθυμίας ἅμα ἐμαυτόν τε καὶ ὑμᾶς ἐξαπατήσας ὥσπερ μέλιττα τὸ κέντρον ἐγκαταλιπὼν οἰχήσομαι.

Nempe κέντρον ἐγκαταλιπεῖν, quod apum est, nunc ipse de se ponit Socrates, sed addita similitudine ex qua illud repetitum est. Magis mira videri possunt haec eiusdem Platonis quae sunt in Πολιτείας quarto p. 189 Bk.

> οὐκοῦν νῦν δὴ ἡμᾶς δεῖ ὥσπερ κυνηγέτας τινὰς θάμνον κύκλῳ περιίστασθαι προσέχοντας τὸν νοῦν μή πῃ διαφύγῃ ἡ δικαιοσύνη καὶ ἀφανισθεῖσα ἄδηλος γένηται.

Neque enim ita loquitur ut dicat, 'quemadmodum venatores saltum saepire solent ne effugiat fera, sic nos oportet agere ut quam quaerimus iustitiam deprehendamus', sed semet suosque iubet arbustum circumsistere plagis, ne aufugiat iustitia, addito quidem venatorum exemplo. Ac facile persentiscitur admirabilis huius orationis venustas. Addimus alia, Euripidis potissimum, qui multa habet hoc modo formata. Velut in Andromacha Peleus cum Andromacham vinctam aspicit ut perituram cum filio ita loquitur (554)

> πρῶτον μὲν οὖν κατ' οὖρον ὥσπερ ἱστίοις
> ἐμπνεύσομαι τῇδ'· εἰπὲ τίνι δίκῃ χέρας
> βρόχοισιν ἐκδήσαντες οἵδ' ἄγουσί σε
> καὶ παῖδα;

In Hecuba Polymestor oculis effossis ita lamentatur (1080)

> πᾷ στῶ πᾷ κάμψω πᾷ βῶ,
> ναῦς ὅπως ποντίοις πείσμασι λινόκροκον
> φᾶρος στέλλων, ἐπὶ τάνδε συθείς
> τέκνων ἐμῶν φύλαξ
> ὀλέθριον κοίταν;

in quibus quamquam aliquid ambigui est et fortasse depravati, hoc manifestum videtur, haec ναῦς ὅπως ποντίοις πείσμασι λινόκροκον φᾶρος στέλλων et unam efficere sententiam et hoc quod navis est Polymestorem de se sed addita similitudine pronuntiare, non secus ac Peleus in Andromacha. Helena in cognomine fabula cum dicit (260)

τέρας γὰρ ὁ βίος καὶ τὰ πράγματ' ἐστί μοι,
τὰ μὲν δι' Ἥραν, τὰ δὲ τὸ κάλλος αἴτιον·
εἴθ' ἐξαλειφθεῖσ' ὡς ἄγαλμ' αὖθις πάλιν
αἴσχιον εἶδος ἀντὶ τοῦ καλοῦ 'λαβον

semet extergeri cupit tamquam picturam ut turpiorem pro pulchra speciem nanciscatur. Supplicum chorus ita canit de se (961)

δυσαίων δ' ὁ βίος,
πλαγκτὰ δ' ὡσεί τις νεφέλα
πνευμάτων ὑπὸ δυσχίμων ἀΐσσω,

quae facile poterant integram comparationis formam induere, velut ὡς π. νεφέλα πνευμάτων ὑπὸ δυσχίμων ἀΐσσει, sic ego miseriis vexata vagor; nunc illa contracta quam dicimus ratione chorus quae nubis sunt in se transtulit. In Troasin Andromacha (750)

ὦ παῖ, δακρύεις;
τί μου δέδραξαι χερσὶ κἀντέχει πέπλων,
νεοσσὸς ὡσεὶ πτέρυγας εἰσπίτνων ἐμάς,

quam comparationem plenius effert Megara in Hercule 71 sq. Ex Plutarcho pauca de multis quae habet similia selegimus: de defectu orac. c. 8 p. 414 c

οὕτω τότε πλείοσιν ἐχρῆτο φωναῖς πρὸς πλείονας ἡ μαντική, νῦν δὲ τοὐναντίον ἔδει θαυμάζειν τὸν θεόν, εἰ περιεώρα τὴν μαντικὴν ἀχρήστως δίκην ὕδατος ἀπορρέουσαν ἢ καθάπερ αἱ πέτραι ποιμένων ἐν ἐρημίᾳ καὶ βοσκημάτων φωναῖς ἀντηχοῦσαν.

Duo ponit exempla, quorum hoc alterum, quod τὴν μαντικὴν ipsam ut saxa in solitudine pastorum et pecoris vocibus resonantem appellat, audacius videatur, sed ratio dicendi eadem est. Simpliciora sunt haec, de cohib. ira c. 10 p. 458 d

καὶ πρὸς ἄμυναν ἅμα σκοπῶν τὸν δι' ὀργῆς τρόπον ἄπρακτον εὑρίσκω τὰ πολλά, δήγμασι χειλῶν καὶ πρίσεσιν ὀδόντων καὶ κεναῖς ἐπιδρομαῖς καὶ βλασφημίαις ἀπειλὰς ἀνοήτους ἐχούσαις καταναλισκόμενον, εἶθ' ὥσπερ ἐν τοῖς δρόμοις τὰ παιδία τῷ μὴ κρατεῖν ἑαυτῶν προκαταπίπτοντα τοῦ τέλους ἐφ' ὃ σπεύδει γελοίως.

De curiositate c. 9 p. 519 d

κἂν ἢ λόγου τινὸς ἀπορρήτου παρόντος ἢ πράξεως σπουδαίας περαινομένης ἀνὴρ πολυπράγμων ἐπιφανῇ, καθάπερ ὄψον γαλῆς παραδραμούσης αἴρουσιν ἐκ μέσου καὶ ἀποκρύπτουσιν.

De garrulitate c. 22 p. 514 b

> *ὥστε καὶ ταῦτα δεῖ φυλάττεσθαι· δελεαζομένη γὰρ ὑπ' αὐτῶν ἡ ἀδολεσχία καθάπερ ζῷον ἐπὶ νομὰς συνήθεις πρόεισι.*

Nam apparet in his tribus ad exempla interposita, *ὥσπερ τὰ παιδία*, *καθάπερ ὄψον*, *καθάπερ ζῷον*, non ad eam rem, quae agitur, orationem esse accommodatam. Neque Ciceroni talia inusitata sunt, qui vel ita scribit Acad. prior. II 29, 94

> *nihil me laedit, inquit; ego enim ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo, eoque magis, si locus is, quo ferentur equi, praeceps erit.*

Quibus quae subiicit *sic me, inquit, ante sustineo nec diutius captiose interroganti respondeo,* sunt ea paene ita posita, quasi ante de agitatore dixisset, *ut agitator callidus priusquam ad finem veniet equos sustinebit*, verum de se ille protulit *ego ut agitator callidus equos sustinebo,* non sine audacia quadam in re dialectica. Idem Catone m. 11, 36

> *nec vero corpori solum subveniendum est, sed menti atque animo multo magis; nam haec quoque, nisi tamquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute.*

His veterum exemplis ex utroque sermone petitis subiicimus pauca nostratium; quorum Goethius cum Orestem haec loquentem inducit,

> *Da fuhr wohl einer manchmal nach dem Schwert,*
> *Und künft'ge Thaten drangen wie die Sterne*
> *Rings um uns her unzählig aus der Nacht;*

aut Polymetin in Elpenore

> *Dann wird man wieder unsern Werth*
> *Wie in den ersten, den verworrnen Zeiten fühlen;*
> *Dann wird man uns wie ein veraltet Schwert*
> *Vom Pfeiler eifrig nehmen,*
> *Den Rost von seiner Klinge tilgen;*

denique Faustum ita facit declamantem

> *Bin ich der Flüchtling nicht, der Unbehauste,*
> *Der Unmensch ohne Zweck und Ruh,*
> *Der wie ein Wassersturz von Fels zu Felsen brauste*
> *Begierig wüthend nach dem Abgrund zu,*

semper ad similia quae prompsit reliquam orationem omnem conformavit, et quae aut ferri situ obducti aut aquarum cum fragore ruentium propria sunt, ea transfert in ipsas loquentium personas.

Neque haec poetarum licentiae condonanda sunt: legimus non ita pridem in pereleganti libello '*Klopstock sitzt, wie weiland der herrliche Pelide, grollend bei den Schiffen*', et nescio quis scriptor Fran-
17 cogallicus non dubitavit scribere *notre nation n'a pas peur des hommes nouveaux et, comme Calypso, elle sait se consoler du départ d'Ulysse*, comparationis forma eadem, quamquam Calypsonem ferunt nescivisse se consolari discessu Ulixis.

His exemplis confirmati repetimus in illo prooemio controversiam motam de Senecae tragici versibus et de Claudiani, qui quia similitudines in illum modum formatas habent, suspicio nata est non integras esse sententias sed quadam parte truncatas, de Claudiano etiam alia excogitarunt nuper. In Hercule igitur furente cum chorus cantat

en fusus humi saeva feroci
corde volutat somnia: nondum est
tanti pestis superata mali;
clavaeque gravi lassum solitus
mandare caput quaerit vacua
pondere dextra, motu iactans
bracchia vano. nec adhuc omnes
expulit aestus, sed ut ingenti
vexata noto servat longos
unda tumultus et iam vento
cessante tumet

in his extremis non accedimus iis qui aliquid desiderari sibi persuaserunt; quae enim proprie de unda dicuntur, eadem valent in Herculem, qui *nondum omnes expulit aestus sed ut unda noto vexata servat tumultus etiam cessante vento.* Quibus qui contulerit, quae eandem in sententiam in Hercule Oetaeo Deianira dicit (710)

ut fractus austro pontus etiamnum tumet,
quamvis quiescat languidis ventis dies,
ita mens adhuc vexatur excusso metu,

quae plena est comparatio, non ut illa contracta, plane quid differentiae intercedat perspicere poterit. Claudianus autem in narrando raptu Proserpinae (II 204 sqq.) cum haec dicat de Plutone

diffugiunt nymphae: rapitur Proserpina curru
imploratque deas. iam Gorgonis ora revelat
Pallas et intento festinat Delia telo
nec patruo cedunt: stimulat communis in arma

virginitas crimenque feri raptoris acerbat.
ille velut stabuli decus armentique iuvencam
cum leo possedit nudataque viscera fodit
unguibus et rabiem totos exegit in armos,
stat crassa turpis sanie nodosque iubarum
excutit et viles pastorum despicit iras,

Lud. Ieepius olim pronomen *ille* ne nihil haberet quo referretur addendam sententiam huius modi putavit *ille* [*tamen fervens ira non frangitur alta Mente*] *velut stabuli* eqs. Non quaerimus quam 18
apte supplementa formaverit vir doctus aut hoc potissimum loco interposuerit, sed hoc dicimus, ut ante, nihil desiderari sed poetam quae de leone proprie extulerit eadem voluisse intelligi de Plutone, *ille velut cum leo iuvencam possedit et dilaniavit stat turpis sanie et pastorum despicit iras;* id quod nec ineptius nec audacius videri potest quam multa eorum quae supra collegimus. Qui nuper Claudiani carmina a se recognita edidit, Theodorus Birtus, cum nos non recte de eo loco iudicasse praedicaret, haec adnotavit 'agnoscendam artificiosam in his verborum collocationem *ille velut leo* [*fuit*] *cum iuvencam possedit* eqs.; et prorsus eodem modo Propertium II 2, 7 *incedit vel Iove digna soror Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras;* hoc esse enim *aut velut Pallas cum spatiatur* eqs.' De his quid alii senserint nescimus, nisi quod Iul. Kochius denuo Claudiano edito cum distinctione a Birto adhibita eandem cum eo explicandi rationem secutus videtur. Nobis ille minime persuasit, ac de artificiosa verborum collocatione quae affert ne quem specie decipiant, hoc reputandum est, poetas, ut solent raro uno defungi exemplo sed plerumque copulare duo, alterum liberiore quodam modo superiori adnectere per *aut cum* (*et cum*), *aut ubi* particulas, ita quidem, ut quamquam hic illic possis in eum modum quem Birtus indicat verba transponere, hoc aliis nec liceat et nusquam voluisse poetas probabile sit. Ovidius cum scribit Met. VII 104

ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
aeripedes tauri, tactaeque vaporibus herbae
ardent, utque solent pleni resonare camini,
aut ubi terrena silices fornace soluti
concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum,
pectora sic intus clausas volventia flammas
gutturaque usta sonant

vel Hauptius adnotat liberiorem structuram in altero exemplo ac-

curatioris loco adhibitam *aut ut silices resonare solent, ubi* eqs.; ut tamen concedi oporteat Ovidium hoc alterum simile aliter concepisse nec se velle ad istam accuratiorem structuram adigi invitum. Similiter Lygdamus (Tibull. III) 4, 29

candor erat qualem praefert Latonia Luna,
et color in niveo corpore purpureus,
ut iuveni primum virgo deducta marito
inficitur teneras ore rubente genas,
et cum contexunt amarantis alba puellae
lilia et autumno candida mala rubent.

Vergilius Aen. XII 67

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
alba rosa, tales virgo dabat ore colores.

Aen. I 589

namque ipsa decoram
caesariem nato genetrix lumenque iuventae
purpureum et laetos oculis adflarat honores,
quale manus addunt ebori decus aut ubi flavo
argentum Pariusve lapis circumdatur auro.

Claudianus ipse X 173

'hos Mariae cultus, haec munera nostra precamur
reginae regina feras. dic talia numquam
promeruisse Thetim nec cum soror Amphitrite
*nostro nupta Iovi**).

Seneca Troasin 181

emicuit ingens umbra Thessalici ducis,
Threicia qualis arma proludens tuis
iam, Troia, fatis stravit aut Neptunium
cana nitentem perculit iuvenem coma,
aut cum inter acies Marte violento furens
corporibus amnes clusit et quaerens iter

---

*25) In his quoque Claudiani, quamvis diversa sint, X 213

ast alii thalamum docto componite textu;
stamine gemmato picturatisque columnis
aedificetur apex, qualem non Lydia dives
erexit Pelopi nec quem struxere Lyaeo
Indorum spoliis et opaco palmite Bacchae

tamen in adnectenda altera similitudine non dissimilem illi agnoscas libertatem.

tardus cruento Xanthus erravit vado,
aut cum superbo victor in curru stetit
egitque habenas Hectorem et Troiam trahens.

Haec quae selegimus pauca de multis qui curiosius sed libero animo rimabuntur, ultro, opinabimur, etiam a nobis non singillatim admoniti intelligent, esse eam quam diximus poetarum consuetudinem, scitamque libertatem orationis cavendum esse ne prave interpretando corrumpamus et ad deteriorem formationem nostro arbitratu detrudamus. Itaque ne Propertium quidem cum scribit

et incedit vel Iove digna soror
aut cum Munychias Pallas spatiatur ad aras

largimur id sensisse quod Birtus ei suppeditat, *aut velut Pallas, cum spatiatur*, sed cum dicit *Aut cum Pallas spatiatur ad aras*, primum locutus est ut poeta, deinde hoc superiori exemplo liberius sane sed haud incommode, sensum si spectes, adnectit*). Et hoc nos eo fidentius affirmamus, quia etiam ubi unum tantum simile affertur, eadem structura utuntur poetae, velut Vergilius Aen. XII 101

his agitur furiis totoque ardentis ab ore **20**
scintillae absistunt, oculis micat acribus ignis,
mugitus veluti cum prima in proelia taurus
terrificos ciet atque irasci in cornua temptat;

vel Claudianus V 22

haec fatus, ventis veluti si frena resolvat
Aeolus, abrupto gentes sic obiice fudit
laxavitque viam bellis;

idem Carm. min. XXVII 36 (p. 312 B.)

iam breve decrescit lumen languetque senili
segnis stella gelu, qualis cum forte tenetur
nubibus et dubio vanescit Cynthia cornu.

Nec poetae solum sed pedestres quoque scriptores, Cicero de officiis (I 25, 87) in vertendis verbis Platonicis

---

*15) [Addas Statii (Silv. III 3, 126)

sed media cecidere abrupta iuventa
gaudia florentesque manu scidit Atropos annos,
qualia pallentes declinant lilia culmos
pubentesque rosae primos moriuntur ad austros,
aut ubi verna novis exspirat purpura pratis

a Skutschio Vollmeroque interpretibus declarata.]

similiter facere eos qui inter se contenderent, uter potius rem publicam administraret, ut si nautae certarent quis eorum potissimum gubernaret.

Catone mai. 19, 71

adulescentes mihi mori sic videntur, ut cum aquae multitudine flammae vis opprimitur, senes autem sic, ut cum sua sponte ignis exstinguitur.

Sed esto de Propertio et ista transpositione verborum, qua nobis quidem cura grammatici color poeticus orationis deteri ac vitiari videtur: Claudiano certe ne sic quidem succurritur; quem quod ita interpretatur Birtus *ille velut leo fuit cum* . ., suum poetam, quem saepe iustis laudibus effert, balbutientem ex venusto quamvis invitus reddere nobis videtur; cum praesertim hoc alterum accedat incommodum ut iam pars altera comparationis *stat crassa turpis sanie* cet., graviore distinctione a superioribus separata, vacillet inscite; et tamen has duas esse eiusdem similitudinis partes liquido apparet, *velut cum leo iuvencam possedit et viscera fodit unguibus, stat crassa turpis sanie;* neque in eo quidem aliter sensisse Gesnerum credibile est, qui ab ista interpunctione abstinuit quam Birtus induxit primus. Itaque sic rationem concludimus, Claudianum in illo simili quod a leone repetiit pluribusque verbis exsecutus est, quae sunt propria leonis raptam iuvencam devorantis *stat crassa turpis sanie nodosque iubarum excutit et viles pastorum despicit iras* in *illum* quem dicit raptorem Proserpinae, Plutonem, sicuti potuit et par fuit, accommodari voluisse neque imperfectam esse hanc orationem neque 'artificiosam verborum collocationem' prae se ferre. Quo in genere cum olim exemplum ex Aeneidos nono (v. 337) de Nisi furiosa caedendi cupiditate attulerimus, quod ab interpretibus Vergilianis perperam explicatur, nunc haec ex Aeneidos decimo (688) adscribimus.

At Iovis interea monitis Mezentius ardens
succedit pugnae Teucrosque invadit ovantes.
concurrunt Tyrrhenae acies atque omnibus uni,
21 *uni odiisque viro telisque frequentibus instant.*
ille velut rupes vastum quae prodit in aequor
obvia ventorum furiis expostaque ponto
vim cunctam atque minas perfert caelique marisque
ipsa immota manens. Prolem Dolichaonis Hebrum
sternit humi, cum quo Latagum Palmumque fugacem.

Quae nobis non recte accipere videntur, qui sic accipiunt, ut in unam sententiam coeant haec *ille prolem Dolichaonis Hebrum sternit humi*, medio interposito simili quod ab hac re plane alienum est: quis enim crediderit tam absurde loqui prudentem poetam ut dicat, *ille, velut rupes vim ventorum perfert immota manens, Hebrum sternit humi*. Immo ipse tenor narrationis probat, Mezentium dici, cui omnes instant armati, velut rupem obviam ventorum furiis vim cunctam minasque perferre; de rupe igitur quae elata sint proprie, transferri in consimilem condicionem Mezentii; deinde subiici illa 'sternit humi Hebrum' et reliqua. Scr. m. Aprili a. MDCCCXCV.

XLIII. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1896.

3 M. Cicero initio tertii de legibus scribit 'Sequar igitur divinum illum virum quem quadam admiratione commotus saepius fortasse laudo quam necesse est.' Cui Atticus 'Platonem videlicet dicis.' Ille vero 'Istum ipsum, Attice.' Nos quoque sequemur non Platonem sed Ciceronem, ut admiratione commoti quem saepius iam hoc loco laudavimus, adulescentes adhortati, quorum studiis haec quae scribimus accommodamus, ut ne omitterent incomparabilem Platonis artem et urbanitatem impensa opera pernoscere, eum nunc rursum nostra laude, immo quadam veneratione tamquam vere virum divinum prosequamur. Etenim nuper iis maxime cogitationibus occupati, qualem mors homini sortem allatura videatur, eamne faustam dicamus an infaustam, cum ad Platonis Phaedonem toties lectum denuo legendum delati essemus, mirum in modum recreabamur animo contemplantes egregie a Platone expressam Socratis persuasionem, quam ille unice dignam philosopho arbitratus omni vi disputandi adhibita nullo non genere argumentorum fulcire et corroborare haud desistit, quippe qua sola, ait, firmatus cum fiducia ac spe bona sit morti iamiam adventanti obviam iturus, eam igitur persuasionem, qua se confidere affirmat, non interituram in morte animam, sed de corpore mortem occumbente decedere ipsam salvam, nec destitutam corporis velamento quasi venti flamine abripi et ad nihilum deferri, verum consistere integram ac stabilem et separatam a suo corpore, qualis ante natum hominem fuerit, duraturam perpetuo, secundum vitam ante actam feliciter agentem aut contra. Unde hanc esse veram normam vitae viri philosophi ratiocinando efficit, ut quoniam mors nulla re alia quam secernenda a corpore anima contineatur, etiam dum vivit, mori ac mortuus esse discat in eoque se exerceat, hoc est nihil antiquius habeat, quam ut seiuncta, quantum fieri possit, a corpore anima ipsa per sese nullis corporis cupiditatibus aut

desideriis impedita ad cognitionem veri se dare possit, accedente 4
autem morte non recalcitret aut indignetur, sed placida mente recipiat eam cuius beneficio quae per totam vitam ardenti studio concupiverit iam se plane consecuturum exspectet.

Sed nos dum harum sententiarum gravitatem cum lepore mixtam admirabundi persequimur, simul attendentes mirificam artem, qua haec fabula morituri Socratis, tamquam in scena acta, legentium ob oculos ponatur, accidit, ut haesitaremus in una voce, connexa illa quidem quodam modo cum intima huius dialogi sententia, neque circumstrepentibus eruditorum opinionibus nos expediremus; et nos hoc quod saepe alias sentiebamus, non contemnendam rem esse in veterum scriptorum lectione, cui contingeret, non ut obiter et quasi diluculo quae dicunt agnosceret, sed ponderata cum cura quavis voce plane eorum mentes et consilia in singulis et universis usquequaque perspiceret. De hac igitur voce, quoniam aliquid litterariae praefationis enumerationi lectionum praemittendum est, nunc agere constituimus temptantes ecquid argumentando conficere possimus; sed si forte hoc non assecuti fuerimus excussis rationibus omnibus ut controversia componatur, erit fortasse in ipsis quas tractamus sententiis quod placeat et tenere paulisper legentem possit, qui praesertim ex particulis sciat memoriam revocare totius. Sunt autem verba haec (p. 51, 14 Bekk.)

Ἡ δὲ ψυχὴ ἄρα, τὸ ἀειδές, τὸ εἰς τοιοῦτον τόπον ἕτερον οἰχόμενον, γενναῖον καὶ καθαρὸν καὶ ἀειδῆ, εἰς Ἅιδου ὡς ἀληθῶς, παρὰ τὸν ἀγαθὸν καὶ φρόνιμον θεόν, οἷ, ἂν θεὸς ἐθέλῃ, αὐτίκα καὶ τῇ ἐμῇ ψυχῇ ἰτέον, αὕτη δὲ δὴ ἡμῖν ἡ τοιαύτη καὶ οὕτω πεφυκυῖα ἀπαλλαττομένη τοῦ σώματος εὐθὺς διαπεφύσηται καὶ ἀπόλωλεν, ὥς φασιν οἱ πολλοὶ ἄνθρωποι; πολλοῦ γε δεῖ, ὦ φίλε Κέβης τε καὶ Σιμμία, ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον ὧδ' ἔχει, ἐὰν μὲν καθαρὰ ἀπαλλάττηται μηδὲν τοῦ σώματος ξυνεφέλκουσα, ἅτε οὐδὲν κοινωνοῦσα αὐτῷ ἐν τῷ βίῳ ἑκοῦσα εἶναι, ἀλλὰ φεύγουσα αὐτὸ καὶ συνηθροισμένη αὐτὴ εἰς ἑαυτήν, ἅτε μελετῶσα ἀεὶ τοῦτο — τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ὀρθῶς φιλοσοφοῦσα καὶ τῷ ὄντι τεθνάναι μελετῶσα ῥᾳδίως· ἢ οὐ τοῦτ' ἂν εἴη μελέτη θανάτου; Παντάπασί γε. Οὐκοῦν οὕτω μὲν ἔχουσα εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῇ τὸ ἀειδὲς ἀπέρχεται, τὸ θεῖόν τε καὶ ἀθάνατον καὶ φρόνιμον, οἷ ἀφικομένῃ ὑπάρχει αὐτῇ εὐδαίμονι εἶναι, πλάνης καὶ ἀνοίας καὶ φόβων καὶ ἀγρίων ἐρώ-

των καὶ τῶν ἄλλων κακῶν τῶν ἀνθρωπείων ἀπηλλαγμένῃ, ὥσπερ δὲ λέγεται κατὰ τῶν μεμυημένων, ὡς ἀληθῶς τὸν λοιπὸν χρόνον μετὰ θεῶν διάγουσα;

Tantum oportebat afferri, ut sententiarum tenor pateret, in quo ea vox posita est de qua dicturi sumus, est autem (v. 13) *ῥᾳδίως*. Quae cum non uno modo cum ceteris eius enuntiati iungi possit, interpretes, qui hac scriptura acquiescunt, tamen varie horum verborum vim et sententiam acceperunt; alii nomen abesse ab hoc loco iusserunt, idque ne incommodaret legenti cancellis circumscriptum propagarunt; nuper Hermannus Usenerus, in nuntiis societatis Gottingensis a. 1892, cum reliquiarum quarundam Phaedonis a papyro Aegyptiaca non ita pridem inventa exhibitarum fidem et auctoritatem exploraret erudite et qua pollet elegantia iudicii, cum doleret ad hunc locum et ad alium*), quorum utrumque praecipue depravatum haberet, nihil ex novo fonte adminiculi redundasse, ipse ambos sua coniectura emendare conatus, nostro loco non *ῥᾳδίως* (quod papyrus cum ceteris libris testatur) sed *τεθνάναι μελετῶσ' ἀῤῥάτως* scriptum fuisse sibi persuasit; idque novissimo Phaedonis interpreti probavit, M. Wohlrabo, qui divinatione inventum tamquam certum et indubitatum in textu posuit interpretandoque firmare studuit.

Rarissimi usus nomen *ἄῤῥατον* notum est bis apud Platonem legi, in Cratylo (p. 53, 8 Bekk.), ubi haec scripta sunt nulla discrepantia

*14) Verba sunt haec (p. 55, 13 Bekk.) *τοιγάρτοι τούτοις μὲν ἅπασιν ἐκεῖνοι οἷς τι μέλει τῆς αὑτῶν ψυχῆς ἀλλὰ μὴ σώματι πλάττοντες ζῶσι, χαίρειν εἰπόντες οὐ κατὰ ταὐτὰ πορεύονται αὐτοῖς κτλ.* In quibus illa *ἀλλὰ μὴ σώματι πλάττοντες ζῶσι* varie temptata sunt a viris doctis; quo magis dolendum est, ea verba in papyro servata non esse; nam ceteri libri paene omnes in ista scriptura conspirant. De quibus verbis nos olim in prooemio aest. anni 1879 (parte I p. 83 sqq.) ita egimus, ut quae scripta sunt tutari conaremur sic interpretati *μὴ σώματι ζῶσι πλάττοντες* (sc. *αὐτό*); quod genus loquendi et tum compluribus exemplis et postea alibi rursus stabilire studuimus, nec desunt alia; sed videmur criticis hunc usum participii latissime patentem probare non posse. Itaque Usenerus quoque (l. c. p. 39 et 194), nostra aspernatus, novo emendandi conamine Platonis verbis succurrere maluit, cum *μὴ σώματι πελάται ὄντες ζῶσι*, paene ut Madvigius antea *πελατεύοντες*, scribendum proponeret. Sed hoc si voluisset Plato, non erat, opinamur, quod aut nova aut insolentia asciseceret, sed in promptu erat *μὴ σώματι δουλεύοντες ζῶσι*, ut p. 22, 3 scribit *χρήματα ἀναγκαζόμεθα κτᾶσθαι διὰ τὸ σῶμα δουλεύοντες τῇ τούτου θεραπείᾳ*. Uni Wohlrabo sero videmus nos persuasisse.

Ἀλλ' ἵνα μὴ δόξῃ, τὸν Ἄρη ἐρώτα. ΕΡΜ. Ἐρωτῶ. ΣΩ. Οὐκοῦν εἰ μὲν βούλει, κατὰ τὸ ἄρρεν τε καὶ κατὰ τὸ ἀνδρεῖον Ἄρης ἂν εἴη· εἰ δ' αὖ κατὰ τὸ σκληρόν τε καὶ ἀμετάστροφον, ὃ δὴ ἄρρατον καλεῖται, καὶ ταύτῃ ἂν πανταχῇ πολεμικῷ θεῷ πρέποι Ἄρη καλεῖσθαι,

et in *Πολιτείας* septimo (p. 364, 10)

Δριμύτητα, ὦ μακάριε, ἔφην, δεῖ αὐτοῖς πρὸς τὰ μαθήματα ὑπάρχειν, καὶ μὴ χαλεπῶς μανθάνειν· πολὺ γάρ τοι μᾶλλον ἀποδειλιῶσι ψυχαὶ ἐν ἰσχυροῖς μαθήμασιν ἢ ἐν γυμνασίοις· οἰκειότερος γὰρ αὐταῖς ὁ πόνος, ἴδιος ἀλλ' οὐ κοινὸς ὢν μετὰ τοῦ σώματος. Ἀληθῆ, ἔφη. Καὶ μνήμονα δὲ καὶ ἄρρατον καὶ πάντῃ φιλόπονον ζητητέον. ἢ τίνι τρόπῳ οἴει τά τε τοῦ σώματος ἐθελήσειν τινὰ διαπονεῖν καὶ τοσαύτην μάθησίν τε καὶ μελέτην ἐπιτελεῖν,

ubi quod olim vulgabatur *ἄκρατον* pridem et librorum fide et scholiastae testimonio correctum est. Utroque enim loco insolenti voci explicandae interpretes Graeci operam dederunt, et ad Cratylum quidem haec adnotantur (p. 370 Bekk.) *ἄρρατον] ἀσφαλὲς ἢ ἀκάματον, οἱ δὲ ἰσχυρόν, ἔνιοι μικρόν, οἱ δὲ μέγα**), *οἱ δὲ τὸ σκληρὸν καὶ ἀμετάστροφον*, in quibus turbatum videtur, ut aliunde immixta aliena putes; ad *Πολιτείαν* autem (p. 414) haec *ἄρρατον]* 6
ἰσχυρόν, στερεόν, ἢ δυσκίνητον. Similia de ea voce alii grammatici referunt, quorum testimonia Ruhnkenius ad suum Timaeum adscripsit, qui ipse eadem cum scholiasta *Πολιτείας* affert, *ἄρρατον· ἰσχυρόν, στερεόν*; item *Συναγωγὴ λέξεων* in Bekkeri Anecdotis (p. 446) et Suidas (p. 688), nisi quod Platonis nomen addunt, *ἄρρατον· ἰσχυρόν, στερεόν· οὕτω Πλάτων.* Quae in iisdem Anecdotis (p. 442) leguntur *ἄρρατον· ἰσχυρὸν ἢ δυσκίνητον ἢ σκληρὸν καὶ ἀμετάστροφον*, eadem praeter haec extrema quae Platonis verba sunt (vid. schol. ad Crat.) in iis recurrunt quae Millerus ex Didymo sive Boetho edidit in Confusaneis litterarum Graecarum (p. 400) *ἄρρατον· ἰσχυρὸν ἢ δυσκίνητον.* Denique in Etymologico M. haec Methodii afferuntur (p. 135) *ἄρρατος, οἷον ἄφθαρτος, ὁ μὴ ῥαιόμενος**), *ἵν' ᾖ ὁ ἀκαταγώνιστος, ἢ ὁ ἀνέκφραστος, ἄρρητός τις ὤν, ἢ ἰσχυρὸς ἢ δυσκίνητος. Φρύνιχος δὲ* (cf. Ruhnkenius l. c.)

*19) Haec ad *ἄρρητον* videntur pertinere; vide scholia Dindorfii ad Euripidis Hecubam 200. 201.

*34) [Cf. Anecdota Bekkeri (ex Phryn.) p. 24 *ἄρρατον· τὸ ἰσχυρόν, κατὰ ἀπόφασιν τοῦ ῥαῖσαι, οἷον ἀδιάφθορον.*]

ἀπὸ τοῦ ῥῶ, οὗ ὁ μέλλων ῥάσω ὡς δράσω, ῥατὸς καὶ ἄρρατος, πλεονασμῷ τοῦ ῥ. Μεθόδιος. Quodsi in his postremis veriloquii explicandi conamina et *ἄρρατον* cum *ἀρρήτῳ* confusum omittimus, quamquam in his tamen redeunt quae sunt apud superiores *ἰσχυρὸς ἢ δυσκίνητος*, reliqua omnia eandem prae se ferre originem videntur neque ad plus quam duo locos Platonicos quos diximus redire.

Sed Usenerus etiam ipsam formam nominis, quam Platoni in Phaedone reddendam censuit, non singularem esse sed semel certe praeterea exstare credidit. Sic enim legentem relegat ad Iacobi Bernaysii opuscula (I 132), ut non possit non comprobare qua ille divinatione usus eandem vocem Aristoteli vindicavit. Cuius viri ingeniosi inprimis sententiam quamquam nos alibi semel et iterum redarguere argumentando conati sumus, tamen, quoniam ea ab Usenero neglecta repudiataque videmus, non detrectabimus, quominus tertium hanc causam agamus, si forte nunc contigerit, ut viro eruditissimo ea quae nobis certa videntur non improbabilia esse persuadeatur.

Plutarchus igitur in libellum quem scripsit ad Apollonium de consolatione cum ex Aristotelis dialogo, cui praefixum est nomen Eudemi, particulam quantivis pretii sed a criticis ex parte quidem parum considerate tractatam recepisset, cum alia tum haec Aristotelis perscripsit (c. 27 p. 115 c)

> *κἀκεῖνος ὑπολαβὼν 'ὡς ἄρα μὴ γίνεσθαι μὲν' ἔφη 'ἄριστον πάντων, τὸ δὲ τεθνάναι τοῦ ζῆν ἐστὶ κρεῖττον. καὶ πολλοῖς οὕτω παρὰ τοῦ δαιμονίου μεμαρτύρηται. τοῦτο μὲν ἐκείνῳ τῷ Μίδᾳ λέγουσι δήπου μετὰ τὴν θήραν ὡς ἔλαβε τὸν Σειληνὸν διερωτῶντι καὶ πυνθανομένῳ τί ποτ' ἐστὶ τὸ βέλτιστον τοῖς ἀνθρώποις καὶ τί τὸ πάντων αἱρετώτατον, τὸ μὲν πρῶτον οὐδὲν ἐθέλειν εἰπεῖν ἀλλὰ σιωπᾶν ἀρρήτως· ἐπειδὴ δέ ποτε μόλις πᾶσαν μηχανὴν μηχανώμενος προσηγάγετο φθέγξασθαί τι πρὸς αὐτόν, οὕτως ἀναγκαζόμενον εἰπεῖν κτλ.*

In quibus verbis qui *σιωπᾶν ἀρρήτως* recte dici diffidebant, olim Reiskius, postea Madvigius et ante Madvigium Rauchensteinius (mus. Rhen. XVII 465), *ἀρρήκτως* scribi iusserunt; id quod miramur non solum a Rudolpho Herchero sed etiam a novissimo Plutarchi Moralium editore receptum esse. Nam misso proprio huius adverbii usu, qui vix cuiquam videbitur ad hanc orationem adhiberi posse, quod (qua ratione Rauchensteinius usus est, nam reliqui

parcunt rationibus) *ῥῆξαι, ῥήξασθαι φωνήν, αὐδήν, φθόγγον*, similia dici constat, significatione a nomine adiecto pendente, ob eam causam in contrariam vim *ἀρρήκτως*, quod nullum sibi nomen adiectum habet, poni potuisse, nobis non fit credibile, non magis hercle quam quod *φωνὴ ἄρρηκτος* appellabatur, etiam *σιωπὴν ἄρρηκτον* potuisse recte dici. Itaque Bernaysius, spreta ista coniectura nec memorata, exemplo sumpto ab Axiocho dialogo Platonicis adnexo, in quo quod vulgabatur (p. 508, 14) *ποῦ τὰ πρόσθεν αὐχήματα καὶ αἱ συνεχεῖς εὐλογίαι τῶν ἀρετῶν καὶ τὸ ἄρρητον ἐν σοὶ θάρσος* a C. Fr. Hermanno recte in *ἄρρατον θάρσος* mutatum praedicabat*), Silenum ab Aristotele dici maluit *οὐδὲν ἐθέλειν εἰπεῖν ἀλλὰ σιωπᾶν ἀρράτως*, hoc est ut ipse reddidit *starr schweigen*. At nos nec hoc quemquam Germanice dixisse aut potuisse apte dici putamus, neque *ἀρράτως* vocabuli eum sensum esse concedimus, qui cum *σιωπᾶν* verbo conciliari commode potuerit. Sed si vel maxime hoc per testimonia, de quibus infra dicemus, largiri liceret, tamen *σιωπᾶν ἀρρήτως*, quod tamquam inepto ineptius ab omnibus repudiatur, quod tamen nemo paulo propius videtur respexisse, cur reiectaneum habeatur, causam nullam esse asseveramus. Nam quod Bernaysius risit illud *σιωπᾶν ἀρρήτως*, quasi quis nostro sermone diceret *unaussprechlich schweigen*, vix credibile est, eum non meminisse, quod neminem fugere poterat, non illa vi sola hoc genus vocabulorum poni, sed ea saepe quandam notionem activam induere, velut *ἀπράκτως* nemo dicet esse *in unthunlicher Weise*, sed vel tironibus notum est dici *re infecta*

---

*11) In Axiocho quid recte scribatur, *ἄρρητον* an *ἄρρατον* an *ἄρρηκτον* (quod et hic fuerunt qui pro *ἄρρητον* restituendum proponerent), non est quod operosius quaeratur; nam non multum hoc in nostra causa valere potest. Sed ne quid dissimulemus, tantum dicimus brevi, nobis illa quae vulgabantur *τὰ πρόσθεν αὐχήματα καὶ αἱ συνεχεῖς εὐλογίαι τῶν ἀρετῶν καὶ τὸ ἄρρητον ἐν σοὶ θάρσος* integra videri et *ἄρρητον* dici *θάρσος* quod verbis exprimi aut enarrari non possit (*unbeschreiblicher Muth*), quo sensu velut Appianus scribere videtur (bell. civ. III 4 p. 841, 16 Mend.) *μῖσος ἄρρητον ἐξ ἀρρήτου εὐνοίας τοῦ δήμου πρὸς τὸν Ἀντώνιον ἐγήγερτο*. Ceterum liquido apparet, quanto opere exempla trahant etiam eruditos, si quidem Bernaysius Hermanni exemplo, Bernaysii autem exemplo ducitur Usenerus. — Haec dudum scripta et iam impressa erant, cum libellus affertur O. Immischii, qui curas Platonicas ab Axiocho auspicatus dialogo denuo edito *ἄρρατον* ex Fischeri, non ut adhuc credebatur Hermanni coniectura recepit. Ita spes est eam vocem etiam in posterum hunc locum obtenturam supersedentibus praesertim criticis quaerere, qua vi *ἄρρητον θάρσος* appellari potuerit.

hoc est nostro sermone *ohne etwas auszurichten*, vel haec *ἀμιμήτως ἔγραψε* prave crederes esse *inimitabili modo*, sed est *ἄνευ μιμήσεως ἔγραψεν*. Et hoc idem plurimis exemplis cognoscere licet, quorum pauca afferre, tantum ut genus ipsum loquendi apertius declaretur, in nostra causa inutile non erit.

μή τις ἀσκέπτους ἡμᾶς ὄντας θορυβήσῃ Plato *Πολιτείας* IV p. 199, 12 Bekk.

ἀσκέπτως ἔχων τοῦ ἀμείνονός τε καὶ τοῦ χείρονος Gorgia 119, 14

οὕτως ἀλογίστως καὶ ἀσκέπτως καὶ εὐήθως καὶ ἀδιανοήτως διάκεισθε Hipp. mai. 453, 12

8 *ἄπειροι δὲ καὶ ἀόρατοι παντὸς κακοῦ* Polybius II 21, 2; III 108, 6

πολέμου καὶ ἀγορᾶς ἀθεάτῳ τὸ παράπαν Dio Chrysost. 4, 113

καὶ προσηύξατο

ἄκλαυστος ἀστένακτος Euripid. Alcest. 173 h. e. *sine eiulatu, sine gemitu;* conf. *ἄδακρύς τε καὶ ἀστένακτος* Dionys. Halic. V 8

σὺ δ' οὐκ ἄρ' ἔμελλες ἄπυστος
δὴν ἔμεναι Callimach. 4, 215

ὅσον δ' ἐπὶ δέρματι μοῦνον
νηδυίων ἄψαυστος ὑπὸ ζώνην θόρε χαλκός Apollon. Rhod Argon. II 113 h. e. *ὥστε τῶν ἐντοσθιδίων μὴ ψαῦσαι* schol.

Quibus extremo loco adiicimus quae dicit Taurus apud Gellium N. A. I 9, 8 *isti qui repente pedibus inlotis ad philosophos devertunt, non est hoc satis, quod sunt omnino ἀθεώρητοι, ἄμουσοι, ἀγεωμέτρητοι.* Ad horum igitur similitudinem illa quae scripta sunt apud Plutarchum *ἀλλὰ σιωπᾶν ἀρρήτως* si interpretamur, apparet ea non distare vel ab his quae Graece dici poterant *σιωπᾶν ἄναυδον, σιωπᾶν ἀφώνως*, vel a nostro more *habe geschwiegen ohne zu reden, sprachlos,* ut nihil sit quod haec loquendi ratio rideatur aut vituperetur, quae certam Graeci sermonis consuetudinem sectatur. Neque magis abundantia orationis culpanda est, quae et nunc suam vim habet et a Graecorum more minime aliena est: *σιγῇ κτήξειαν ἄφωνοι* ait Sophocles in Aiace (171), idem in Oedipo Col. (130) *παραμειβόμεσθ' ἀδέρκτως ἀφώνως ἀλόγως τὸ τᾶς εὐφήμου στόμα φροντίδος ἱέντες*, quae non uno nomine digna sunt in hac disceptanda controversia quae attendantur. Neque astrictius

Apuleius scribit in Metamorphoseon sexto cum dicit (c. 18) *tu nulla voce deprompta tacita praeterito* h. e. *σιωπῶσα ἀρρήτως**). Hunc autem quem diximus esse sensum verbi *ἀρρήτως* eo certius etiam sine exemplo statuimus, quia ab eadem origine ductum nomen *ἀρρησία* eandem illam quam adverbium significationem prae se fert; sic enim Pollux (II 128) ibi ubi *ἔργα γλώττης* recenset scribit *καὶ ἀρρησία παρὰ Ἀντιφῶντι, ἡ σιωπή*, neque cognatum nomen *ἀρρημοσύνη* negligendum, aut Homerica *δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε* vel quae Dionysius Halic. (XII 2 p. 176, 4 K.) *ἀφασίας ἅπαντας κατασχούσης*. Itaque negamus, et hoc quidem fidenter, ullum esse *ἀρράτως* apud Aristotelem; sed restant duo loci Platonici quos vidimus *ἄρρατον* habere, quorum fide licebat tertium *ἀρράτως* inferre in Phaedonem — si quidem hoc illi sententiae plane satisfacere fatendum est. De significatione vocis Usenerus nihil dixit, is qui illum probavit, Wohlrabus, *ἀρράτως* 'infatigabili modo' (*unermüdlich*) interpretatur, quod idem Schleiermacherum in *Πολιτείᾳ* l. c. facere videmus. Sed hoc quam recte fiat, nos valde dubitamus. Etenim ut nihil tribuatur originationi nominis a Methodio allatae, quamquam eam ne improbabilem quidem esse dixeris, verba Platonis ipsa, in Cratylo praecipue, verum etiam in *Πολιτείᾳ*, si quis accurate omnia rimabitur et duplicem laborem, 9
animi et corporis, discerni attenderit, hoc indicare videntur, ad corporis robur et duritiem quae labore et contentione et certamine non conteritur nec frangitur aut de statu deiicitur nomen illud referri, eamque significationem ea quibus vim vocis explicantes grammatici usi sunt vocabula, *στερεόν, ἰσχυρόν**), *σκληρόν, δυσκίνητον*, etiam *ἀσφαλές* et *ἀκάματον*, patefaciunt. Quo magis absonum sit, si quis *σιωπῆσαι ἀρράτως* dicatur; sed non probabilius, si quid sentimus, *ψυχὴ* dici videatur *τεθνάναι μελετῶσα ἀρράτως*. Namque anima quae in corpore vivente studet ac meditatur *τεθνάναι*, etsi *καρτερίαν* quandam necesse est adhibeat, qua delicias et cupiditates corporis procul a se spernat, tamen Platoni si credimus optimo testi quae sit sententia *τοῦ ἀρράτου*, haec *μελέτη* ad philosophiam tendentis animae *ἄρρατος* appellari non poterat. Quamobrem ab emendandi periculo, ingenioso illo quidem sed quod non

---

*2) Abundanter sed mire loquitur etiam auctor belli Hispaniensis cum scribit 3, 7 *unus ex nostris respondet, ut sileat verbum facere.*

*26) Diversa esse de anima quae dicuntur (Phaedon. p. 81, 19) *ὅτι ἰσχυρόν τί ἐστιν ἡ ψυχὴ καὶ θεοειδές*, non est quod moneatur.

possumus non improbabile iudicare, nos convertimus ad verba librorum fide tradita. Ab his autem verbis concedatur oportet *ῥᾳδίως* vocem, qua omnis dubitandi materia continetur, sine damno sententiae potuisse abesse: *τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ὀρθῶς φιλοσοφοῦσα καὶ τῷ ὄντι τεθνάναι μελετῶσα· ἢ οὐ τοῦτ' ἂν εἴη μελέτη θανάτου;* Sed quia in hac oratione nihil desiderari dixeris, eo minus credibile est, *ῥᾳδίως* a nescio quo praeter mentem Platonis esse adiectum. Itaque aut hoc verum est aut corrigendo ex eo efficiendum, quod pro vero haberi queat. Qui testatam scripturam sequitur, Schleiermacherus, *τεθνάναι μελετῶσα ῥᾳδίως*, eam quod ita reddidit, *darauf denkt leicht zu sterben*, non temere reprobavit Usenerus propterea quod *τεθνάναι* scriptum est in Graecis, non *ἀποθνήσκειν*. Nemo nescit, quid differentiae inter duas verbi formas intercedat, eamque olim Immanuel Bekkerus (in schedis Homericis alteris p. 9 s.) admirabili illa sermonis peritia ita persecutus est ut et quid peculiare illis perfecti formis exprimeretur Graece edoceret et quam hoc nec Latinus sermo neque Germanicus, qui non possunt nisi compositis verbi formis uti, assequi possent; idque tam Homericis exemplis probavit, *εἰ δέ μοι αἶσα τεθνάμεναι παρὰ νηυσὶν Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων*, quam Platonicis, quae de Legum libris petivit, quibus quid hoc genus dicendi in legali et iudiciali usu valuisset ostenderet, *νηποινὶ τεθνάτω; τιμᾶν εἰ τεθνάναι χρή*. Nos a nostra causa hoc non alienum putamus, ex Phaedonis dialogo, qui multam habet mortis et moriendi commemorationem, quae huc facere videntur, collecta uno conspectu proponere.

p. 12, 15 Bekk. *οἷς βέλτιον τεθνάναι ἢ ζῆν. οἷς δὲ βέλτιον τεθνάναι* (cf. sched. Hom. l. c.)

p. 13, 9 *μὴ σημήναντός σου ὅτι βούλει αὐτὸ τεθνάναι*

p. 13, 16 *τὸ τοὺς φιλοσόφους ῥᾳδίως ἂν ἐθέλειν ἀποθνήσκειν*

p. 14, 9 *τοὺς φρονίμους ἀγανακτεῖν ἀποθνήσκοντας*

p. 16, 18 *ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἁπτόμενοι φιλοσοφίας, λεληθέναι τοὺς ἄλλους ὅτι οὐδὲν ἄλλο αὐτοὶ ἐπιτηδεύουσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι*

p. 17, 17 *καὶ εἶναι τοῦτο τὸ τεθνάναι, χωρὶς μὲν ἀπὸ τῆς ψυχῆς ἀπαλλαγὲν αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ τὸ σῶμα γεγονέναι, χωρὶς δὲ τὴν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγεῖσαν αὐτὴν καθ' αὐτὴν εἶναι*

p. 18, 20 *οὐκ ἄξιον εἶναι ζῆν, ἀλλ' ἐγγύς τι τείνειν τοῦ τεθνάναι ὁ μηδὲν φροντίζων τῶν ἡδονῶν*

p. 24, 12 *ὅτι ἐγγυτάτω ὄντα τοῦ τεθνάναι οὕτω ζῆν, κἄπειτα ἥκοντος αὐτῷ τούτου ἀγανακτεῖν*

p. 24, 14 *οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι, καὶ τὸ τεθνάναι ἥκιστ' αὐτοῖς ἀνθρώπων φοβερόν* (cf. ibid. v. 7)

p. 25, 8 *ἀγανακτήσει τε ἀποθνήσκων καὶ οὐκ ἄσμενος εἶσιν αὐτόσε*

p. 32, 11 *περὶ ζωῆς καὶ θανάτου. οὐκ ἐναντίον μὲν φῂς τῷ ζῆν τὸ τεθνάναι εἶναι*: cf. 31, 20. 21.

p. 34, 11 *ἆρ' οὐ πολλὴ ἀνάγκη τελευτῶντα πάντα τεθνάναι καὶ μηδὲν ζῆν . . . τίς μηχανὴ μὴ οὐχὶ πάντα καταναλωθῆναι εἰς τὸ τεθνάναι*

p. 44, 11 *ὅπως μὴ ἅμα ἀποθνήσκοντος τοῦ ἀνθρώπου διασκεδάννυται ἡ ψυχή*

p. 45, 6 *μηδαμόθεν ἄλλοθεν ἢ ἐκ θανάτου καὶ τοῦ τεθνάναι γίγνεσθαι.*

Quibus adiungimus postremum nostrum locum

p. 52, 5 *οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ὀρθῶς φιλοσοφοῦσα καὶ τῷ ὄντι τεθνάναι μελετῶσα ῥᾳδίως· ἢ οὐ τοῦτ' ἂν εἴη μελέτη θανάτου;*

In eo igitur ab Usenero vetamur propter verbi formam *ῥᾳδίως* coniungere cum *τεθνάναι*; in quo ille fortasse severius iudicavit quam iustum est. Nam ut nihil detrahatur de differentia formarum quam diximus, tamen quia quod Graecorum est *τεθνάναι* nos una voce imitari non possumus, cavendum est, ne iuncturam fastidiamus in qua illis nihil esse incommodi potuit. Quid, qui recte dicetur *ἀποθνήσκειν ῥᾳδίως*, hoc est aequo animo mortem obire, is nonne propterea quod profectionem hanc non invitus ingressus est, posteaquam finem attigit, cuius finis *τὸ ἀποθνήσκειν* initium erat, non minus recte *τεθνάναι ῥᾳδίως* dicetur? Poterant quidem duo verba in unum coniungi, *ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι μελετῶσα ῥᾳδίως* (cf. supra p. 16, 18), ut adverbium simul ambobus verbis et eadem notione applicaretur. Sed *ῥᾳδίως* si cum *τεθνάναι* verbo iungendum est, licet fortasse etiam subtilius interpretari, non ut de discessus facilitate intelligatur, sed de statu animae, qui sit futurus posteaquam *ἐκεῖσε* pervenerit. Quam condicionem animae si qua vere philosophata et a corpore etiam dum viveret quantum

licebat seiuncta fuerit cum ita describat Socrates (52, 9) *οἷ ἀφικομένῃ ὑπάρχει αὐτῇ εὐδαίμονι εἶναι, πλάνης καὶ ἀνοίας καὶ φόβων καὶ ἀγρίων ἐρώτων καὶ τῶν ἄλλων κακῶν τῶν ἀνθρωπείων ἀπηλλαγμένῃ*, et huic animae opponat alterum genus earum quae invitae se separari a corporibus passae sunt et hanc separationem clementer tolerare non possunt (p. 53, 2) *οὕτω δὴ ἔχουσαν οἴει ψυχὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν εἰλικρινῆ ἀπαλλάξεσθαι; — Ἀλλὰ διειλημμένην γε οἶμαι ὑπὸ τοῦ σωματοειδοῦς, ὃ αὐτῇ ἡ ὁμιλία τε καὶ ξυνουσία τοῦ σώματος διὰ τὸ ἀεὶ ξυνεῖναι καὶ διὰ τὴν πολλὴν μελέτην ἐνεποίησε ξύμφυτον. — Ἐμβριθὲς δέ γε τοῦτο οἴεσθαι χρὴ εἶναι καὶ βαρὺ καὶ γεῶδες καὶ ὁρατόν· ὃ δὴ καὶ ἔχουσα ἡ τοιαύτη ψυχὴ βαρύνεταί τε καὶ ἕλκεται πάλιν εἰς τὸν ὁρατὸν τόπον φόβῳ τοῦ ἀειδοῦς τε καὶ Ἅιδου* (cf. p. 107, 15 — 108, 13 Bekk.) — haec cum sit Socratis sententia, intelligiturne, philosophi animam non hoc solum agere et meditari, ut mortua sit, hoc est a corpore secreta, sed ut, mortua cum sit, lubens ipsa per sese vivere possit nullo rerum corporearum desiderio sollicitata aut aggravata, hoc est eam *μελετᾶν τεθνάναι ῥαδίως*? Et quoniam hoc quod anima *τεθνάναι* dicitur, vivere est sed vivere corporis operimento exuto, eam animam, quam Socrates praedicit *τὸν λοιπὸν χρόνον μετὰ θεῶν διάγειν* (52, 14), nimirum *ῥαδίως* vivere vult, quemadmodum *ῥεῖα* (h. e. *ἀπόνως ἀμόχθως*) *ζώοντες θεοί*, quos poeta dicit, qui dii quidquid agant *ῥηιδίως* agentes facit (cf. Bekkeri sched. Hom. I 176), ne dicamus eundem *Ἠλύσιον πεδίον* ita depingere ut ibi *ῥηίστην βιοτὴν πέλειν ἀνθρώποισι* dicat (Od. IV 565).

Nihil videmur nobis attulisse, quod non plane conveniat cum Socratis sententia, quae etiam pluribus, si necesse esset, declarari posset. Neque tamen ne hac quidem ratione, qua modo *ῥαδίως* interpretabamur, acquiescendum esse opinamur. Quemadmodum enim ante diximus *ῥαδίως* non desiderari si abesset, sic *τεθνάναι* nec hoc sibi adiectum requirit et quodvis additamentum respuit; id quod cum ea probant, quae proxime insequuntur *οὐ τοῦτ' ἂν εἴη μελέτη θανάτου*, tum magis universa sententia; nam quod anima dicitur *μηδὲν τοῦ σώματος ξυνεφέλκουσα, ἅτε οὐδὲν κοινωνοῦσα αὐτῷ ἐν τῷ βίῳ ἑκοῦσα εἶναι, ἀλλὰ φεύγουσα αὐτὸ καὶ συνηθροισμένη αὐτὴ εἰς αὑτήν*, nimirum *μελετᾶν τεθνάναι* dicitur (cf. supra 16, 18; 24, 12), quippe quae hoc meditetur, mortua esse, dum vivit. Ut quidquid addatur ad *τεθνάναι*, eam vim vocis imminui potius et elevari quam augeri appareat. In eaque re sola

nos facimus cum Usenero eoque qui illum secutus est, quod ad *τεθνάναι* nihil addi voluerunt. Quid ergo est? Unum restat quod quaeratur, *ῥᾳδίως*, si verum est nec aliunde adscriptum aut depravatum, potueritne ad eam vocem pertinere, cui proxime adiecta est, *μελετῶσα*. Ut enim ne huic quidem erat quod necessario adderetur, ita recte et apposite dici anima poterat illam meditationem mortis *ῥᾳδίως* exercere, hoc est non *ἀγανακτοῦσα* neque cum angore aut indignatione; *θάνατον* enim ipsum et *τεθνάναι* quae non veretur aut refugit sed ardenter concupiscit, quid mirum quod ei ista *μελέτη*, quae est *μελέτη θανάτου*, nihil molestiae aut aegroris affert, quin ad eam lubens ac libera incumbat. Ita philosophi ipsi dicuntur *ῥᾳδίως ἂν ἐθέλειν ἀποθνήσκειν* (13, 16), cui contrarium est *ἀγανακτεῖν ἀποθνήσκοντας* (14, 9); et quod de iisdem ponitur *ἄνδρες σοφοὶ ὡς ἀληθῶς δεσπότας ἀμείνους αὑτῶν φεύγοιεν καὶ ῥᾳδίως ἀπαλλάττοιντο αὐτῶν* (14, 17) aut ibidem (14, 19) de Socrate ipso *ὅτι οὕτω ῥᾳδίως φέρεις καὶ ἡμᾶς ἀπολείπων καὶ ἄρχοντας ἀγαθούς*, multaque similia possunt docere *ῥᾳδίως* agi dici, quod quis libenter ac non invitus ideoque facile sectatur et 12 efficit. An putamus animam minus recte *ῥᾳδίως μελετᾶν* quam *μὴ χαλεπῶς μανθάνειν* (*Πολιτείᾳ* p. 364, 11) dici potuisse? Itaque sic rationem concludimus, quod simplicissimum erat id etiam verissimum esse habendum, *ῥᾳδίως* nec abiiciendum nec mutandum fuisse sed cum *μελετῶσα* coniunctum id afferre sententiae quod si non necessario at utiliter addi poterat et egregie ad mentem Socratis facere videtur. Haec autem quam amplexi sumus et tutati Marsilii Ficini est sententia; qui quod verba Platonis ita reddidit Latine *quod nihil est aliud quam recte philosophari mortemque re vera facile commentari*, et *τεθνάναι* recte, non prave accepit nec *ῥᾳδίως* nisi cum *μελετῶσα* coniungi voluit. Sed eam interpretationem, non nimis scitam fortasse sed quae sententiam plane admodum patefaciat, adeo cum contemptu reiecit Usenerus ut non sine verecundia quadam eam defensitare instituerimus; ac ne nunc quidem, posteaquam *σμικρὸν φροντίσαντες Σωκράτους, τῆς δὲ ἀληθείας πολὺ μᾶλλον* defensionem nostram ad finem perduximus, non veremur, ne ab illo et ab aliis doctis nihil egisse et cum Ficino lapsi esse existimemur. *Ἀλλὰ ταῦτα μὲν δή, ὅπῃ τῷ θεῷ φίλον, ταύτῃ ἐχέτω τε καὶ λεγέσθω.* Nobis sit satis, si his sententiis ipsis Socratis sic uti potuimus explanatis iis si qui haec legent aliquid utilitatis aut iucunditatis attulisse censebimur. Scr. m. Decembri a. MDCCCXCV.

XLIV. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1896/97.

3 De deliciis quibusdam orationis Catullianae agere propositum est, eo consilio ut si fieri possit enumerationis lectionum academicarum ieiunae aequabilitati nonnihil admisceatur iucunditatis et si qui ad haec studia se dare cupiunt ii habeant quo huius poetae nativam venustatem degustare possint. Catullus enim in hoc libello quem Cornelio Nepoti inscripsit in versibus versuumque particulis variisque dicendi flosculis iterandis ac frequentandis mirum quantum sibi placuit, longe in ea re discedens ab Horatii severa elegantia, qui quamquam non omnia in hoc genere cavit, quod quidam praeclari viri opinati nonnulla ab eo abiudicarunt quae certum est eum scripsisse, tamen hanc licentiam sibi nisi perangustis finibus non permisit. Catulli carmina, tanti moduli corpusculum quod vix tertiam partem ambitus Horatiani complectatur, quanto opere versus verbaque bis terve ac saepius posita ferant quis nescit? Atque ut mittamus versuum intercalarium suis intervallis redeuntium ornamenta in Parcarum cantu carminis LXIV et in utroque hymenaeo (LXI et LXII), vel ea quae ad intercalarium normam propius accedunt, in priore hymenaeo *quis huic deo Compararier ausit* 64. 69. 74; *viden* (*ut*) *faces Splendidas* (*aureas*) *quatiunt comas* 77. 98; *prodeas nova nupta* 95. 96. 100. 110. 120; *concubine, nuces da* 135. 140, et in altero *Hespere, qui caelo fertur crudelior* (*lucet iucundior*) *ignis* 20. 26, quamquam ad horum carminum naturam facta sunt, tamen huius poetae studio quid maxime probatum fuerit patefaciunt. Sed sunt alia ab hoc genere carmina diversa, quae eandem iteratorum versuum consuetudinem aliis illam quidem rationibus nixam prae se ferunt. Velut carmine LVII cum hic versus primus sit *Pulchre convenit improbis cinaedis* idemque extremus, hoc poeta fateri videtur quod principio posuit comprobatum videlicet esse iis quae medium carmen exsequitur. Simile consilium aperit exiguum quamvis carmen LII

Quid est, Catulle? quid moraris emori?
sella in curuli struma Nonius sedet,
per consulatum peierat Vatinius: 4
quid est, Catulle? quid moraris emori?

cuius quae est sententia, eam Euripides his versibus sanissimis (qui quidem nobis videntur, nam plerique emendandi cupidi depravant) expressit (293 N. II)

θνήσκοιμ' ἄν· οὐ γὰρ ἄξιον λεύσσειν φάος
κακοὺς ὁρῶντας ἐκδίκως τιμωμένους.

Quodsi praeterea respicimus ad eum modum composita c. XXXVI 1. 20 *Annales Volusi cacata charta*, c. XVI 1. 14 *Pedicabo ego vos et irrumabo*, in quo ipso accedunt et haec v. 4 *quod sunt molliculi, parum pudicum*, et 8 *si sint molliculi ac parum pudici*, non fortuitum sed studiose quaesitum et adamatum poetae artificium agnoscimus. Non longe distat c. LVI 1 *O rem ridiculam, Cato, et iocosam* et 4 *res est ridicula et nimis iocosa.* Sed speciosius etiam hoc genus expolitum apparet in c. XXIX, cum primum his

1 *Quis hoc potest videre, quis potest pati*
2 *nisi impudicus et vorax et aleo — —*
9 *cinaede Romule, haec videbis et feres?*
10 *es impudicus et vorax et aleo*

quasi concludendi formula cogere videatur legentem ut assentiat, deinde alterius partis sententiam

11 *eone nomine, imperator unice,*
fuisti in ultima occidentis insula — —
23 *eone nomine orbis, o piissimi*
socer generque, perdidistis omnia?

hoc circuitu firmiter complectatur et vehementius quos voluit carpat. Non omittimus c. VIII 3 *fulsere quondam candidi tibi soles,* 8 *fulsere vere candidi tibi soles:* quippe repetito versu poeta et colligit superiora et confirmat et sibi transitum parat ad contrariae condicionis miseriam describendam; dein in altera parte cum haec se excipiant v. 11 *obstinata mente perfer, obdura;* 12 *iam Catullus obdurat;* 19 *at tu, Catulle, destinatus obdura,* facile sentitur quae vis adhortationi sui accrescat bis terve repetito illo *Catullus obdurat* et *Catulle obdura.* Difficile est ire per singula; quae enim universe eadem species est, ea pro cuiusvis carminis consilio ac sensu multis modis variatur. Itaque haec ponimus breviter, quorum quid proprium sit in communi ludentis poetae amore ultro

percipitur. c. VII 2 *sint satis superque;* 10 *satis et super Catullo.* XIII 1 *Cenabis bene, mi Fabulle;* 7 *cenabis bene.* LXXXVIII 1. 3. XLII 11. 12. 19. 20. 24. XLIV 1. 5. XLV 8. 17 *hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante.* XLIX 5. 6 *pessimus omnium poeta, tanto pessimus omnium poeta.* XCII 2 *Lesbia me dispeream nisi amat;* 4 *verum dispeream nisi amo.* CIII 2 *esto quamvis saevus et indomitus;* 4 *leno esse atque idem saevus et indomitus.* Atque eandem orationem in eodem carmine bis ponere tam non aversatur Catullus, ut etiam nullo certo consilio, quae commode formata erant, ubi eorum occasio redit, teneat nec mutare cupiat aut curet, velut in c. LXIV 208 dicit de Theseo *dimisit pectore cuncta Quae mandata prius constanti mente tenebat,* eadem v. 238 *haec mandata prius constanti mente tenentem Thesea . . liquere;* et quibus versibus fratrem sibi indigna morte ademptum lamentatus est c. LXVIII v. 20 *o misero frater adempte mihi* cet. paene iisdem eundem gemit in eodem carmine (neque enim desiimus putare esse idem) v. 92 *hei misero frater adempte mihi* et reliquis. Conf. c. CI 6. Et haec de iisdem carminibus et quae in iis recurrunt. Aliud genus est eorum quibus ex altero versum repetitum illud in memoriam revocare legentibus iubet; itaque *passer, deliciae meae puellae* in tertio relegat nos ad secundi v. 1 *Passer, deliciae meae puellae;* et quae vocatur c. VIII 5 *amata nobis quantum amabitur nulla* non alia est quam quae in c. XXXVII 12 dicitur *amata tantum quantum amabitur nulla;* cf. LXXXVII 1; ac *decoctoris amica Formiani* est et in c. XLIII 5 et in c. XLI 4; Furius autem *cui neque servus est neque arca* in c. XXIII, 1 eodem modo sed cumulate deridetur c. XXIV, 5 *isti cui neque servus est neque arca;* 8 *sed bello huic neque servus est neque arca;* 10 *nec servum tamen ille habet neque arcam.*

Sed hinc iam vela pandimus et in altum evehimur ut quotiens quotque modis Catullus in diversissimis carminibus quasi nihil agens, licet suadente hic illic versus forma, in eosdem dicendi mores rationesque relapsus sit exemplis positis ostendamus.

I 1 *Cui dono lepidum novum libellum?*
Corneli tibi: namque tu solebas —
C 5 *cui faveam potius? Caeli, tibi: nam tua nobis —*

VI 15 *quidquid habes boni malique*
XV 10 *infesto pueris bonis malisque*

X 4 *non sane inlepidum neque invenustum*
XXXVI 17 *si non inlepidum neque invenustumst*

XII 2 *non belle uteris in ioco atque vino*
L 6 *reddens mutua per iocum atque vinum*

III 1 *Lugete, o Veneres Cupidinesque*
XIII 12 *donarunt Veneres Cupidinesque.* Cf. XXXVI 3.

XV 5 *conserves puerum mihi pudice,*
non dico a populo —
XVI 10 *quod pruriat incitare possint,*
non dico pueris —

XXIII 15 *quare non tibi sit bene ac beate?*
XIV 10 *non est mi male, sed bene ac beate.* Cf. XXXVII 14.

XIV 6 *isti di mala multa dent clienti*
XXVIII 14 *at vobis mala multa di deaeque Dent*

XII 17 *ut Veranniolum meum et Fabullum*
XLVII 3 *vos Veranniolo meo et Fabullo*

XV 14 *quod si te mala mens furorque vecors*
XL 1 *Quaenam te mala mens, miselle Ravide*

L 7 *tuo lepore Incensus, Licini, facetiisque* 6
XII 8 *est enim leporum Disertus puer ac facetiarum,* ubi nobis prave cum Passeratio *differtus* edi videtur.

XXIII 7 *nec mirum: bene nam valetis*
LVII 3 *nec mirum;*
LXII 14 *nec mirum, penitus quae tota mente laborant;* nec *nimirum* de Schwabii coniectura quid praestet satis apparet.
LXIX 7 *neque mirum: nam mala valdest —*

XLIX 1 *Disertissime Romuli nepotum*
LVIII 5 *magnanimos Remi nepotes*

LXI 139 *miser ah miser* LXIII 61 *miser ah miser*

LXII 8 *sic certest: viden ut —* LXXX 7 *sic certe est: clamant*

LXVIII 46 *et facite haec charta loquatur anus*
LXXVII 10 *et qui sis fama loquetur anus*

LXXVII 9 *verum id non impune feres: nam te —*
XCIX 3 *verum id non impune tuli: namque —*

LXIX 8 *bestia nec quicum bella puella cubet*
LXXVIII 4 *cum puero ut bello bella puella cubet.* Cf. *bellus homo* et *homo bellus* LXXXI 2, XXIV 7, LXXVIII 3.

LXXIX 1 *Lesbius est pulcher: quidni? quem —*
LXXXIX 1 *Gellius est tenuis: quidni? cui —*

XCIX 10 *tamquam commictae spurca saliva lupae*
LXXVII 8 *savia comminxit spurca saliva tua.*

Praeteriimus in hoc recensu nonnulla, quae recte fortasse addi poterant; quae licet plane comparia non sint, tamen pro eiusdem officinae opera probant: talia dicimus *imperator unice* XXIX 11 et *unice imperator* LIV 7; *unanimis sodalibus* XXX 1 et *fratres unanimos* IX 4; *te suis tremulus parens Invocat* LXI 51 et *tremuli tolle parentis onus* LXVIII 142; cf. XVII 13; *qua lubet, ut lubet* XV 11: *qua lubet esse notus* XL 6; *ludite ut lubet* LXI 211; *ludere hanc sinit ut lubet* XVII 17, et saepius;

ventos irrita ferre ac nebulas aerias sinis XXX 8
irrita ventosae linquens promissa procellae LXIV 59
quae cuncta aerii discerpunt irrita venti LXIV 142

curis hominum qui gaudia misces LXIV 95
quae dulcem curis miscet amaritiem LXVIII 18;

quaeque duo ponit similia c. LXI 206 *ille pulveris Africi siderumque micantium subducat numerum*, eadem eodem ordine sed elegantius etiam et plenius expolita habet c. VII 3 sqq.

His igitur quae collegimus satis superque opinamur demonstratum est, quam late patuerit hoc quod esse proprium ingenii 7 Catulliani dicimus. Sed restant quaedam quae seorsum ponimus, quippe non indigna quae curiosius expendantur, primum haec quae in temporum notatione ludibunda manu iacit poeta.

XXI 2 *non harum modo sed quot aut fuerunt*
aut sunt aut aliis erunt in annis
XXIV 2 *non horum modo sed quot aut fuerunt*
aut posthac aliis erunt in annis
XLIX 2 *quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,*
quotque post aliis erunt in annis:

quanto simplicius Cicero ipse (post red. ad pop. 7, 16) *Pompeius vir omnium qui sunt, fuerunt, erunt .. princeps.**) Nec vulgares sunt et illae temporis notandi formae LXI 137 *sordebant tibi vilicae hodie atque heri;* LXVIII 82 *quam veniens una atque altera rursus hiems,* quae quidem hoc commune habent ut certis positis infinitam quandam temporis diuturnitatem indicent; denique LXVIII 152

*31) [Cf. Plauti Persa 778 *qui sunt qui erunt quique fuerunt quique futuri sunt posthac* cum adn. Leonis.]

ne vestrum scabra tangat robigine nomen
*haec atque illa dies atque alia atque alia**).

His reputatis et maxime extremo horum exemplo studiosius considerato videbamur nobis, nisi quid nos fallax species elusit, versui carminis LXIV non recte tradito multisque emendandi conaminibus temptato veram si dis placet medelam afferre posse. Suspicabamur enim Catullum narrationem ab Argo navi repetitam, quae Minervae ope exstructa prima omnium mare navigare ausa sit, in hunc modum persecutum esse.

quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor,
tortaque remigio spumis incanduit unda,
emersere feri candenti e gurgite vultus
aequoreae monstrum Nereides admirantes.
ILLA ALIA ATQVE ALIA *viderunt luce marinas*
mortales oculis nudato corpore nymphas
nutricum tenus exstantes e gurgite cano.
tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
tum Thetis humanos non despexit hymenaeos.

In controversia est v. 16, cuius ab expendenda scriptura prodita proficiscimur: nam quid sententia poposcerit aut necessarium fuerit dici ex ipsa petitis rationibus demonstrari non potest; quid potuerit dici et rei consentaneum fuerit nisi accurate explorata testium memoria definiri nequit. Quorum plerique cum codice Sangermanensi tradunt *illa atque alia viderunt**), quae forma, ne de corruptela dubites, manca est ut oratione et sententia ita versiculi mensura. Contra ea in uno libro Oxoniensi apparuit scriptura *illa alia viderunt*, quae et ipsa orationem mutilam exhibet nec metro nec sensu satisfacientem, sed tamen ita comparata est, ut si eam coniunxeris cum Sangermanensis codicis testimonio pariter versus et orationis integritati consultum videatur, *illa alia atque alia viderunt.* Quodsi paulisper statuimus hanc primitivam fuisse scripturam, non ita difficile intelligitur, quo modo in contrarias partes aberrare librariorum incuria potuerit, qui aut *illa alia viderunt*, omissis propter repetitum *alia* verbis *atque alia*, exararunt, aut *illa atque alia viderunt*, intercepta non minus proclivi errore inter *illa* et *atque* priore voce *alia*. Quam du-

*2) Cf. Apuleius Metam. IX 7 *hoc et illud et aliud et rursus aliud.*

*24) *videre* habent Schwabii libri optimi, sed quia hoc ad nostram causam non pertinet, *viderunt* posuimus, id quod requiritur et pridem correctum est.

plicem peccandi viam, si tanti est, hoc fere modo licet oculis proponere:

illa [alia] atque alia viderunt
illa alia [atque alia] viderunt.

Atque haec quam iniimus emendandi rationem ingenio nihil debet, sed quae duobus potissimis scripturae testibus accepta ferimus in unum conflantes plenam ex manca tam versus formam quam sententiam effecimus, ita quidem ut quae hoc modo nata est orationis integritas compari Catulliani sermonis exemplo nitatur et illa quam diximus consuetudine adiuvetur qua in eosdem similesve loquendi modos etiam atque etiam relabi consueverit. Unum restat, quod disceptari oporteat longe gravissimum: nam de corrigendi lenitate concedent fortasse docti, de sententia pugnabunt et acrius contra tendent*). Qui enim adhuc huic versui opem ferre conati sunt, id egerunt ut *illa lux* tamquam quaedam singularis oratione quam maxime extolleretur, qua luce Argo cursum auspicante cum Nereides ex aequore emergerent accidisse dicitur ut nymphae nudato corpore exstantes mortalium oculis conspicerentur. Ex hoc enim studio partae sunt scripturae, ut potissimas quidem afferamus, *illa, si qua alia, viderunt luce* Lachmanni; *illac haudque alia* Schwabii; *illa ut non alia* Rudolphi Helmii nostri. A quibus nos discedimus ita nobiscum reputantes, si haec fuit Catulli sententia, nihil promptius fuisse quam quod erat simplicissimum ponere, *illa, non alia viderunt luce*, quemadmodum Livius locutus est (XXIX 24, 11) *illo, non alio duce credebant finire se militiam ignominiosam posse*, vel *illa, nulla alia*, id quod Bernhardi Schmidtii opinationi debetur. Sed ut horum neutrum facili opera restitui potest, ita, etiamsi posset, mirum tamen videretur necesse esset, quoniam eius rei causa non apparet, quod non solum affirmatur hoc illo die evenisse sed simul idem de quovis alio denegatur. Poterat quidem certe si quid sentimus narratio ista ita commode procedere, 'simul ac secuit Argo maris fluctus, Nereides admiranti vultu ex aequore emerserunt: illo die contigit ut mortalium oculi marinas nymphas

*14) [Quorum unus erat R. Reitzensteinius (nam P. Schulzius in summa rei mecum fecit): ab illo obiecta redarguere meamque opinationem pluribus confirmare studui in relat.acad. 1905 inde a p. 760. Cum enim Hauptii libello sextum recognito et illam scripturam in textu posuissem, faciendum putavi ut et hanc et quae praeterea novaveram argumentando si possem defenderem ac vindicarem: unde nata sunt quae edidi in relationibus academicis inscripta *Beiträge zur Berichtigung der römischen Elegiker* fasc. I, 1904; fasc. II, 1905.]

nudato corpore exstantes spectarent.' Ut ἤματι κείνῳ, non plus, posuit Apollonius Argonauticorum primo 547

πάντες δ' οὐρανόθεν λεῦσσον θεοὶ ἤματι κείνῳ
νῆα καὶ ἡμιθέων ἀνδρῶν μένος, οἳ τότ' ἄριστοι
πόντον ἐπιπλώεσκον· ἐπ' ἀκροτάτῃσι δὲ νύμφαι
Πηλιάδες κορυφῇσιν ἐθάμβεον εἰσορόωσαι
ἔργον Ἀθηναίης Τριτωνίδος ἠδὲ καὶ αὐτοὺς
ἥρωας χείρεσσιν ἐπικραδάοντας ἐρετμά,

sed is quidem in ea narratione qua Argo eunte deorum nympharumque admirationem depingit, non in ea, quam Catullus iis versibus exsequitur qui nobis sunt in manibus; ne quis illa non magis vulgatae opinioni quam nostris rationibus adversari credat. Non secus est in iis quae ex hymno Isiaco a G. Kaibelio egregia arte tractato (Epigr. Graec. p. 439) ad Catullum R. Ellisius adhibuit

πράτα δ' ἐνὶ σέλματι δούρων
κολπωτὰν ὀθόναισι θοὰν τρόπιν ἰθύνεσκον,
οἶδμα καθιππεύοισα, δαμαζομένας δὲ θαλάσσας
ὠκυπόροις ἐλάταις ἑλικὰν ἔστασε χορείαν
Δωρίδος εὐλοχία· περιπάλλετο δ' ἐν φρεσὶ θάμβος
εἰρεσίαν ἀδάητον ἔτ' ὄθμασι παπταινοίσαις.

Haec enim quibus Doridis natas chori instar obstupefactas navem primam aequora decurrentem circumstetisse traditur, quamquam facile damus bonam partem memoriae carminis Catulliani accepta ferri, tamen non magis quam versus Apollonii id momentum narrationis Catullianae attingunt, in quo nos haeremus ambigui. Immo hoc proprium est Catulli, quod cum referret nympharum admirationem navis divinae, non substitit in ea, sed hoc addidit, quod cum sui carminis argumento intime coniunctum est, tum factum esse, ut nudas nymphas marinas Argonautarum oculi viderent. In ea vero re ille ita versatus est, si quidem scripturam testatam sequimur, vel illam quae est in codice Sangermanensi *illa atque alia viderunt luce*, vel quam nos huius vestigia prementes, adiuvante altero codice, constituimus *illa alia atque alia viderunt luce*, non ut illa una luce qua coepit Argo cursum spectatas esse nymphas, sed praeter eam multa alia hoc idem accidisse scriberet; et qui libero rem iudicio aestimat, quoniam haec sententia non tam superiora claudit quam praeparat insequentia, fatebitur non inscite hoc poetam instituisse, quod Nereides non illo die solo quo primum fremitu volantis navis excitatae ex alto emerserunt sed ab

eo initio profectas alio atque alio die, dum pergit Argo inchoatum cursum exsequi, navigantium heroum in conspectum venisse prodit; quo facilius id quod agit effici potuerit, ut Thetidis amore Peleus incenderetur, Thetis autem mortalis viri connubia non aspernaretur. Itaque cum poeta ducente hoc nobis animo informamus, Nerei filias ex aequore emergentes unum atque alterum diem navis cursum circumsilientes comitari, imaginem sequimur nec invenustam nec Catullo indignam aut poetarum Graecorum more alienam. Qualia vel illa sunt apud Euripidem in choro Electrae

κλειναὶ νᾶες, αἵ ποτ' ἔμβατε Τροίαν
τοῖς ἀμετρήτοις ἐρετμοῖς
πέμπουσαι χοροὺς μετὰ Νηρῄδων,
435 *ἵν' ὁ φίλαυλος ἔπαλλε δελ-*
φὶς πρῴραις κυανεμβόλοις
εἱειλισσόμενος κτλ

vel haec apud Sophoclem in Oedip. Colon. 716

ἁ δ' εὐήρετμος ἔκπαγλ' ἁλία χερσὶ παραπτομένα πλάτα
θρώσκει, τῶν ἑκατομπόδων
Νηρῄδων ἀκόλουθος.

Apollonius autem Argon. IV 858, quae nuntiat Thetis

τῆς γὰρ ἐφετμαῖς
κασσυδίῃ κοῦραι Νηρηίδες ἀντιόωσιν
νῆα δι' ἐκ πέτρας, αἵτε Πλαγκταὶ καλέονται,
ῥυσόμεναι,

ea cum postea (inde a v. 930) effici narrat, ita scribit

ἔνθά σφιν κοῦραι Νηρηίδες ἄλλοθεν ἄλλαι
ἤντεον,

Nereidesque sicut delphinas navi se circumfundentes facit,

937 *ὡς αἳ ὑπεκπροθέουσαι ἐπήτριμοι εἱλίσσοντο*
*Ἀργῴῃ περὶ νηί, Θέτις δ' ἴθυνε κέλευθον.**)

Similiter Phoebum cum lyra navem a Colchorum terra in Graeciam redeuntem comitaturum dicit chorus in Iphigenia Taurica v. 1128

ὁ Φοῖβός θ' ὁ μάντις ἔχων
κέλαδον ἑπτατόνου λύρας
ἀείδων ἄξει λιπαρὰν
εὖ σ' Ἀθηναίων ἐπὶ γᾶν,

---

*30) [Addi poterant Propertii versus (I 17, 25) *at vos aequoreae formosa Doride natae, candida felici solvite vela choro*, quos Rothsteinius in editione (1898) in similem nostrae sententiam et iisdem paene exemplis explanavit.]

Glaucum autem *τὸν θαλάττιον προσαγορευόμενον* Diodorus (IV 48,6) narrat *φανῆναι πλησίον τῆς νεώς, ἐπὶ δύο δὲ νύκτας καὶ δύο ἡμέρας συνεχῶς τῇ νηὶ συμπλεύσαντα προειπεῖν μὲν Ἡρακλεῖ κτλ.* Sed Catullus si scripsit quod eum scripsisse verisimile nobis visum est, cum dicit *illa, alia atque alia viderunt luce*, poterat ille quidem intelligi velle illum et alterum et tertium diem, velut Seneca cum scribit de otio ad Serenum c. 7, 1 *tria genera sunt vitae ... unum voluptati vacat, alterum contemplationi, tertium actioni: primum videamus, ut haec omnia ad idem sub alio atque alio titulo perveniant*, non plus quam tria dicere potuit, et Pindarus quae dicit Olymp. VII 81 *τῶν ἄνθεσι Διαγόρας ἐστεφανώσατο δίς, κλεινᾷ τ' ἐν Ἰσθμῷ τετράκις εὐτυχέων, Νεμέᾳ τ' ἄλλαν ἐπ' ἄλλᾳ, καὶ κρανααῖς ἐν Ἀθάναις* scholiasta interpretatur *ἐν τῇ Νεμέᾳ ἄλλην ἐπ' ἄλλῃ νίκην ἔσχεν, οἷον δὶς ἐνίκησεν, οὐκ ἐκ διαλείμματος μέντοι.* Sed saepe *alia atque alia* non duo tantum significat sed indefinitam quandam multitudinem continuo ordine*), quo modo Catullus ipse locutus est in eo versu, a quo exorsi in hanc disputationem delati sumus, *haec atque illa dies atque alia atque alia*, et Lucretius V 1090 *mortales magis aequumst tum potuisse dissimiles alia atque alia res voce notare.* A nostro versu neutrum abhorret et est hoc in ambiguo relinquendum, sed sive primum alterum tertium diem sive praeter illum unum intelligere multum alium diem (i. e. *manchen andern*) volumus, sententiae poetae utroque modo abunde satisfactum videtur. Sed 'temptavimus: lusisse putemur si nihil sit', inquit Cicero.

Nobis redeundum est in viam, ut pergamus colligere, si quid delicatius in Catulli carminibus occurrat. Cuius generis videatur hoc quod scribit c. III 2

Lugete, o Veneres Cupidinesque
et quantum est hominum venustiorum

et quod huic paene gemellum est c. IX 10

o quantum est hominum beatiorum,
quid me laetius est beatiusve?

Praetermittimus comparativi formas *venustiorum, beatiorum*, quamquam proprii quid habent, quibus consimilia alibi leguntur, c. V 2 *rumoresque senum severiorum*, XII 3 *tollis lintea neglegentiorum;* sed quod scribit *quantum est hominum*, h. e. *Veneres Cupidinesque et omnes quotquot sunt homines venustiores*, et altero exemplo *omnium*

*16) Cf. Woelfflini de geminatione sermonis Latini libellus in Actis academiae Bavaricae a. 1882 editus p. 467.

quotquot sunt hominum beatiorum (*me nihil beatius*), hoc dicendi genus, et maxime cum extollendae comparationi inservit, priscis poetis sollemne fuit, ut Plautus scribit in Captivis IV 2, 55

o mihi, quantum est hominum optumorum, optume, in tempore
advenis;

in Poenulo prol. 90

homini, si lenost homo, quantum hominum terra sustinet, sacerrumo;

Terentius in Phormione V 6, 13

o omnium, quantum est qui vivunt, hominum homo ornatissume;

cuius usus exempla, quae multa erant in promptu, iam Fridericus Leo libro praeclaro Quaestionibus Plautinis dicato in alia ille quidem observatione occupavit p. 283. Licet autem eam dicendi rationem etiam altius repetere ab Homericis carminibus, in quibus quae leguntur Iliados IX 55

οὔ τίς τοι τὸν μῦθον ὀνόσσεται, ὅσσοι Ἀχαιοί,

aut ibidem 641

μέμαμεν δέ τοι ἔξοχον ἄλλων
κήδιστοί τ' ἔμεναι καὶ φίλτατοι, ὅσσοι Ἀχαιοί,

ea Imm. Bekkerus et recte interpretatus est *πάντων τῶν Ἀχαιῶν* (sched. Hom. I 181; II 235) et ad eorum normam Odysseae IV 613 (XV 113) suo iure pro *δώρων* correxit

δῶρον δ', ὅσσ' ἐν ἐμῷ οἴκῳ κειμήλια κεῖται,
δώσω ὃ κάλλιστον καὶ τιμηέστατόν ἐστιν,

et ibid. XI 387 (XXIV 21) ὅσσοι pro ὅσσαι

ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Ἀγαμέμνονος Ἀτρεΐδαο
ἀχνυμένη· περὶ δ' ἄλλαι ἀγηγέραθ', ὅσσοι ἅμ' αὐτῷ
οἴκῳ ἐν Αἰγίσθοιο θάνον καὶ πότμον ἐπέσπον,

h. e. *ψυχαὶ πάντων ὅσσοι* —.

Ad eum modum scripsit Horatius quoque Sat. I 6 in.

Lydorum quidquid Etruscos
incoluit fines, nemo generosior est te,

hoc est (nam interpretes non satisfaciunt, ne Kiesslingius quidem)
12 'omnium Lydorum qui Etruscos fines incoluerunt nemo generosior est te.' Eodem referimus C. IV 14, 5

o, qua sol habitabiles
inlustrat oras, maxime principum

h. e. maxime omnis terrarum orbis. Ad illorum similitudinem accedunt denique Catulliana haec: ut enim XXXVII 4 ait

solis licere quidquid est puellarum Confutuere,

ita c. XXXI 14

ridete, quidquid est domi cachinnorum,

h. e. ridete quotquot estis cachinni, quemadmodum c. XLII 1 scribit

Adeste, hendecasyllabi, quot estis
omnes undique, quotquot estis omnes

et c. XIII 5 amicum venire iubet cum

vino et sale et omnibus cachinnis.

Postremo c. LVI 3

ride, quidquid amas, Cato, Catullum.

Pergimus ad alia. Exaggerare Catullum solere et in exaggerando in similes dicendi formas incurrere vidimus. Patet autem hoc genus longius multosque habet et varios modos. *Carum* aliquid esse ut cum vi dicatur *carius auro* dicit (c. CVII 3), sed saepius *se suisque* vel *sua vita carius* esse: c. LVIII 3

illa Lesbia quam Catullus unam
plus quam se atque suos amavit omnes

c. LXVIII 159

et longe ante omnes mihi quae me carior ipso est

ibidem 106

ereptum est vita dulcius atque anima Coniugium

c. LXIV 215

gnate mihi longa iucundior unice vita.

Ita Cicero quoque loquitur, pro Sulla c. 31, 88 *huic puero qu- est ei vita sua multo carior;* post red. ad pop. 1, 3 *liberi . mihi . . vita sunt mea cariores.* Sed maxime caritatis modus a oculos referri solet, cum apud alios, velut Callimachus scrib- III 211

σὲ φασὶ Καλὴν Ἀντίκλειαν ἴσον φαέεσσι φιλῆσαι

et Terentius in Adelphis (V 7, 5)

tuus pater Qui te amat plus quam hosce oculos,

idem ibidem (IV 5, 67)

ni magis te quam oculos nunc ego amo meos,

tum apud Catullum, qui saepius ita locutus est, c. III 5

quem plus illa oculis suis amabat,

c. XIV 1

Ni te plus oculis meis amarem,

c. CIV 2

ambobus mihi quae carior est oculis.

Sed is auxit comparationem etiam alio modo. Ut enim Strabo I dicit I 2 p. 36 C εἰσί τινες ὑπερβολαὶ ἐπὶ ὑπερβολαῖς, ὡς τὸ κου-

φότερον εἶναι φελλοῦ σκιᾶς, δειλότερον δὲ λαγὼ Φρυγός, ἐλάττω δὲ ἔχειν γῆν τὸν ἀγρὸν ἐπιστολῆς Λακωνικῆς, ita Catullus, quo magis accenderetur vis comparationis, c. XCIX 2. 14 dixit

saviolum dulci dulcius ambrosia
*saviolum tristi tristius helleboro**);

nec dissimiliter c. XXVII 4

magistrae Ebriosa acina ebriosioris;

c. XXII 14

idem infaceto est infacetior rure,

c. XXXIX 16

nam risu inepto res ineptior nullast.

Verum inprimis in deliciis fuit Catullo institutae comparationi aut praeter comparationem super addere si quid uno quod posuit etiam superius quod esset afferri comparationisque in usum converti potuit. Itaque et in ipsis oculis lusit, ut ne eos quidem sibi solos in mensura caritatis satisfacere fateretur, c. LXXXII 3

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum
aut aliud si quid carius est oculis,
eripere ei noli, multo quod carius illi
est oculis seu quid carius est oculis;

et eodem genere simplicius omnino expressit alia: c. XXIII 12

atqui corpora sicciora cornu
aut si quid magis aridum est habetis
sole et frigore et esuritione.

c. XIII 9

sed contra accipies meros amores
seu quid suavius elegantiusve est.

c. XXII 12

hoc quid putemus esse? qui modo scurra
aut si quid hac re tritius videbatur,
idem infaceto est infacetior rure.

c. XLII 13

non assis facis? o lutum, lupanar,
aut si perditius potest quid esse.

Quorum in tertio (XXII 13) quod est in libris *tristius*, cum Itali pridem *tritius* correxissent, nuper alia divinando indagarunt critici,

*5) Quibuscum Sapphica, ἄνδρος μεγάλω πόλυ μείζων, alia composuit B. Schmidtius in prolegomenis, quibus et res et sermonem Catulli cum cura persequitur p. LXXVI; quem vide etiam p. LXXXV.

quorum reperta Schwabii diligentia recensuit. Sed ne haereamus in eorum delectu, nobis nihil aptius videtur quam quod Itali, ut 14
saepe, simplici veritatis sensu, ex levissimo errore recuperarunt. An cum *tritae* aures dicantur, quae usu et exercitatione subtiliorem quandam aciem consecutae sunt, minus commode *tritum* appellari putamus hominem usu victuque inprimis versatilem et ad quodvis munus vitae habilem; an *politum* recte, non recte eundem *tritum* dici, quamquam notum est, utrumque nomen ex eodem genere ductum in figuratae orationis usum traductum esse. Sed fuerunt etiam, qui cum *tritum* repudiarent ne *hac re* quidem ferendum esse censerent; quorum olim Scaliger *hoc retritius* proposuit, nuper Ludovicus Traubius in Libamentis criticis a. 1883 Monachii editis p. 5 sq. *hoc venustius*, quod A. Riesius recipiendum duxit. Scurram *rem* tritam vel tritissimam vocatam esse etsi exemplo firmare non possumus, tamen, ne praepropere abiiciamus quod verum esse possit, duo commemoramus, unum notissimum, Graecos *χρῆμα* in personis posuisse, quod genus Theocritus scribit XV 145 *τὸ χρῆμα σοφώτερον* (*σοφώτατον*) *ἁ θήλεια*, Strabo XIII 617 C *συνήκμασε δὲ τούτοις καὶ ἡ Σαπφώ, θαυμαστόν τι χρῆμα*, Polybius XII 15, 8 *μέγα τι γεγονέναι χρῆμα καὶ θαυμάσιον τὸν Ἀγαθοκλέα*, Plato Ione 534 b *κοῦφον χρῆμα ποιητής*, multaque multi similiter; alterum, quod ex Immanuelis Bekkeri copiis didicimus (in schedarum Homericarum vol. II expositis p. 85), *riens, chose* et *cosa* in Romanensium litteris non raro personis applicari. Ut Catullus credi possit ex vulgari sermone hoc, ex quo multa, repetivisse, quod dicit *scurram aut si quid hac re tritius*.

Sed illa dicendi forma, de qua disserimus, quae cumulando adauget, ut hoc addamus, usi sunt alii quoque, velut Martialis, perpetuus Catulli imitator, scribit epigr. XIV 1, 7

sunt apinae tricaeque et si quid vilius istis,

XIV 83

Defendet manus haec scapulas mordente molesto
pulice vel si quid pulice sordidius.

Cicero quoque, cum Antonium ita appellat cum irrisione (in Anton. XIII 11, 25) *nove Hannibal aut si quis acutior imperator fuit*, et Livius VII 18, 6 *vel reges vel decemviros vel si quod tristius sit imperii nomen patiendum esse potius.* Plinius ep. IV 3, 4 *Callimachum me vel Heroden vel si quid his melius tenere credebam*: cf. I 18, 4. Apuleius Metamorphoseon primo 8 *tu dignus es* ait

extrema sustinere [*vel*] *si quid est tamen novissimo extremius*, ubi *vel* esse addendum putabamus. Gellius XVII 19, 4 posteaquam Epicteti verba attulit ἢν σαπῇ οὖρον ἢ ὄξος γένοιτο ἢ εἴ τι τούτων χεῖρον, in Henrici Schenkelii novo Epicteto a. 1894 edito p. 410, ipse illius sententiam in hunc modum conversam extulit *doctrinas philosophiae, cum in hominem falsum atque degenerem tamquam in vas spurcum atque pollutum influxissent, verti mutari corrumpi et, quod ipse* κυνικώτερον *ait, urinam fieri aut si quid est urina spurcius**).

E Graecis similiter locutus est Euripides, cum ita scribit in Hippolyto 360

Κύπρις οὐκ ἄρ' ἦν θεός,
ἀλλ' εἴ τι μεῖζον ἄλλο γίγνεται θεοῦ,

sed simplicius Aeschylus in Choephor. 53

τὸ δ' εὐτυχεῖν,
τόδ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον.

Pari modo Catullus cum dicit c. LI 1

Ille mi par esse deo videtur,
ille, si fas est, superare divos,

ipse suo periculo amplificavit sententiam, quam simplicem habet ea quam imitatus est Sappho (περὶ ὕψους c. X 2)

φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν Ἔμμεν ὤνηρ.

Sed Euripidis exemplo supra allato licet uti, ut Aristophanis versus, quem vulgo interpretes parum recte accipiunt, ad suam sententiam, nisi fallit opinio, revocetur. In Ranarum principio posteaquam Dionysus v. 68 affirmavit

κοὐδείς γέ μ' ἂν πείσειεν ἀνθρώπων τὸ μὴ οὐκ
ἐλθεῖν ἐπ' ἐκεῖνον (Euripidem dicit),

Hercules admirabundus interrogat πότερον εἰς Ἅιδου κάτω; eique Dionysus respondet

καὶ νὴ Δί' εἴ τί γ' ἔστιν ἔτι κατωτέρω.

Quae enim ibi Kockius cum aliis de Tartaro narrat qui inferior sit inferis, quique homines maleficos maxime nefarios comprehensos teneat, quorum in numero Euripides quoque dignus sit qui commoretur, haec omnia nobis videntur a poetae sensu abhorrere;

---

*9) Theocritus II 34

τὺ δ' Ἄρτεμι καὶ τὸν ἀναιδῆ
κινήσαις κ' ἀδάμαντα καὶ εἴ τί περ ἀσφαλὲς ἄλλο.

qui quid voluerit, ut recte percipiatur, reputandum est licuisse haec ad Euripideum illud exemplum et reliqua quae attulimus in unum coniungere, Dionysus ut ita diceret se velle *εἰς Ἅιδου κάτω καὶ εἴ τί γ' ἔστιν ἔτι κατωτέρω*, non quo significaret certum locum Orco etiam inferiorem (nam ille noluit nisi *εἰς Ἅιδου κάτω*, v. 118) sed ut fiduciam probaret perficiendi quod constituit nec se ullo profundo posse ab exsequendo consilio deterreri*).

In hac re quam agimus ne ea quidem negligenda sunt, quibus ancilla Hecubam appellat, in cognomine fabula 667

ὦ παντάλαινα κἄτι μᾶλλον ἢ λέγω,
δέσποιν', ὄλωλας, οὐκέτ' εἶ βλέπουσα φῶς,

et si quae horum similia feruntur: nam his quoque conspicuum est, quanto opere augendi cupidi sint et quam difficile sibi satisfaciant sive poetae sive quos poetae inducunt loquentes. Atque idem putamus in Callimachi versus cadere, qui sunt in Cereris hymno, ubi inde a v. 91 de Erysichthonis miseria haec narrantur.

ὡς δὲ Μίμαντι χιών, ὡς ἀελίῳ ἔνι πλαγγών,
καὶ τούτων ἔτι μεῖζον ἐτάκετο, μέσφ' ἐπὶ νευράς·
δειλαίῳ ἶνές τε καὶ ὀστέα μῶνον ἔλειφθεν.

In quibus versibus expediendis non uno nomine olim titubasse videntur docti; velut Meinekius *ἀελίῳ ἔνι* etiam ad priorem partem sententiae pertinere voluit. Contra quem Schneiderus ita 16 disputavit, ut 'nives' scriberet 'non tantum solis vi sed etiam vi ventorum imbres et calidiores auras afferentium solvi', allatis Odysseae versibus de XIX

205 *ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,*
ἥν τ' Εὖρος κατέτηξεν ἐπὴν Ζέφυρος καταχεύῃ·
τηκομένης δ' ἄρα τῆς ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες·
ὣς τῆς τήκετο καλὰ παρήια δάκρυ χεούσης.

Sed Schneiderus vix recte intellexisse videtur, quid sibi, illum ut refelleret, defendendum esset. A liquescente nive cum simile ducitur, aut verni temporis fit mentio, ut in versu Livii Andronici de Aiace

praestatur laus virtuti, sed multo ocius
verno gelu tabescit,

aut ventorum, ut in Odysseae versibus quos diximus, nisi quod

*7) [Mera exaggeratio est etiam in his quae scribit Seneca Phoeniss. 143 *sceleri haec meo parum alta nox est: Tartaro condi iuvat et si quid ultra Tartarum est.*]

Zephyrus veris nuntius est, aut utriusque, ut apud Senecam in Hercule Oetaeo 730

nives ut Eurus solvit aut tepidus Notus,
quas vere primo lucidus perdit Mimas,

ubi alterum et tertium insequitur simile, denique concluditur

sic languet omne vellus.

Apud Callimachum quod commemorato Mimanti monti nihil eorum adiectum est, Meinekius ad haec *ὡς δὲ Μίμαντι χιών* ex altera parte ascisci voluit, quod abesse non posset; sed ne dicamus, non recte isto vinculo iungi haec similia duo, quae separata esse et separanda sententia fidem facit (*ut nix in monte, ut cera in sole liquescit*), non desiderari qualia Meinekius exspectabat, non quidem Odysseae exemplo, quod Schneiderus adhibuit, sed vel Theocriti versibus probatur qui sunt in idyllio VII 76

εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον
ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα.

Sed Meinekius in Callimachi versu etiam *μᾶλλον* poni maluit quam *μεῖζον*, quae eadem Cobeti sententia fuit (Mnemosyn. n. s. x 395). Qui neutrum probavit, Schneiderus, cum ederet *καὶ τούτων ἐπὶ μᾶσσον* h. e. diutius (sive lentius), totam rem pervertit; qui etiam in proximis mirum in modum aberrans emendando poetae sensum obscuravit et corrupit. Sed haec ut mittamus, illa qui non occupata mente examinat, non potest non cognoscere, hoc dicere Callimachum 'Erysichthon ut nix in monte, ut cera in sole (liquescit), et magis etiam quam illae, extabuit, usque ad nervos'. Quodsi non haec sententia fuit poetae, vix satis intelligitur, quo consilio eum his potissimum similibus usum esse dicamus, quorum ea natura est, cui Schneideri opinio adhiberi omnino nequeat. Satis erat haud dubie dici *ὡς χιὼν Μίμαντι, ὡς ἐν ἀελίῳ πλαγγὼν ἐτάκετο*, quae res erat minime levis. Sed poeta sentiebat hoc parum esse, nisi super adderetur illud, ut ita diceret, extabuisse eum non solum ut nivem, ut ceram, sed magis etiam quam nivem, quam ceram. Haec est illa augendi et accumulandi cupiditas et consuetudo, quam explanare, si possumus, studemus; qua si quid forte expressum est, quod fidem excedere videatur, cavendum est, ne
17 dum interpretando ad vivum resecamus illiberali diligentia corrumpatur quod egregie elatum erat. An erit qui Ciceronem culpet aut prave intelligat, cum ita dicit (in Verr. II 3 c. 10, 25) '*Ego tantum dem, quantum ille poposcerit? poscet omne quantum exara-*

vero?' "*Quid 'omne'? plus immo etiam, inquit, si volet.*" In Anton. vi 7, 18 *Quamobrem consilio quantum potero, labore plus paene quam potero excubabo vigilaboque pro vobis.* Pro Quinctio 15, 49 *Cuius vero bona venierunt, cuius non modo illae amplissimae fortunae, sed etiam victus vestitusque necessarius sub praeconem cum dedecore subiectus est, is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur.* Post red. ad pop. 4, 10 *cum is inimicus, qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus praebuisset, spiritu dumtaxat viveret, re quidem infra omnes mortuos amandatus esset.* Aut Apuleium, cui haec placuerunt Metamorphoseon tertio c. 2 *quamquam capite in terram, immo ad ipsos inferos iam deiecto maestus incederem.* Quibus etsi hic illic aliquid leniendi causa ea quae nimis incredibilia viderentur interpositum est, nihilo minus exaggeratio est et exaggerandi consilium patescit. De Graecis haec sint una etiam exemplo quae ex Euripidis Dictye excerpsit Stobaeus (fr. 336 Nauckii ii)

εἰς δ' εὐγένειαν ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλά·
ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ' ἀνήρ,
ὁ δ' οὐ δίκαιος κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ,

in quibus sex septem critici valentissimi tamquam obstupefacti quod quis patris melioris Iove filius diceretur hunc Iovem loco deiiciendum rati pro *Ζηνὸς* quid reposuerunt? *ἶνις*, *γόνος*, *γένος*, *κείνου*, vel liberius exspatiati *κἂν ἀμείνονός τινος πατρὸς πεφύκῃ*, *κἂν ὁμαίμονος Διὶ πατρὸς π.* Quorum licet alterum altero paulo probabilius sit et postremi maxime sententia ceteris praestare videatur, tamen quam exilia sunt ista omnia, quam poetae consilio contraria, qui sententiae ratione cogente nobilitatem generis dici cupiebat qua amplior cogitari non posset. Neque insolens est aut singulare in simili causa Iovem asciscere; id quod et Propertius instituit (ii 2, 6), et Catullus bis in hunc modum locutus est, lxx 1

Nulli se dicit mulier mea nubere malle
quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat,

et lxii 1

Dicebas quondam solum te nosse Catullum,
Lesbia, nec prae me velle tenere Iovem;

Iuvenalis autem ut priscam nobilitatem depingeret haec *ὑπερβολικῶς* expressit (viii 131)

tu licet a Pico numeres genus, altaque si te
nomina delectant, omnem Titanida pugnam
inter maiores ipsumque Promethea ponas.

Quid ergo miri, Euripidi ne satis quidem fuisse Iove natum appellare, sed altius etiam ascendentem maluisse melioris Iove patris filium dici. Itaque et *Ζηνὸς* et istam superlationem huic poetae
18 non adimendam censemus: nam si quae praeterea offensioni forte fuerunt, ut nominis forma, positus vocabulorum, a genetivo genetivus pendens, ea omnia improbanda non sunt et suis rationibus confirmari possunt. Sed nos hoc non persequimur; ad Callimachum revertimur, quem qui novissime edidit, Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff, cuius viri iudicium magni facere solemus, cum *ἔτι* particulae cruce praefixa utramque vocem corruptelae suspicione amplecti videtur, aegre ferimus quod quid maxime statuerit haeremus incerti: nam de sententia quidem nobis non videtur dubitandum esse, *μεῖζον* autem concedimus ambigi posse utrum rectius scribatur an *μᾶλλον*, quae praesertim saepius inter se permutata esse dicuntur (cf. Eurip. fr. 293). Nos quod *μεῖζον* non movendum esse existimamus, eo fit, quia *μέγα, μέγα δή τι* a Callimacho saepius poni videmus in eam vim quam habet *μάλα*. Ut omittamus *μέγα χαῖρε* in hoc hymno 2 et 119, cum conferimus IV 189 *αἰνήσεις μέγα δή τι τὸν εἰσέτι γαστέρι μάντιν*; IV 60 *σπερχομένη μέγα δή τι καὶ οὐ φατόν**), V 122 *ἦ μέγα τῶν ἄλλων δή τι περισσότερον* (ut I 68 *μέγ' ὑπείροχον*), et maxime epigr. XLIII 5 *ὤπτηται μέγα δή τι*, adduci videmur de Erysichthone quoque potuisse dici *μέγα δή τι ἐτάκετο, μέσφ' ἐπὶ νευράς*, vel quod nunc scriptum est *ὡς χιών, ὡς πλαγγὼν ἐτάκετο καὶ ἔτι μεῖζον τούτων*, h. e. *his etiam valdius*.

Aliis iam plus quam satis est de minutiis, nobis nondum videmur satis dixisse de comparandi formulis Catullianis, e quibus evecti appulimus ad Callimachum. Nam ille cum dicit *eripere noli quod carius est oculis seu quid carius est oculis*, vel *qui modo scurra aut si quid hac re tritius videbatur*, hoc dicit 'noli eripere quod carius est oculis, aut, si quid carius est oculis, eo carius est', et in altero exemplo, 'qui scurra videbatur, aut, si quid

*23) Nisi humana fragilitas multa negligeret non negligenda, nuper cum quaereremus *ἄρρητον θάρσος, ἄρρητος εὔνοια* quid significaret p. 208 n., et haec memorata essent et v 77 *διψάσας ἄφατόν τι* et ad illa quod Schneiderus adnotavit ex Oppiani quinto 468 *ἔκπαγλόν τι καὶ οὐ φατόν*.

tritius est scurra, id videbatur'; et *o lutum lupanar Aut si perditius potest quid esse*, h. e. o lutum lupanar aut id, si quid iis perditius potest esse. Sic enim, *potest*, vulgo recte scriptum est, nec Lud. Schwabio, meritissimo editori, accedimus, qui cum suis optimis testibus *si perditius potes quid esse* dedit, quod a reliquorum more discedit nec ipsa sententia putamus probatur. Pendet igitur imperfectum enuntiatum condicionale, quod idem cadit in Euripidis versum supra citatum, *Κύπρις οὐκ ἄρ' ἦν θεὸς ἀλλ' εἴ τι μεῖζον ἄλλο γίγνεται θεοῦ*, hoc est *οὐ θεὸς ἦν, ἀλλ' εἴ τι μεῖζον γίγνεται θεοῦ, τοῦτο ἦν.* Nihil novi aut obscuri tradimus sed nota res est similem in modum saepenumero enuntiata condicionalia amplificandi causa adnecti (conf. Cic. de leg. I 7, 21) sed tamen semper attendendum est, ut quam plenissime fieri possit orationis forma quae fuerit perspiciatur. Velut in Odyssea XII 95 de Scylla cum dicitur

αὐτοῦ δ' ἰχθυάᾳ, σκόπελον περιμαιμώωσα,
δελφῖνάς τε κύνας τε, καὶ εἴ ποθι μεῖζον ἕλῃσιν
κῆτος, ἃ μυρία βόσκει ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη,

intelligimus (nam interpretes non explent desiderium) *ἰχθυάᾳ δελ-* 19
φῖνάς τε κύνας τε, καὶ εἴ ποθι μεῖζον ἕλῃσιν (h. e. deprehenderit, falso enim accipitur) *κῆτος*, scil. *τοῦτο ἰχθυάᾳ.* Quorum sententiam Eratosthenes apud Strabonem I 24 C his versibus allatis recte quamvis alio consilio ita refert *περιπίπτειν τοῖς μείζοσι τῶν ζῴων, οἷον δελφίνων καὶ κυνῶν καὶ ἄλλων κητωδῶν.* Similia haec eiusdem Odysseae VII 319

οἳ δ' ἐλόωσι γαλήνην, ὄφρ' ἂν ἵκηαι
πατρίδα σὴν καὶ δῶμα, καὶ εἴ πού τοι φίλον ἐστίν,
εἴ περ καὶ μάλα πολλὸν ἑκαστέρω ἔστ' Εὐβοίης,

et e Romanis Apuleii Apolog. c. 98 *loquitur numquam nisi Punice et si quid adhuc a matre Graecissat: Latine enim loqui neque vult neque potest.*

Sed iam subsistimus, et quae praeterea de Catullo volebamus, non graviora ceteroquin illis quae exposita sunt, in aliam si qua fuerit occasionem seponimus. Scr. m. Maio a. MDCCCXCVI.

XLV. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1897.

3 De Valerii Catulli carminibus, de quibus ante hos sex menses eadem occasione disseruimus, ita pergimus agere ut adnotationes quasdam nostras de nonnullis versibus eius in controversiam vocatis prooemii loco proponamus. Quamvis enim post Lachmannum Hauptiumque incomparabiles antesignanos emendationis Catullianae non desierit doctorum diligentia perpoliendis his carminibus fructuosam operam impendere, tamen multum abest, in omnibus ut consentiens eruditorum iudicium fiduciam quandam veri reperti impertiat. Vel his postremis decem annis quae in Germania, Gallia, Britannia, Italia quoque ad huius poetae carmina collata studia sunt qui non conniventibus oculis peragrabit, non raro cum subtilissima diligentia iunctam sollertiam ingenii et eruditionis copiam admirabitur in his libris libellisque conspicuam; verum cum ad singula ventum est, nimis saepe haec doctorum in magnis parvisque discordia, qua ad suum quisque arbitratum libidinemve poetae verba referre videatur, cognoscendi Catulli cupidum nube dubitationum involutum destituet. Qua re facile oritur ista cum μισανθρωπίᾳ cognata μισολογία, qua qui opinionum certantium varietate elusus desperat posse poetam ad suam pristinam formam ex temporum iniuria revocari aut penitus per omnia perspici lucideque explicari, malit nimirum nihil agens frustra sumptam operam alienam lentus contemplari. Melius erat haud dubie nobis quoque a vano incepto absistere. Sed si tamen conamur locos paucos de quibus ambigitur disceptare, et sunt haec quae nos afferimus exigua admodum, hoc fit quod putamus expositis plenius quam vulgo fieri solet aut potest demonstrandi refellendi rationibus ac modis posse fieri hic illic dis iuvantibus ut quid queat esse verum quid nequeat intelligatur ex eoque iudicium regatur.

4 I. Incipimus autem ab his versibus carminis LXIV

Nam velut in summo quatientem bracchia Tauro
Quercum aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit (*illa procul radicibus exturbata*
Prona cadit lateque cum eius *obvia frangens*),
Sic domito saevum prostravit corpore Theseus
Nequiquam vanis iactantem cornua ventis.

Versum 109 Ludovicus Schwabius depravatum sic ut produnt libri in textu posuit in adnotatione collectis doctorum emendandi conaminibus. In quibus Italorum commentum *lateque et cominus obvia frangens* a Lachmanno spretum nec commemoratione dignum habitum quoniam egregios editores, R. Ellisium, P. Schulzium, probare et identidem recipere videmus, ab hoc expendendo proficisci placet. Nam etsi haec est, ut nobis videtur, oratio prava nec tolerabilis, tamen eam nemo quod sciamus accurate et dedita opera refutavit. Continetur autem haec controversia *comminus* vocabuli significatione recte aestimanda. Quam quibus exemplis Ellisius huic loco vindicare studuit, iis veremur ne probetur contrarium: nam cum Lucretius dicit IV 406 *quos tibi tum supra sol montes esse videtur comminus ipse suo contingens fervidus igni*, aut Ovidius Ex Ponto I 5, 73 *quaeque est procul urbe Quirini, aspicit hirsutos comminus Ursa Getas*, ut mittamus Statium, quis non agnoscit in his propriam ac primitivam vim vocis. Quam qui recte perceperit, fateatur necesse est pinum radicibus exturbatam cadendo nihil frangere nisi *comminus* posse h. e. nisi quod contingat obvium, velut Goethius in Fausti tragoedia scribit *wenn der Sturm im Walde braust und knarrt, die Riesenfichte stürzend Nachbaräste und Nachbarstämme quetschend niederstreift*, aut Varro, ab ipso Ellisio allatus, *alia traps pronis in humum accidens proxumae frangit ramos cadens.* Quod cum ita sit, non, ut sol tam eminus quam comminus collustrare omnia potest, aut miles tam comminus ferro caedere quam longe iaculis hostem petere*), ita pinus quoque dici

*32) Ita Claudianus locutus est VII 137 *pars longe iaculis, pars comminus horrida contis*; idem XXI 65 *quis Stilichone prior ferro penetrare leones Comminus aut longe virgatas figere tigres.* Apud Ennium autem Achilles in Hectoris lytris suam machaeram hastamque sic allocutus videtur *Quae mea comminus machaera atque hasta hostibitis manu* [*Missa;* ita enim haec, opinamur, scribenda sunt, quae Festus p. 370, 21 Thewrewk. *hostire* pro *aequare* positum interpretatus in hunc modum attulit *atque hasta hospius manu*; unde quae Scaliger aliique effecerunt *hostivit* (*hostibit*) *e manu* non

potest cadendo longe et comminus frangere obvia, cum praesertim huic contrariorum rationi ne *late* quidem vocabulum recte adhiberi videatur, cuius quae vis sit, Vergilius docere potest cum dicit (Aen. XII 454) *dabit ille ruinas arboribus stragemque satis, ruet omnia late* h. e. per amplum terrae spatium. Sed homines docti specie se induci patiuntur, et quia *comminus* dicunt esse *in der Nähe*, hoc de vicinitate loci accipiunt, cui opposita sit remota regio, et sibi videntur intelligere *nah und fern, in der Nähe und Ferne.* At eam sententiam *comminus* non habet, quam vero habet, ea ab hoc loco abhorret, tam hercle quam ineptum esset, si quis diceret pinum exturbatam, dum prona caderet, frangere obvia *von weitem und aus der Nähe.* Satisne videbimur dixisse de hac scriptura? Nobis quidem paulo etiam plus quam satis.

Tribus criticis editoribusve inprimis acutis, Birto, Schwabio, Riesio, perplacuit haec orationis conformatio ab ipsis seorsum reperta *illa procul radicibus exturbata Prona cadit lateque ruinis* (*ruineis*) *obvia frangens.* Qui quidem nobis videntur, ut fit in hoc genere critico, magis a litterulis rimandis exorsi esse quam ab exploranda sententia aut orationis utilitate expendenda: nam quod scita sane mutatione effecerunt, si ad sententiam refertur, nihil minus exspectari potuisse credas; pinus enim quae procul radicibus exturbata prona cadit, quam ea tandem commode, ne dicamus quam necessario, *ruinis* frangere obvia dicatur? Non nos praeterit poetis copiam et ubertatem orationis concedi, neque Varronis versum supra citatum negligimus: quae fortasse satis erant ad tutandam scripturam traditam, ingenio repertae satis adminiculi afferre non possunt. Nam sententiae natura parum explorata, certe in ambiguo est quid istae depravatae syllabae abscondant, neque ea satis tuta ratio emendandi est, reponere, quia speciosum sit, quod nullam a sententia utilitatem aut necessitatem prae se ferat: quo fieri possit, ut inani voce locus occupetur qui aptioribus aut magis necessariis debebatur. Accedit quod ista orationis forma labat, *prona cadit lateque ruinis obvia frangens*, in qua aut *que* particula aut participium scrupulum parat legenti. Quod qui perspexit, Riesius, cum *frangit* reposuit, orationi profuit, sed coniecturae probabilitati nimis quam obfuit; etsi enim haud raro criticos similiter agere videmus,

---

plane satis faciunt; propius ad litteras traditas *hostibitis* accedit et ad *manu* in altero versu addi *missa* potuit; ut haec duo componantur quemadmodum *Il.* XX 462 τὸν μὲν δουρὶ βαλών, τὸν δὲ σχεδὸν ἄορι τύψας; ibid. 378.

nos ita sentimus, nullam fidem esse divinationis posse, si emendata vox sibi alteram emendatam addi poscat. Itaque negamus, dubitamus quidem certe, hac via repertum esse quod certum dicas aut stabile; neque vero melius eandem viam insistentes aut Bergkius *lateque tumultibus o. frangens* aut I. P. Postgatius *late casu cuncta obvia frangens* spreta hi quidem etiam specie verisimilitudinis proposuerunt.

Fuerunt qui hanc alteram esse partem orationis rati *lateque . . obvia frangens*, ea ut rite constaret novum esse verbum inserendum censerent; quale est ut mittamus alia quod Madvigius effecit *lateque furit vis obvia frangens* nulla ille quidem cum probabilitate mutandi addens a sententia quod minime desiderabatur.

Quanto praestabat illis omnibus Lachmanni repertum *Prona cadit late qua est impetus obvia frangens,* ab Hauptio, nuper etiam Bernhardo Schmidtio receptum. Quae est oratio decora et quam ne poeta quidem ipse aversaretur. Nisi quod conformatio maxime Datani codicis scripturae est accommodata, qua dubites quam tuto emendatio nitatur, a potiorum codicum testimoniis longius discedit. Itaque quamvis egregie invento nondum acquiescendum est. Sed his conaminibus propositis et excussis hoc iam pro certo effectum 6 videtur, orationis structuram primitus hanc fuisse *Prona cadit late . . . . . obvia frangens,* quae media sunt depravata esse sed ea formam recuperatam flagitare quae cum reliquis quae recte scripta sunt concilietur et intime conspiret. Nam *obvia* habet illud quidem aliquid ambigui, propterea quod testes ita discedunt ut *obvia* Oxoniensis codex, Sangermanensis autem *omnia* adscripto m. alt. *obvia* exhibeant. Sed *omnia* etsi Vergilius supra laudatus tueri videatur, *obvia* magis fovebunt quae Seneca scribit de ira I 11, 2 *nisi quod erat illis* (Cimbros Teutonosque dicit) *ira pro virtute; quae ut aliquando propulit stravitque obvia, ita saepius sibi exitio est,* aut quae Claudianus XXVIII 468 *propriaeque salutis immemor et stricto prosternens obvia ferro,* ubi eadem est in *obvia* et *omnia* librorum discrepantia, aut idem XXII 20 *precibus numquam implacabilis obstes, obvia prosternas prostrataque more leonum despicias,* alia quae postea dicemus. Si enim iam quaeritur quid in istis corruptis vocibus delitescat, ne meram litterarum formam temptantes opinando vagemur et erremus, rursus circumspiciendum ducimus, in simili causa quid alii dixerint, inde si forte colligatur, quae Catulli mens fuisse potuerit. Itaque Livius scribit XXXVII 41, 6

(de falcatis quadrigis) *cuspides . . velut cornua habebant quibus quidquid obvium daretur transfigerent;* Valerius Maximus I 7 Ext. 1 *immensae magnitudinis serpentem concitato impetu omne quidquid obvium fuerat proterentem;* Valerius Flaccus III 581 *volucri ceu pectora tactus asilo emicuit Calabris taurus per confraga saeptis obvia quaeque ruens;* Lucretius VI 338 *impetus ille gravescit, ut vementius et citius quaecumque morantur obvia discutiat plagis* (cf. I 289). Haec putamus si non multum, aliquantum tamen valere, primum ut *obvia*, quod alterius testis praesidio defendi diximus, firmius etiam stabiliatur, deinde ut non absurdus videatur, si quis ad illorum similitudinem Catulli quoque sententiam expressam fuisse coniiciat eamque hanc fere formam induisse statuat, *prona cadit late* quaecumque *obvia frangens.* Ut hoc unum restare dicas, si fieri possit ex traditis syllabis ut in sententiam quod quadret versusque mensura recipiat leni manu refingatur. Id quod tres viri docti prudenti consilio exsequi studuerunt, qui hoc agebant emendando ut Catullo redderent eam quam probabilem esse diximus orationem; quorum Achilles Statius proposuit *Prona cadit late quaecumque* s*i*b*i* *obvia frangens;* Isaac Vossius *Prona cadit late quaecumvis obvia frangens;* Baehrensius, reiecta quam primum probarat Vossii opinatione, *Prona cadit late quaecumque* h*a*b*e*t *obvia frangens.* Quae conamina quamquam probe excogitata rectam sententiam reparant, qua parte manca sit eorum forma apparet: primum et tertium conficiendae emendationis causa addunt quod ab oratione non requirebatur et ne sic quidem verisimile emendandi genus assecuta sunt; medium pronominis formam infert a sermone Latino alienam. Verum tamen hunc nos tramitem tenentes, dum vitare quae illi peccarunt studemus, pronominis formam restituimus et veram et utpote quae quam plurima complectatur huic orationi apprime convenientem, denique ne specie quidem a probabilitate destitutam. Sic enim scripsisse Catullum suspicamur.

Prona cadit late quaevis cumque *obvia frangens**).

7 Eo pronomine Lucretius usus est III 388 *nec repentis itum cuiusvis cumque animantis sentimus* et Martialis eamque formam Hauptius (Opp. III 450) vel Tacito in dialogo vindicari voluit. De origine erroris sic statuimus, peccatum esse quo genere saepius in his

*32) [Haec dum exarabam nesciebam hoc idem ante me a. 1890 proposuisse R. Ellisium: qua de re verba feci in *Beiträge zur Berichtigung der elegischen Dichter der Römer* fasc. II (relat. academ. 1905 inde a p. 771).]

codicibus peccatum est, velut c. XII 13 ex his *verum est mnemosynum* in libro Sangermanensi *verum est nemo sinum*, in Oxoniensi autem factum est *verum nemo est sinum*, et similiter alibi, de quo suo loco dicemus amplius, sic igitur separatis, dein transpositis syllabis pro *late quaevis cumque* exaratum esse *late quae cumque ui/* h. e. *lateq³ cumq³ uı/*, quae est paene ipsa quam libri exhibent scriptura.

II. Nonnulla quae dubia esse visa sunt collato Graecorum more dicendi licet stabilire. In parcarum cantu eiusdem carminis haec leguntur a v. 334

*Nulla domus tales umquam**) contexit *amores,*
Nullus amor tali coniunxit foedere amantes,
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.

In primo horum versu Lachmannus *conexit* proposuit, quod Hauptius recepit et per plures editiones suas propagavit; postea et iam in editione Hauptiana quarta a. 1879 instaurata est scriptura tradita *contexit*, quam deinceps editores plerique omnes tenuerunt, praeter Riesium, qui *conexit* edidit, sed ne is quidem quin suam fateretur dubitationem. Lachmannus *conexit* scribi maluit, blandiente quidem etiam rariore verbi forma, sed ut aequabilitatem quandam inter duas sententias pareret, unde tertia suspensa est, neque hoc non decebat poetam. Verum *contexit* movere non licet quia nihil aptius aut magis proprie dici de domo poterat: hoc enim est quod Graeci *κεύθειν* vel *ἀμφικαλύπτειν* dixerunt, Od. IV 618 (= XV 118) *πόρεν δέ ἑ Φαίδιμος ἥρως, Σιδονίων βασιλεύς, ὅθ' ἑὸς δόμος ἀμφεκάλυψεν κεῖσέ με νοστήσαντα*, de hospitio quo quis susceptus est; cf. VIII 511 *ἐπὴν πόλις ἀμφικαλύψῃ δουράτεον μέγαν ἵππον*; Od. VI 303 *ἀλλ' ὁπότ' ἄν σε δόμοι κεκύθωσι καὶ αὐλή, ὦκα μάλα μεγάροιο διελθέμεν*, h. e. te receperint.

In eodem carmine v. 212 haec narrantur

Namque ferunt olim classi *cum moenia divae*
Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus
Talia complexum iuveni mandata dedisse.

Sic, *classi*, probi libri; ab Italis excogitatum est *castae cum m. divae;* eamque scripturam posteaquam Lachmannus memoravit h. e. commendavit, non solum Hauptius eam suis editionibus propagavit, sed praetulerunt etiam plerique posteriorum, Schwabius,

*11) *umquam tales* libri, ab Italis correctum.

Riesius, Schmidtius, ne Baehrensius quidem *classi* probavit sed coniectando pro more mirum in modum luxuriatur; *classi* quod unum habet testium fidem in Catulli Hauptiani editione quarta et quinta restitutum est, idemque cum Ellisius tum Schulzius servarunt. Quam igitur in hoc dissensu doctorum sententiam dicimus? Nam qui curiosius hanc litem ratiocinando discusserit, ne-
8 minem vidimus, sed videntur magis alterum utrum, ut libebat, amplexi esse. Nos ut pro certo affirmemus non posse nisi quod librorum memoriae acceptum fertur probari, duobus argumentis movemur, uno quia ventis concredi non apte dicetur nisi qui *classi* h. e. navi urbem relinquit, velut Tibullus scribit I 7, 20 *prima ratem ventis credere docta Tyros*, ac de voce vocisque forma ne dubites, Catullus, qui v. 53 *Thesea celeri cum classe cedentem* dicit, c. LXVI 46 *iuventus* inquit *per medium classi barbara navit Athon* (cf. Aen. VIII 11); alterum hoc est argumentum quod in hoc sermone quo Aegeus pater filium Athenis ad periculosum inceptum proficiscentem dimittit, Athenarum urbs vix potuisse plenius aut pulchrius designari videtur quam verbis *moenia divae*, et si tamen *divae* epitheton addendum erat, definitius quoddam potius exspectari quam *castae*, quamquam non ignoramus Propertium (III 20, 7) *castae Palladis artes* dixisse. Graeci poetae cum urbem appellant ita loquuntur, Aeschylus (Pers. 345) *θεοὶ πόλιν σῴζουσι Παλλάδος θεᾶς*; Sophocles (Oedip. Colon. 107) *ὦ μεγίστης Παλλάδος καλούμεναι πασῶν Ἀθῆναι τιμιωτάτη πόλις*; Euripides (Ion. 8) *ἔστιν γὰρ οὐκ ἄσημος Ἑλλήνων πόλις, τῆς χρυσολόγχου Παλλάδος κεκλημένη*; verum ibidem paulo post cum Mercurium Apollo ita allocutus dicitur, v. 29 *ὦ σύγγον', ἐλθὼν λαὸν εἰς αὐτόχθονα κλεινῶν Ἀθηνῶν· οἶσθα γὰρ θεᾶς πόλιν*, apparet in hac Athenarum appellatione satis fuisse deam dici nullo adiecto epitheto*); cumque ex Aristophane percipiatur, Athenienses vulgo de more *τὴν θεὸν* dicere solitos cum *Ἀθηνᾶν* intelligi vellent, velut, ut pauca exempli causa afferamus, Equit. 656 *εὐαγγέλια θύειν ἑκατὸν βοῦς τῇ θεῷ*; 446 *ἐκ τῶν ἀλιτηρίων σέ φημι γεγονέναι τῶν τῆς θεοῦ*; 903 *ἡ γὰρ θεός μ' ἐκέλευσε νικῆσαί σ' ἀλαζονείαις*, iam sic rationem concludimus, quae libri Catullum scripsisse testantur *classi cum moenia divae Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus* et

*29) [Plato Leg. I p. 3, 25 Schz. *Ὦ ξένε Ἀθηναῖε· οὐ γάρ σε Ἀττικὸν ἐθέλοιμ' ἂν προσαγορεύειν· δοκεῖς γάρ μοι τῆς θεοῦ ἐπωνυμίας ἄξιος εἶναι μᾶλλον ἐπονομάζεσθαι.*]

scripsisse poetam nec posse fieri quin pulchra oratio emendando depravetur.

Tertium addimus cui item a Graecorum sermone aliquid subsidii petimus. Sunt verba haec eiusdem carminis

Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes,
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam *religasset navita funem,*
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.

De v. 174 agendum est, in quo *in Cretam* ut supra scripsimus Sangermanensis codex cum plerisque, *in Creta* Oxoniensis cum perpaucis exhibet; quae est minuta scripturae differentia, non digna quae ad librorum auctoritatem referatur; immo nisi aliunde quid verum sit demonstrari potest, ista nos discrepantia parum adiuvabit. Atqui hoc mirifice accidit quod vetustiores editores, quos quidem inspeximus, omnes *in Cretam* ediderunt, recentiores plerique *in Creta;* unus Lachmannus servavit *in Cretam* eumque secutus Hauptius et qui Hauptii Catullum post editoris obitum bis iam recognovit. Illi antiqui editores plerumque, ut assolet, taciti hanc quam sequuntur scripturam praetermittunt, probe eam, ut credere 9
licet, intelligentes, sed si quando attingunt, solvendi vim in verbis *in Cretam religasset funem* agnoscunt, velut Scaliger scribit 'ligare funem est ἐπ' ἀγκυρῶν ὁρμίζεσθαι . . contra religare funem est solvere navem, proficisci', et iam ante Scaligerum eundem in sensum verba Catulli Alexander Guarinus interpretatus ita scribit 'nautae fune naves palo in litore alligare solent, ideo cum aliquo tendunt, funem religant, id est solvunt.' Quos quidem videmus *ligare* et *religare funem* in vim contrariam interpretari, velut *figere* et *refigere* inter se opponi solebant. Recentiores Catulli interpretes, missis illis nec memoratis, *religare funem in Creta* de appulsu accipiunt, id quod Graecorum dicendi genere πρυμνήσια ἀνάψαι, πείσματα δῆσαι declarant, et praeter ceteros Ellisii erudita diligentia multa congessit quibus Graecorum Romanorumque dicendi usum explicaret; cuius copiis, quas compilare nolumus, haec pauca addimus, Ovidii Fast. IV 331 *nox aderat: querno religant in stipite funem . .; lux aderat: querno solvunt a stipite funem;* Pauli ex Festo p. 539 Th. '*tonsilla palus dolatus . . qui navis* ***religandae*** *causa in litore figitur*', unde Festi quae restant suppleri possunt;

eiusdem p. 281 '*prymnesius palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tosillam dicunt.*' Quid ergo est? probamusne hunc explicandi modum, cui usus testimoniis confirmatus tantopere favet, et abiicimus quam adhuc constanti mente tenuimus scripturam *in Cretam*, quae sane, si vera est ista quam hodie vulgo probant *religandi* notio, defendi non poterit. In qua re dum incerti haeremus, interim verba (171) *tempore primo* attendimus eaque quemadmodum interpretes explanarint circumspicimus. De quibus Ellisii commentarius haec habet (ipsa enim verba afferenda sunt) '*tempore primo*' *returns to the moment when Ariadne first saw Theseus;* Riesii autem adnotatio haec '*tempore primo*' *als meine Liebe anfing.* Hi igitur duo interpretes his verbis adventum Thesei in Cretam significari volunt, et accepta ista quam statuunt *religandi* explicatione iam ita exclamantem habemus Ariadnam, primo: utinam ne initio Atheniensium naves ad Cretam appulsae essent, cum Theseo scilicet et si cum Theseo nimirum etiam cum stipendio diro quod Minotauro tribuendum erat; secundo autem loco: utinam ne Theseus (nam is est *perfidus navita* 174) cum stipendio illo navem appulisset ad Cretam in Cretaque funem religasset; denique tertio: utinam ne idem Theseus, postquam navem appulit ad Cretam, in nostris sedibus hospes requiesset. Ita vero Catullus ter idem Ariadnam gravissimis verbis devoventem fecisset. Quod vix credibile est potuisse accidere tam polito poetae. Itaque haec aliter esse interpretanda ducimus, et poeta quidem, ut nobis videtur, nihil praetermisit quominus sententia et consilia sua recte accipi possent, modo indicia eius interpretes curiose secuti essent. Qui cum ita narrat

Ah misera, assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas
Illa tempestate, ferox quo ex tempore Theseus
Egressus curvis e litoribus Piraei
Attigit iniusti regis Gortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneae poenas exsolvere caedis
Electos iuvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Quis angusta malis cum moenia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proiicere optavit potius quam talia Cretam

Funera Cecropiae nec funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit sedesque superbas,

intelligitur Catullum eam fabulae formam expressisse, qua, iam semel et iterum flore isto puerorum puellarumque Cretam misso, tum demum Theseus consilium ipse cepisse ferebatur adeundi Minotaurum eumque si fieri posset interimendi: quo modo fabulam, ut mittamus alios, Plutarchus rettulit vit. Thes. c. 17. Hoc si tenemus, quod liquido indicatur verbis (79) *solitam esse dapem dare M.*, et si Catullum volumus *sibi convenientia* fingere, iam apertum est, quodnam *tempus primum* Ariadne (171) dixerit, et hanc primam eius deprecationem *utinam ne tempore primo* — satis perspicuo discrimine ab adventu Thesei seiunctam esse. De altera et tertia Ariadnae devotione, quae ambae Thesea ipsum attinent, nos ita iudicamus, ut profectionis consilium et adventum in Cretam tamquam res duas inter se distingui arbitremur; quod suadere progredientis deprecationis ratio videtur, et qui ea quae modo ex superiore parte carminis attulimus intentius consideraverit, inprimis v. 74. 75; 84. 85, intelliget nihil facile potuisse menti morique Catulli convenientius esse quam a Theseo iter susceptum isto modo in duas quasi partes dispertiri. Itaque hi tres gradus exsecrationis Ariadneae prodeunt suoque se ordine excipiunt: Utinam ne primo tempore (hoc est quo tempore primum Athenienses coacti Minotauro tributum facere naves in Cretam miserunt) Cecropiae puppes Gnosia litora attigissent*); nam hoc initium si numquam factum esset, ne reliqua quidem consecuta essent; sed cum semel illud evenit, pergit precari, utinam ne iste potissimum perfidus nauta (Thesea dicit) soluta navi Athenis profectus esset Cretam petiturus (hoc enim novum erat, quod illo facto fieri necesse non erat; et hoc si non accidisset, nulla erat Ariadnae calamitas); denique profectione quam devovebat peracta, utinam ne malus ille, precatur, crudelia consilia fovens in nostris sedibus hospes requiesset; nam hinc demum vere nata est ista miseria qua nunc laborat; cuius causas

---

*25) Cum verbis Catulli *utinam ne tempore primo Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes* Macrobius Sat. VI 1, 42 Vergilii versus (Aen. IV 657) composuit

Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae;

et haec quoque comparatio nos adiuvat ut Catulli versus recte intelligamus.

11 superiores et remotiores affert, ut solent homines in lamentando ab ultima origine malam fortunam repetere.

Quodsi haec non improbabiliter disputata sunt, iam summa ope nitendum est, ut verba ne obstrepere videantur et renuere se posse de profectione ac non de appulsu intelligi cum ita dicat poeta *nec dira ferens stipendia tauro Perfidus in Cretam religasset navita funem.* Ac *religare* non solum ligandi (alligandi) sed etiam solvendi sensum habuisse Catullus ipse sibi testis est cum scribit LXIII 84 *ait haec minax Cybebe religatque iuga manu,* eandem scilicet in sententiam quam ibid. 76 dicit *ibi iuncta iuga resolvens Cybele leonibus.* Illud autem notum est *solvendi* verbum vel nullo addito nomine de profectione navali poni, velut in versibus ignoti tragici quos Cicero affert de divin. I 16, 29 cum de Agamemnone dicit *qui cum Achivi coepissent 'inter sese strepere aperteque artem obterere extispicum s o l v e r e imperat secundo rumore adversaque avi.'* Caesar utroque modo et *naves ex superiore portu leni vento solverunt* (bell. Gall. IV 28, 1) et *nactus idoneam ad navigandum tempestatem solvit* (ibid. 23, 1) vel *ipse idoneam tempestatem nactus naves solvit* (ibid. 36, 3). Cicero quoque (pro Muren. 2, 4) *portu solventibus ei qui iam in portum ex alto invehuntur praedicere solent.* Quo usitatius hoc erat, eo minus incommodum habebat *religare funem* eandem in sententiam ponere, cum praesertim quidquid ambigui erat in hoc dicendi modo tolleretur addita finis significatione, *in Cretam,* quod nemo veterum nisi in illum quem dicimus sensum accipere poterat. Hoc autem ipsum *in Cretam* quod cum solvendi notione iungitur in hanc vim 'ad navigandum in Cretam' Graecorum more defenditur, quorum Euripides Hecuba 1019 scribit *καὶ γὰρ Ἀργεῖοι νεῶν λῦσαι ποθοῦσιν οἴκαδ' ἐκ Τροίας πόδα,* h. e. religare funem in patriam cupiunt*); Sophocles autem in Electra 573 *οὐ γὰρ ἦν λύσις ἄλλη στρατῷ πρὸς οἶκον οὐδ' εἰς Ἴλιον,* quae olim prave mutata, nunc plerumque recte accipiuntur, 'non licebat aliter solvere exercitui neque domum neque Troiam'; ac nos quidem *λύσιν* nunc non aliter intelligimus quam quod est in altero exemplo *λῦσαι πόδα,* quamquam Georgium Kaibelium videmus in pulcherrimo commentario nuper edito de solutione debiti cogitare malle similemque sententiam in *κατεῖχε* (571)

*29) [ibid. 538 *πρευμενὴς δ' ἡμῖν γενοῦ λῦσαί τε πρύμνας καὶ χαλινωτήρια νεῶν δὸς ἡμῖν πρευμενοῦς τ' ἀπ' Ἰλίου νόστου τυχόντας πάντας εἰς πάτραν μολεῖν.*]

agnoscere, sed tamen ita ut figurata oratio profectionem designet, eaque necesse est intelligatur, ut habeant fines notati, πρὸς οἶκον, εἰς Ἴλιον, unde regantur. Quare hoc utut est, utrumque exemplum pariter putamus firmare eam quam defendimus sententiam qua censemus et vere scribi *in Cretam religasset navita funem* et his profectionem, non appulsum significari*).

III. In ea quaestione quam modo disceptavimus in multos iniuria quidem sed exercuit ut videtur aliquam vim Oxoniensis codicis scriptura *in Creta*; plus certe sive profuit sive nocuit eiusdem codicis auctoritas in ea quam iam aggredimur controversia; dicturi enim sumus de Ariadnae verbis quae sunt in eodem carmine v. 136

Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,
Immite ut nostri vellet miserescere pectus?
At non haec quondam nobis *promissa dedisti*
Voce, *mihi* non *haec miserae sperare iubebas,*
Sed connubia laeta, sed optatos hymenaeos:
Quae cuncta aerii discerpunt irrita venti,

quamquam fatemur nos in summa rei cum Ellisio facere probareque ea quae Rudolphus Sydowius noster a. 1881 p. 38 sq. exposuit, qui et huius poetae usu et aliorum explorato evidenter demonstrarunt tam *nobis* insequente *mihi* quam *voce* sic nude positum satis defendi nec in ullam iustam offensionem incurrere. Quare versus 139. 40 ut Lachmannus ediderat et post Lachmannum Hauptius nos non desiimus in recognitis Catulli Hauptiani exemplaribus a. 1879 et 1885 retinere. Sed ceteri editores omnes inde a Baehrensio, Schwabius, Riesius, Schmidtius, Schulzius, Postgatius quoque, recepta Oxoniensis codicis scriptura *blanda*, quae est ei libro cum multis interpolatis communis, cum ita scribunt *At non haec quondam* blanda *promissa dedisti Voce mihi*, egregie poetae prospexisse sibi videntur, quod et *nobis* sublatum sit et *voce* iam habeat quo ornetur, et laudant testem cui hoc tantum beneficium acceptum feratur. Quibus nos si persuadere vellemus, ne apte quidem in hac oratione *blandam vocem**) appellari, quoniam haec res ad sensum redit, duras aures offenderemus; verum

*6) [Contra dixit H. Bellingius (*wochenschr. f. class. philol.* 1897 n. 20), qui *in Creta* de adventu interpretatus retineri iubet.]

*35) Aptius Ilia Enniana (v. 49) *multa manus ad caeli caerula templa*

illud argumentando evinci potest, *nobis* et *blanda*, quoniam nihil inter se similitudinis formae habent, non errore sed consilio alterum alterius in locum successisse, quod si, non nimis prudenti homini hoc incidere potuisse, ut quae in plerisque libris scripta sunt *blanda* pro *nobis* reposito necessariam correctionem recipere putaret, sed si *blandam vocem* primitivam fuisse statuimus, *nobis* unde subnatum sit, cuius rei nec consilium nec error ostendi potest, plane non intelligi; quod qua ratione patefacere Schmidtius studuit, credibile non fit, quia etiam intercepto post *quondā blanda* explendi versus causa *nobis* addere minime erat in promptu. Sed esto: posteaquam hanc partem orationis auctore Oxoniensi libro sic constituerunt *at non haec quondam blanda promissa dedisti Voce mihi,* iam se torquent in concinnanda altera: plerique edunt *non haec misera sperare iubebas,* quod Baehrensius invenit, sed quo nihil, nostrum si sensum consulimus, infelicius inveniri potuit, et qui concinnitati in hac causa aliquid tribuunt, concinnitati cedentes eo fortius exagitare miserum illud *misera* debebant; nam haec duo par sententiarum efficiunt, *non haec promissa dedisti, nec haec sperare iubebas;* cuius vis pronominis, quam agnoscas ex Vergilianis (Aen. XI 152) *non haec, o Palla, dederas promissa parenti* (cf. XI 45), addito *misera* mirum in modum infringitur. Paulo melius erat, quod alii praetulerunt, *non haec miseram sperare iubebas,* quamquam in hac oratione aegre desideramus pronomen. Fuit etiam qui *misere* posse servari sibi persuaderet; qua vero senten-
18 tia, non apparet. Ita varie coniectando nihil probabile assecuti sunt; quia enim *mihi* priori sententiae addiderunt, id quod in promptu erat et unice verum non vident neque agnoscunt. Nam cum in eo versu *mihi* et *misere* habeatur, hoc *mihi miserae* interpretandum dicimus, nec hoc esse emendare concedimus sed legere quod scriptum est, si quidem in his codicibus (sed in quo non?) per *e* scribi solet quod erat *æ*, sic eo ipso loco *mihi nec hec misere;* porro *aucte* (LXIV 165), *antenne* (LXIV 234), *libisse arene* (VII 3), *mide* (XXIV 4), *mestam* (LXIV 130; cf. 31 et 66); et ut supra ex *lateqȝ cum eius* effecimus *late quae ui/ cumqȝ*, ita nihil frequentius quam *quae* in *que* abire et voci praecedenti agglutinari (*fallaciqȝ* LXIV 56; *nocteqȝ* LXI 118; *tibiqȝ* LXI 146; *rapaxqȝ* LXIV 156; cf. XVII 1; *ineptеqȝ* XXV 8). Itaque sic statuimus, et hoc quidem satis

tendebam lacrumans et blanda voce vocabam, sed eadem (44) *compellare pater me voce videtur his verbis.*

fidenter, quaecumque eius sententiae forma fuerit, *mihi miserae* in ea locum habuisse, h. e. ἐμοὶ δειλῇ, ut Briseis ait (Il. xix 287), et quam hoc genus in deliciis habuerit Catullus (de quo scite admonuit P. Schulzius Herm. xxiii 583) exempla probant, *me miserum* xxx 5; l 9; lxxvi 19; *miserum me* xcix 11; *miseram me* lxiv 57; *misero .. mihi* li 5; lxviii 20; 92. Si vero recte Catulli more probante ponimus *mihi* et *miserae* seiungi et in diversas partes orationis distribui non debere, licet hinc etiam in contrarium ratiocinari, in priore sententia *blanda* non fuisse sed fuisse *nobis*.

Itaque iam haec est oratio

At non haec quondam nobis promissa dedisti
Voce, mihi non haec miserae sperare iubebas.

In qua nihil a Sangermanensi ceterisque bonis libris discedit nisi *nec* scriptum pro *non*, quod in uno alterove interpolatorum correctum est. Ac praestabat fortasse hac una correctione defungi et in ista conformatione acquiescere. Sed occurrunt tamen etiam nunc dubitationes non indignae quae considerentur. In hac enim oratione *mihi non haec miserae sperare iubebas* facile adducare ut dativum *mihi miserae* a *iubendi* verbo suspensum esse credas, et statuit hoc Ellisius, sed exempla perpauca sunt nec satis certa, et hoc loco eo magis id ambiguum est quia dativus *mihi miserae* poterat cum *sperandi* verbo coniunctus esse, ut Vergilius loquitur (Aen. xii 241) *qui sibi iam requiem pugnae rebusque salutem sperabant;* Horatius (a. p. 240) *ut sibi quivis speret idem;* Ovidius (Met. ii 631) *sperantemque sibi non falsae praemia linguae.* Ita autem si Catulli verba interpretamur, *non iubebas haec mihi miserae sperare,* ilico accusativus desiderari videtur, qui facilius abesse poterat, si ne alterum quidem pronomen additum erat, *non haec sperare iubebas.* Sed quoniam nobis constat *mihi miserae* verba in hoc versu moveri non debere, aliunde huic dubitationi obveniendum est. In qua re acrius attendendum est, *nec* pro *non* in utroque libro exaratum fuisse, qui etsi levis error esse videtur, tamen eius in his Catulli carminibus nisi fallimur non exstat exemplum praeterquam c. x 13, ubi *non* Sangermanensis cum ceteris omnibus, unus Oxoniensis *nec* exhibet quod non iniuria praefertur. Quo cum accedat in hoc versu *voce mihi nec haec miserae sperare iubebas* quod in *mihi nec* impeditur cursus, qui sine *mihi* recte procedit, *voce nec haec miserae sperare iubebas*, verisimile fit non *nec*

14 prave scriptum sed pronomen non suo loco positum esse; quod ubi reposueris quo decebat, hanc non improbabilem putamus formam versuum nanciscare

At non haec quondam nobis promissa dedisti
Voce nec haec mihi me *miserae sperare iubebas*
Sed connubia laeta sed optatos hymenaeos.

In quo, ut huic obstaculo statim occurramus, sive *nec* retinetur ut 232 *nec ulla*, XLIII 3 *nec ore*, XLVIII 4 *nec umquam*, sive *neque* reponitur, ut repositum est LXI 198; XXII 18; XXIV 5; X 21 (*nec hic*), emendationis probabilitatem hoc non attingit. Mutati autem in eodem versu vocabulorum ordinis non desunt exempla praeter ea quae supra p. 240 attulimus: LXVI 85 *illius a mala levis bibat dona irrita pulvis* pro *mala dona* erroris causa manifesta; LXIII 49 *patriam allocuta est ita voce miseriter* m a i e s t a s pro *allocuta* m a e s t a *est:* nimirum *maesta* post *allocuta* praetermissum in extremo versu non sine labe adiectum; XXX 8 *quasi omnia tuta mi forent* pro *tuta omnia*, qua serie mutata accidit ut *tuta* post *omnia* omitteretur in Oxoniensi; XXXIX 3 *cum excitat orator fletum* pro *orator excitat;* LXVII 31 pro his quae vera sunt *non solum hoc se dicit* ita variant libri ut *hoc dicit se* Oxoniensis, *se dicit hoc* plurimi non sinceri, *se dicit* omisso *hoc* Sangermanensis exhibeant. Itaque non sine exemplo accidit, quod accidisse statuimus, ut *voce nec haec mihi* inducente fortasse sententia inverso ordine *promissa dedisti voce mihi nec haec* scriberentur, simul *me* pronomine praetermisso. Sed sive hoc modo sive alio erroris causa explicatur, certe quod insolens sit aut singulare in illo emendandi genere nihil proponitur. Denique quod *nec* cum libris omnibus retinemus, ne quis in his comparibus sententiis *non* potius exspectandum dicat*), satis erit haec ex eodem carmine afferri (188 s.)

Non tamen ante mihi languescent lumina morte
Nec prius a fesso secedent corpore sensus

(cf. 153). Ac nos omnino ita sentimus, in ista quam restituimus oratione etiam qui curiose temptarit ac perspexerit non offensurum

---

*28) Quamquam ne illa quidem accurata anaphora erat *at non haec quondam — mihi non haec miserae*, certe non comparanda cum hac Ovidii Met. III 652 *non haec mihi litora, nautae, promisistis, non haec mihi terra rogata est;* sed talia non cogenda sunt verum accipienda ubi offeruntur; nedum ex Nonno quicquam, quod ad formam orationis Catullianae pertineat, colligi possit.

quod non recte aut non probe ac decore elatum sit. Sed alii aliter; et 'defendet, ait Cicero, quod quisque sentit: sunt enim iudicia libera.' Nobis et illa probantur et hoc pro firmissimo fundamento est, in quo haec controversia diluatur, nec *nobis* addubitandum neque vero *mihi miserae* esse derelinquendum.

IV. Una etiam quaestione defungemur brevi. In eodem carmine haec leguntur inde a v. 269

Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans zephyrus proclivas incitat undas
Aurora exoriente vagi sub limina solis,
Quae tarde primum clementi flamine pulsae
Procedunt, leviterque sonant *plangore cachinni,*
Post vento crescente magis magis increbescunt
Purpureaque procul nantes ab luce refulgent,
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.

Dicendum nobis est de versu 273, in quo in Sangermanensi codice ceterisque bonis libris scriptum est *leviter sonant p. c.* Quod quia vitiosum erat, correctum est ab Italis, sive *leni resonant plangore* sive *leviter resonant* restituentibus. In Oxoniensi autem paucisque aliis exaratum est *leviterque sonant.* Et hanc ipsam scripturam olim antiqui editores, Beroaldus, Guarinus, Muretus, Achilles Statius, alii, vulgaverunt aut probarunt; eamque servavit etiam Graevius; postea, ni fallimur iam inde a Iosepho Scaligero, *leni resonant* edi maluerunt; eamque formam per multas rursus editiones propagatam Lachmannus quoque fide codicis Cuiaciani a Scaligero exhibiti, quamquam eum non sincerum dicit, recepit Hauptioque probavit. Sed posteaquam R. Ellisii beneficium Oxoniensem librum ex tenebris in lucem doctorumque hominum usum attulit, quamquam quod ille praebet etiam ante ex aliis codicibus notum nec Lachmanno incompertum erat, multi editores huius auctoritatis fiducia freti, quod olim vulgo circumferebatur, *leviterque sonant*, Catullo reddendum sibi persuaserunt, orationem istam insuper Senecae versu, et ipso iam antiquitus ascito, de Agamemnone 680 *licet alcyones Ceyca suum fluctu leviter plangente sonent* confirmari arbitrati. Ita iudicarunt post Baehrensium Oxoniensis libri laudatorem Schwabius, Schulzius, Postgatius. Alii nihilo secius contra senserunt, Ellisius *leviter resonant* scribendum ratus, *lenique sonant* cum Froehlichio Riesius, Schmidtius *lenes resonant*

.. *cachinni*. Ac rursus apparet in hoc dissensu doctorum quam difficile sit in his quaestionibus Catullianis normam inveniri qua norma iudicium regatur. Nos in Catulli Hauptiani exemplaribus a. 1885 recognitis id quod olim vulgabatur instauravimus, *leviterque sonant plangore cachinni*, non tam Oxoniensis libri fide moti, quae suas quasdam cautiones habet, sed quia nobis intelligere videbamur vitium quod est in Sangermanensi ceterisque bonis libris, *leviter sonant*, non posse aut lenius aut verisimilius tolli quam addita particula quae tam facile incuria praeteriri potest quam certo restitui metro praesertim poscente vel patiente. Itaque c. XXXIV 12 cum Catullus scripserit *saltuumque reconditorum Amniumque sonantum* Sangermanensis codex *omnium sonantum*, Oxoniensis *omniumque son.* tradidit addita particula quae est etiam in Lachmanni Santeniano a correctore adiecta. Sed idem Oxoniensis, qui hic quod propius verum erat servavit, c. LXVIII 93 *iocundumque lumen* falso insertam eandem particulam praebet. In nostro versu mirum non erat, in tam aperto vitio et quod mensura versus patefaciebat, idem quod recte scriptum est in Oxoniensi alios libros non paucos tenere, quorum testimoniis, ne nimium Oxoniensi tribuatur, dudum hoc quod ratio verum esse persuade-
16 bat, restitui oportuit. Sed hoc iudicium, quo nos duci fatemur, ut constet neve labefactetur et corruat, duae res accurate expendendae sunt, quas videmus interpretes parum curasse, primum orationis conformatio; cum enim undae dicantur primum tarde procedere, post vento crescente increbescere, apparet illa quae media interiecta sunt de cachinnis parenthesis loco esse, quae vel participiali structura adnecti poterant, *tarde procedunt leviter sonantibus plangore cachinnis*. Eamque rationem (cum Hauptio Opp. I 105) ii videntur probare qui *que* particula reiecta *leviter* (vel *leni* vel *lenes*) *resonant pl. cach.* scripserunt, haec ut esset Homerico more interiecta sed libere adnexa sententia, quam nonnulli etiam consuetis signis a reliqua oratione segregandam curarunt; quod genus est apud Catullum ipsum in versibus 108 sq. supra tractatis. Nos qui *leviterque* probamus, ne qua inde offensio nascatur, hoc agimus ut adiecta particula illam quam dicimus parenthesis naturam non tolli aut impediri affirmemus. Itaque ut Ovidius Fast. IV 585

Questa diu secum sic est adfata Tonantem,
M a x i m a q u e in vultu signa dolentis erant,
'Si memor es —

item Vergilius Aen. VIII 116

Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferaeque manu ramum praetendit olivae,
'Troiugenas —

sic putamus recte cum undis procedere etiam hanc Catulli orationem

Quae tarde primum clementi flamine pulsae
Procedunt, leviterque sonant plangore cachinni,
Post vento crescente magis magis increbescunt —.

Alterum quod expendendum diximus ipsam attinet vocis *leviter* significationem. Nam si verum est, quod Hauptium docuisse narrat Chr. Belgerus in Elogio Hauptii a se edito p. 259 *levis* et *leviter* non habere eam vim quam hoc loco necesse est statuamus, non potest fieri quin corruat versus forma quam defensitabamus; et credibile est Hauptium etiam hoc argumento motum obtinuisse eam quam Lachmannus praeierat scripturam *leni resonant plangore cachinni*, fortasse eos quoque qui aut hanc vocem aut ab ea ductas formas praeferendas duxerunt. Itaque si obtinere nostra volumus, recusandum non est, quominus hanc litem *levitatis* et *lenitatis* inter se contendentium, si fieri potest, componamus. Hauptius igitur, dum Propertii carmen tertium libri primi interpretatur, teste Belgero haec de versu 43 exposuit: falsum esse quod Hertzbergius Burmannum ad Ovidii Heroid. III 80 docuisse dicat, *leviter* esse *suppressa voce;* vel apud Ciceronem pro Sulla 10, 30 *leviter* non esse quod ille voluerit *mit leiser Stimme*, sed esse sine pondere aut gravitate dicendi (*leichthin, ohne Gewicht des Ausdrucks*) itemque ceteris locis allatis; quod quia a Propertii versu abhorreat nec *leviter* idem sit quod *leniter*, necesse esse in eo versu Cynthiam dicere se *leviter desertam*, h. e. *poetae levitate animi desertam;* eamque significationem morum Hauptius deinceps pluribus persequitur. A quibus nos tota mente discedimus. Ac primum dum Ciceronis verba explicamus, quae ita leguntur l. c. *qui cum suppressa voce de scelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixisset, tantum modo ut vos qui ea probatis exaudire possetis, de supplicio, de carcere magna et queribunda voce dicebat, in quo primum illud erat absurdum, quod cum ea quae leviter dixerat vobis probare volebat, eos autem qui circum iudicium stabant audire nolebat, non intellegebat ea quae clare diceret ita illos audituros quibus se venditabat ut vos quoque audiretis qui id non probabatis,*

paene mirum nobis videtur, quid *leviter* sibi vellet addubitari potuisse, quod ut oppositum est iis quae *clare*, quae *magna voce* (cf. 33 *maxima voce;* 12, 34 *clarissima voce*) dicuntur, ita variata oratione refert idem quod ante *suppressa voce* dixerat orator. De Propertii autem versu ita sentimus ut cum Cynthia dicat

Interdum leviter mecum deserta querebar
Externo longas saepe in amore moras,

levitate animi immixta*) qua se desertam queratur vereamur ne sensus eius depravetur; quae se *desertam* dicit, utpote quae sola sit, eo usu vocis qui ex II 17, 3 *quotiens desertus amaras explevi noctes,* aliisque locis Propertii velut II 18, 8; 21, 16, Catulli LXVIII 6; LXVI 21 cognoscitur; *leviter* autem a *deserta* solutum quoniam non potuit nisi cum *querebar* coniungi, ut ita dicat *interdum leviter mecum querebar*, qua vi positum putamus nisi illa quam Cicero *suppressa voce* expressit (*mit leiser Stimme*); eademque ratione hoc ad *mecum querebar* additum est, qua vel Ovidius scribit (Art. am. I 369) *et secum tenui suspirans murmure dicat,* aut Horatius (Ep. II 2, 145) *quocirca mecum loquor tacitusque recordor* (cf. Ovidius Fast. IV 585 supra allatus). Nec aut Propertius cum dicit II 32, 15 *tot l e v i t e r lymphis tota crepitantibus urbe* vel IV 8, 50 *cum subito rauci sonuerunt cardine postes, et l e v i a ad primos murmura facta lares* (de quibus Lachmannus admonet p. 384) alio sensu ea vocabula accepit aut Vergilius buc. I 55 *saepe l e v i somnum suadebit inire susurro.* Varronem autem qui scribit de l. L. VI 67 *murmuratur* [*dictum*] *a similitudine sonitus dictus qui ita l e v i t e r loquitur ut magis e sono id facere quam ut intelligatur videatur* non erat ut opinamur quod corrigendum praeter fidem testium *leniter* pro *leviter* reposito censerent. Nec Festum praeterimus p. 188, 17 Thewrewk. ita dicentem *nictit canis in odorandis ferarum vestigiis l e v i t e r ganniens, ut Ennius* —. Quae cum ita sint, si quis negat *levis, leviter* cum sonandi verbis coniuncta vim habere quam statuimus quamque nostro sermone *leise* reddimus, is nobis aut falli opinione

*8) Hauptius apud Belgerum p. 92 etiam in his Propertii I 9, 30
Quisquis es, assiduas ah fuge blanditias
Illis et silices possunt et cedere quercus;
Nedum tu possis, s p i r i t u s iste l e v i s
spiritum levem in vim moralem accipiendum esse ut *homo inconstans* intelligeretur contendit; de quo licebit dubitare, et nos quidem *silicibus* et *quercubus* sentimus melius opponi eum qui *levis* est ut *spiritus*; velut hominem Seneca *precarii spiritus et mali haerentis* esse dicit ad Marc. 11, 3.

videtur aut argutiis usus infitiari quod simplici iudicio apertum est. Catullus ipse quae iocabundus de Arrio cecinit c. LXXXIV *audibant eadem haec leniter et leviter* quamquam aliquid ambigui 18
habent, tamen ad totum carmen referentes videmur recte interpretari *lind und leise*, sic ut *leniter* asperitati quae auribus molesta est, *leviter* autem ei quod ille *quantum poterat* efferre solitus erat oppositum sit.

Itaque ut iam colligamus quae effecisse disputando videmur, sic existimamus in illo versu Catulli ex quo digressi sumus et vagati haec quae sunt *leviterque sonant plangore cachinni* et recte scripta nec alio sensu esse accipienda quam quae supra laudavimus Senecae verba *licet alcyones Ceyca suum fluctu leviter plangente sonent.* Scr. m. Decembri a. MDCCCXCVI.

XLVI. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1897/98.

3 De tribus locis Herculis Euripideae disputaturi sumus, ad eam nos fabulam referentes, de qua in prooemio anni MDCCCXCIII nonnulla disseruimus, cum adolescentes, qui ad has litteras se dare cuperent, hortaremur, ut in huius tragoediae studium se insinuare vellent, tum primum a collega iam nostro, Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, editae et omni genere eruditionis ornatae. Qui ex quo eandem tragoediam iteratis curis a se recognitam publici iuris fecit, de Euripide et bonis litteris duplici mensura bene meruit. Nostra parva sunt nec quae istam virtutem aemulari cupiant aut valeant, sed ea tamen habent non indigna fortasse quae a nobis primis lineis inchoata intentiore observatione exaedificentur. Neque enim ne nunc quidem nos doctis scribimus sed discentibus, si quid forte iis utilitatis aut incitamenti disputatione nostra afferre possimus. Exordimur autem a Megarae oratione, qua liberum suorum ad necem iamiam subeundam funebribus comptorum fata acerba conqueritur ac deplorat. Quae quidem ῥῆσις pulchre depictos commiserandae matris mores habet, adeo ut nativa quadam veritate sensuum mirifice legentem capiat ac teneat. Ea igitur inde a v. 460 haec expromit.

ἦ πολύ γε δόξης ἐξέπεσον εὐέλπιδος,
ἣν πατρὸς ὑμῶν ἐκ λόγων ποτ' ἤλπισα.
σοὶ μὲν γὰρ Ἄργος ἔνεμ' ὁ κατθανὼν πατήρ,
Εὐρυσθέως δ' ἔμελλες οἰκήσειν δόμους,

et quae porro eodem tenore exsequitur. Nam nobis tantum de versibus primo et secundo dicendum est. Qui versus sic uti supra scripti sunt, posteaquam hanc esse veram et pristinam eorum formam a se de coniectura recuperatam primus Henricus Hirzelius (in libello de Euripidis in componendis diverbiis arte a. MDCCCLXII
4 edito p. 25) affirmavit, ab omnibus deinceps editoribus, Kirchhoffio in altera, Wecklino in Pflugkii, Wilamowitzio in utraque

sua editione propagati sunt. Ac nihil est profecto in hac oratione, quod iure displicere aut hoc poeta parum dignum esse dicas; nec defuerunt quibus haec conformatio sententiae etiam magis confirmari ac corroborari videretur, velut Medeae verba (1010) δόξης δ' ἐσφάλην εὐαγγέλου apud Pflugkium Wecklinus, Inus autem versus (in Euripidis deperditarum fabularum reliquiis a Nauckio iterum collectis 420)

ὑπόπτερος δ' ὁ πλοῦτος· οἷς γὰρ ἦν ποτε,
ἐξ ἐλπίδων πίπτοντας ὑπτίους ὁρῶ

Hirzelius ascivit; neque iis accedendum qui haec ἐξ ἐλπίδων prave scripta esse opinati emendandi periculum fecerunt; sed non inepte iis quoque utare quae sunt in Hecuba v. 1025

ἀλίμενόν τις ὡς εἰς ἄντλον πεσὼν
λέχριος ἐκπεσεῖ φίλας καρδίας,
ἀμέρσας βίον.

Verum tamen quod subinde accidit, ut quae ex ingeniosorum hominum opinatione profecta sunt per se spectata laudanda admodum et haud cunctanter recipienda ducas, sed eadem ad testatam scripturam relata sordescere et movere dubia incipiant, id nos valde veremur ne in istos Megarae versus cadat. Quos cum scripti libri fides in hunc modum exaratos exhibeat

ἦ πολύ με δόξης ἐξέπαισαν ἐλπίδες,
ἣν πατρὸς ὑμῶν ἐκ λόγων ποτ' ἤλπισα,

ne nos argutiis quae sunt in altera scriptura decipi patiamur ac specie seducti nubem pro Iunone amplectamur, hoc agendum est inprimis ut quibus rationibus ea vera esse non posse sibi docti persuaserunt quam severissime perpendamus. Neque enim si quis opinabilia posse placere edoceat, fidem testium destituemus, sed τόδε πρὸς ἐκείνῳ δείξας φερέσθω τὰ νικητήρια frustrari memoriam nec posse constare; tum manus dabimus et a divinatione salutem petendam concedimus, sed ita ut caveamus ne relicto fidei fundamento incerto pede hariolorum instar vagemur et erremus. Atqui in istis versibus fuerunt qui nihil peccati esse et frustra emendandi operam sumi existimarent: quorum Godofredus Hermannus hanc esse vim verborum adnotat quasi dicas ἐλπίδες με ἔψευσαν δόξης, h. e. '*spes mea frustrata est opinionem meam*'. Quam eandem sententiam pluribus verbis interpres Britannicus ita expressit Paleius, '*truly my hopes have greatly disappointed me in the expectation I had formed of you from your father's promises*'. Sed

neuter eorum, ut solent navi critici, quamvis scita sit ea quam probant sententia, quicquam quo eam stabilire aut a dubitatione vindicare possis adiecit: nos pauca sunt quae adminiculi instar afferre possimus. Quem enim in sensum Hermannus illa accipienda dixit, ἐλπίδες με ἔψευσαν δόξης, eo modo locutus est Euripides ipse in Hecuba (1032) cum ψεύσει σ' ὁδοῦ τῆσδ' ἐλπίς, δόξης autem ἐξέπαισαν (quod est ab ἐκπαίειν, non ut quidam falso crediderunt ab ἐκπαίζειν quod nihili est) ita dicitur, ut apud Platonem Phaedrus loquitur (228 e) παῦε· ἐκκέκρουκάς με ἐλπίδος ἣν εἶχον ἐν σοὶ ὡς ἐγγυμνασόμενος. Denique ut omnia interpretando complectamur, πολύ, de quo quae Hirzelius attulit non satisfaciunt, plane ita positum est ut in consimili sententia Teucer Sophocleus (1382) ait καί μ' ἔψευσας ἐλπίδος πολύ. At vero haec dum satis inter se concinere videntur, ut quaedam fiducia veri nasci incipiat, ecce ex altera parte vir gravissimus exsistit Hauptius, qui cum in summa sententia cum Hermanno conspiret, tamen illa δόξης ἣν ἤλπισα insolenter nec satis Graece dici asseverat (Opp. II 261); idemque alios tacite sensisse credibile est, quippe qui hoc potissimum emendando effugere studerent. Verum Hauptius huic tantum incommodo occurrendum ratus, mutatis pronominibus πολύ με δόξης ἐξέπαισαν ἐλπίδες ἅς (pro ἣν) .. ποτ' ἤλπισα scribendum coniecit. Quod etsi lene est remedium, tamen eo remedio nobis nescio quo pacto πλέον θάτερον, ut aiunt, effecisse visus est: nam nisi quid nos fallit, non tam ἐλπίδας, quae excutiant, quam opinionem quae excutiatur dici exspectaveris qualis fuerit et unde nata. Ut enim est in Platonis Phaedro ἐκκέκρουκάς με ἐλπίδος ἣν εἶχον, sic Megara quoque potuit illa quidem dicere ἐλπίδες με ἐξέπαισαν δόξης ἣν εἶχον ἐκ πατρὸς λόγων, sed maluit verbo uti magis ad rem apposito ut ita diceret ἐξέπαισαν δόξης ἣν ἤλπισα ἐκ πατρὸς λόγων. Illo vero errore mentis ne abripiamur inconsulti, quo Hauptius et plerique seducti sibi persuadent, non ut ἐλπίδα ἐλπίζειν, ὕβριν ὑβρίζειν, κίνδυνον κινδυνεύειν, τόλμημα τολμᾶν, alia ad eum modum usitata sunt, sic posse etiam variato loquendi modo dici δόξαν ἐλπίζειν (δόξαν ἣν ἤλπισα), primum animadvertendum est, ut Plato δόξας τῶν μελλόντων communi appellatione ἐλπίδας nominari scripsit (Νόμ. I p. 644 c), ita δόξαν et quae cum eo nomine coniuncta sunt aut ab eadem cum eo origine ducta saepe cum ἐλπίδος nomine eum in modum commixta et composita legi, ut cognatam ac paene eandem utrius-

que vim et sententiam esse cognoscatur. Qualia sunt, in Hecuba (v. 370)

οὔτ' ἐλπίδος γὰρ οὔτε του δόξης ὁρῶ
θάρσος παρ' ἡμῖν ὥς ποτ' εὖ πρᾶξαί με χρή

Andromeda (fr. 131 Nauckii II.)

A. *μή μοι προτείνων ἐλπίδ' ἐξάγου δάκρυ.*
B. *γένοιτό τἂν πόλλ' ὧν δόκησις οὐκ ἔνι*

et quae in extremis fabulis saepius recurrunt, velut in Andromacha

πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί,
καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός

denique in Hercule ipsa (771)

δοκημάτων ἐκτὸς ἦλθεν ἐλπίς

ibidem (91)

AM. *καὶ φιλῶ τὰς ἐλπίδας.*
ME. *κἀγώ· δοκεῖν δὲ τἀδόκητ' οὐ χρή, γέρον.**)

In tanta autem propinquitate significationis quid miri duo nomina etiam in hac loquendi forma misceri ut *ἐλπίζειν* non *ἐλπίδα* sed *δόξαν* dicatur. An hoc maiore iure insolentiae insimulamus quam quod est apud Sophoclem in Electra (470) *πικρὰν δοκῶ με πεῖραν τήνδε τολμήσειν ἔτι*, ubi Nauckio quidem *τόλμαν* potius exspectandum fuisse adnotanti quis fidem habebit, aut in eadem Electra (532) *οὐκ ἴσον καμὼν ἐμοὶ λύπης*. Nam quod non solum *καμεῖν κάματον* sed etiam *καμεῖν νόσον* et, ut Sophocles, *καμεῖν λύπην* dicebatur, documento est, quid Graecis in hoc genere concessum fuerit. Quare sic statuimus, ut *ἐξέπαισαν δόξης*, ita *δόξης ἣν ἤλπισα* vera esse et coniecturis depravari; ac liceret iam iis fidenter acquiescere, quae olim vulgabantur

ἣ πολύ με δόξης ἐξέπαισαν ἐλπίδες
ἣν πατρὸς ὑμῶν ἐκ λόγων ποτ' ἤλπισα,

nisi *ἐλπίδες* ipsae dicerentur *δόξης ἐκπαῖσαι*, quasi dicas *ἐλπίδας ἐλπίδος ἐκπαῖσαι*. Quod quoniam a sana mente alienum esse visum est, id operam dederunt ut quantocius emendando tollerent. Itaque Musgravius *ἣ πολύ με πράξεις ἐξέπαισαν ἐλπίδος, ἣν ..*

---

*17) [Solon 13 v. 34 *δηνεύειν αὐτὸς δόξαν ἕκαστος ἔχει, πρίν τι παθεῖν· τότε δ' αὐτίκ' ὀδύρεται· ἄχρι δὲ τούτου χάσκοντες κούφαις ἐλπίσι τερπόμεθα*, cf. 42. Theognis 639 *πολλάκι παρ' δόξαν τε καὶ ἐλπίδα γίνεται εὖ ῥεῖν ἔργ' ἀνδρῶν.*]

ἤλπισα scribendum proposuit, Nauckius ἦ πολύ με δόξης ἐξέπαισαν αἱ τυχαί, uterque, ut non ἐλπίδες, sed res quae gererentur Megaram e spe et exspectatione sua excussisse dicerentur. Kirchhoffius quoque olim eodem consilio, ne ἐλπίδες spem fugasse viderentur, μοῖραν appellari maluit, quam supra (v. 456) Megara adlocuta erat ὦ μοῖρα δυστάλαιν' ἐμή τε καὶ τέκνων, nunc ut haec diceret ἦ πολύ με τῆς τότ' ἐξέπαισας ἐλπίδος. Non moramur in his expendendis conaminibus, quorum libertas nihil aut non multum probabilitatis habet: id unum memoramus non sine consilio, quia semel et iterum in iis emendandi causa ἐλπίδος singulari pro ἐλπίδες repositum est, nihil familiarius fuisse aut huic poetae aut aliis quam ἐλπίδας pluraliter sed nullo numeri discrimine appellare. Quod vero ἐλπίδες dicuntur Megaram ex opinione quam conceperat deiecisse, id Hirzelius quidem superiorum exemplo fortiter 'non solum sine ratione sed etiam contra rationem' esse affirmavit, verum Hauptius, poeticae orationis existimator subtilis, poetis hoc concessum et concedendum esse scribit, ut quod speranti acciderit spem effecisse dicant. Eamque sententiam, quae nobis vera si quid aliud visa est, cum ipse non longius persecutus in uno explicando Tibulli loco se continuerit, eius viri vestigia legentes paulo pluribus exemplis declarare et confirmare si possumus conabimur. Ac primum quod Aristophanes in Thesmophoriazusis (870) scribit

ἀλλ' ὥσπερ αἰκάλλει τι καρδίαν ἐμήν.
μὴ ψεῦσον ὦ Ζεῦ τῆς ἐπιούσης ἐλπίδος

aut quod Sophocles in Aiace (1382)

καί μ' ἔψευσας ἐλπίδος πολύ,

hoc est alicui spem adventantem praeripere vel fallere in ea exspectatione quam quis habuerit, id videmus in Hecuba spei attribui ipsi (1032)

ψεύσει σ' ὁδοῦ τῆσδ' ἐλπὶς ἥ σ' ἐπήγαγε
θανάσιμον πρὸς Ἅιδαν, ὦ τάλας.

Et hoc quod spes nos decipere dicitur, quae vulgaris est loquendi ratio, si curiosius rimamur, hoc intelligitur, spem vanam facere opinionem quam ipsa dederit. Quae si inepta non sunt, quid diffidimus obstupefacti, si spes dicitur exspectationem quam ipsa moverit auferre. Sed poetae saepe multo liberiore modo locuti sunt, velut quae Polynices in Phoenissis (634) in valedicendo ait

*ἐλπίδες δ' οὔπω καθεύδουσ' αἷς πέποιθα**) *σὺν θεοῖς*
τόνδ' ἀποκτείνας κρατήσειν τῆσδε Θηβαίας χθονός

ita dici videntur quasi *ἐλπίδες* vires quaedam sint quibus non sopitis confisus *sperat* se Thebana terra potiturum esse; aut in Heraclid. Iolaus (433)

οἴμοι· τί δῆτ' ἔτερψας ὦ τάλαινά με
ἐλπὶς τότ', οὐ μέλλουσα διατελεῖν χάριν;

ubi spei adscribitur, quod *speranti* contigit, qui primum spe sua delectatus deinde irrita fieri sensit quae speraverat. Electra Sophoclea cum sororem admonet (958)

ποῖ γὰρ μενεῖς ῥᾴθυμος ἐς τίν' ἐλπίδων
βλέψασ' ἔτ' ὀρθήν;

loquitur tamquam spes sit nescio quid seiunctum ab hominis mente, intelligere autem videtur opem quae nulla iam *speranti* parata sit; similiterque eadem de Oreste (809)

ἀποσπάσας γὰρ τῆς ἐμῆς οἴχει φρενὸς
αἵ μοι μόναι παρῆσαν ἐλπίδων ἔτι,
σὲ πατρὸς ἥξειν τιμωρόν.

Postremo in Hercule quod chorus dicit (771)

δοκημάτων ἐκτὸς ἦλθεν ἐλπίς

Musgravius quidem 'perabsurdum' esse ait et *ἦλθε τέρψις* reponi suasit; quem nos non sequemur, quamquam apertum est non *spem* sed id quod *sperabatur* dici praeter exspectationem venisse. Neque secus servus Plautinus locutus est in Menaechmis (v 9, 22)

Di immortales, spem insperatam date mihi quam suspicor,

cui in contrariam partem respondent quae Eutychus ait in Mercatore (v 2, 2)

Spem speratam quom obtulisti hanc mihi, tibi grates ago,

cum utrobique manifestum sit *spem* dici quod *speranti* obtingat aut a *sperante* optetur*). Haec quae nos afferimus pauca qui reputaverit ex iisque sibi animo informarit, quam varia apud poetas ac saepe insolens *ἐλπίδος* appellatio fuerit, iam paene daturum opinamur, ne illud quidem quod *ἐλπίδες ἐκπαῖσαι δόξης* dicuntur a ratione aut a more veterum abhorrere. Quodsi quis tamen nimis

*1) Cf. Hercul. 105

οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος ὅστις ἐλπίσι
πέποιθεν αἰεί.

*30) [Rud. 231 *Spes bona, obsecro, subventa mihi, exime ex hoc miseram metu.*]

delicatus hoc fastidiat et oderit, quod spes spem expulisse dicatur, sciat in alio genere Aeschylum non exhorruisse scribere (Pers. 163)

μὴ μέγας πλοῦτος κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδὶ
ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινος.

Sed nos de spe egimus et hoc esse ex eo genere volumus quod a nobis paucis delibatum ampliore observatione non indignum habeatur. Putamus enim non sine fructu elaboraturum, si qui hunc usum *ἐλπίδος* diligentius per poetas scriptoresque persequi instituerit.

8 2. In eadem *ῥήσει* Megara ita desinit ut Herculem in Orco morantem, quem esse mortuum credit et non credit, his versibus appellet

ὦ φίλτατ', εἴ τις φθόγγος εἰσακούεται
θνητῶν παρ' Ἅιδῃ, σοὶ τάδ', Ἡράκλεις, λέγω.
θνήσκει πατὴρ σὸς καὶ τέκν', ὄλλυμαι δ' ἐγώ,
ἣ πρὶν μακαρία διὰ σὲ ἐκληζόμην βροτοῖς.
ἄρηξον, ἐλθέ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι·
ἅλις γὰρ ἐλθὼν κἂν ὄναρ γένοιο σύ.
[κακοὶ γὰρ εἰς σέ γ' οἳ τέκνα κτείνουσι σά.]

Sic hos versus Wilamowitzius dedit primo Hercule edita et iam ante in Analectis Euripideis a. MDCCCLXXV editis (p. 234). De tribus extremis nos eo quem diximus loco ita disseruimus, ut ultimum integrum, non insiticium esse, qui antecedunt duo propius a memoriae fide sic constituendos probatum iremus

ἄρηξον ἐλθέ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι·
ἅλις γάρ· ἐλθὼν ἱκανὸς ἂν γένοιο σύ·
κακοὶ γὰρ κτλ.

Qua re hoc assecuti sumus (si modo ea nostra est aliqua pars) ut editor clarissimus iterata tragoediae recognitione ultimum versum vinculis solutum Euripidi ut suum et libertati redderet, in reliquis duobus obtineret eam quam prius expresserat conformationem. Itaque in his secessio facta est opinionum, ut assolet in hoc philologae disputationis genere, sic ut discedentes alter alteri Euripideis verbis dicere possint *σοὶ μὲν δοκείτω ταῦτ', ἐμοὶ δὲ τἄντία.* Nam nos quoque, ut verum fateamur, adhuc ita iudicamus, in versu 495 inutiliter oneratam sententiam non posse placere idque incommodum variata oratione, ut quae modo *σκιὰ* erat, dein *ὄναρ* dicatur, non minui sed paene augeri. Neque rediissemus ad hanc quaestionem, nisi in promptu esset a nobis tum praeter-

missum, quod momentum facere posse in alteram partem videretur. Etenim quibus verbis apud Senecam (in Troasin 681) Andromacha Hectorem defunctum appellat

rumpe fatorum moras,
Molire terras, Hector, ut Ulixen domes.
Vel umbra satis es,

ea sua similitudine non possunt non Megaram Herculem ex inferis evocantem in memoriam revocare. Ex qua similitudine non quaesita consulto sed invito poetae oborta nos duo colligimus, quae cum hac re coniuncta sunt, primum, haec verba *καὶ σκιὰ φάνηθί μοι* in unum coire et *καὶ* exaggerandi vim habere. Nam Wilamowitzius, qui et ipse primum sic interpunctum versum ediderat *ἄρηξον, ἐλθέ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι*, postea maluit ita orationem distinctam exhibere *ἄρηξον, ἐλθὲ καὶ σκιά, φάνηθί μοι*, et expressis verbis hoc verum esse affirmavit, ne quis *καὶ* falso pro particula copulativa haberet. Id quod vix verendum erat utpote ipsa prohibente sententia, et quod ille nonnumquam in commentariis suis scite admonet, ut recte percipiantur Graeci poetae verba recte esse et ex suis ponderibus recitanda, id in hoc versu ita valere opinamur, ut, modo recte pronunties, non possis nisi haec *καὶ σκιὰ φάνηθί μοι* una oratione complecti, cum praesertim verbum ipsum, quamquam non nescimus subinde ad simplicem veniendi (in conspectum veniendi) vim esse depressum, suapte natura nullam aptius quam cum *σκιᾷ* iuncturam inire potuerit; illa vero duo *ἄρηξον, ἐλθέ* et commode composita sunt, quemadmodum in Sophoclis Electra (115) *ἔλθετ', ἀρήξατε*, et nulla re addita sententiae satisfaciunt. Alterum sed cum primo coniunctum quod ex ista Andromachae Annaeanae oratione concludi posse arbitrabamur, hoc est, *ἅλις γάρ*, sicut olim statuimus, unam et totam efficere sententiam, eamque ad sola verba *καὶ σκιὰ φάνηθί μοι* referri. Cum enim ex ipsa re suppleatur *ἅλις γάρ* (*σε*) *καὶ σκιὰν φανῆναι*, velut Aeschylus plena oratione dicit (Sept. 662) *ἄνδρας Ἀργείοισι Καδμείους ἅλις ἐς χεῖρας ἐλθεῖν*, ad illa nihil erat quod aut utiliter aut necessario adderetur. Quae si recte collegimus, iam apparet quid consequatur. Nempe quae insequuntur verba novam afferre sententiam, a superioribus separatam et quae inferioribus fundamenti loco sit. Quae quidem sententia quid aliud continere potuit, quam quod olim una littera mutata (*ἱκανὸς* ex *ἱκανὸν* efficientes) refinximus *ἐλθὼν ἱκανὸς ἂν γένοιο σύ*. Nam et haec

recte *ἀσυνδέτως* subiiciuntur proximis, a quibus nisi mutata forma non distant, et est haec plane ea sententia, cui adhaerent confirmandi causa quae sequuntur *κακοὶ γὰρ εἰς σέ γ' οἳ τέκνα κτείνουσι σά.* In verbis autem ipsis quid dicimus esse quod non recte aut non apte elatum videatur. Nam quod Megara ad personam oratione relata dicit *ἐλθὼν ἱκανὸς ἂν γένοιο* pro eo quod poterat *ἐλθεῖν σε ἱκανὸν ἂν γένοιτο*, ex intima Graecitate est, quamquam a nostris loquendi moribus alienius, ut non desint latissime patentis usus exempla quae impediverint interpretes et in devia deduxerint. Non plane gemella sunt sed tamen hoc nomine comparabilia quae Plato scribit in Lyside (204 e) *ἱκανὸς γὰρ καὶ ἀπὸ μόνου τούτου γιγνώσκεσθαι.* Et *ἱκανός*, quae vox non multum discedit ab *ἅλις*, ut haec duo in una sententia haberi non potuerint, quoniam dicitur is qui satis per se est nihil ut amplius requiratur, velut Oed. Reg. 376

οὐ γάρ σε μοῖρα πρός γ' ἐμοῦ πεσεῖν, ἐπεὶ
ἱκανὸς) Ἀπόλλων, ᾧ τάδ' ἐκπρᾶξαι μέλει,*

vel Phoeniss. 554

τί δ' ἔστι τὸ πλέον; ὄνομ' ἔχει μόνον·
ἐπεὶ τά γ' ἀρκοῦνθ' ἱκανὰ τοῖς γε σώφροσιν,

nonne percommode huic sententiae aptatur; et quia *ἐλθεῖν* est quod *ἱκανὸν* esse dicitur, ne erat quidem ad *ἐλθὼν* quod adderetur *μόνον*, quod saepe nostro sentiendi usu magis quam Graecorum more desideratur*). Denique quo magis insimulemur Graecorum poetas Romanorum ope interpretari velle, totum tenorem orationis quem restituimus et explanavimus quasi per partes suas putamus his Claudiani versibus declarari quos scribit in Rufinum (II 94)

tandem succurre ruenti
Heu patriae, Stilicho ......

---

*17) Cf. similia Hercul. 1338

θεοὶ δ' ὅταν τιμῶσιν, οὐδὲν δεῖ φίλων.
ἅλις γὰρ ὁ θεὸς ὠφελῶν, ὅταν θέλῃ.
Orest. 667 *ὅταν δ' ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί δεῖ φίλων;*
ἀρκεῖ γὰρ αὐτὸς ὁ θεὸς ὠφελεῖν θέλων.

Quorum illud par versuum ex hoc esse praeter poetae mentem effictum volunt. [Adde Lysistr. 1046 *πάντ' ἀγαθὰ καὶ λέγειν καὶ δρᾶν· ἱκανὰ γὰρ τὰ κακὰ καὶ τὰ παρακείμενα.*]

*24) Uno exemplo utemur, Hippol. 804 *τοσοῦτον ἴσμεν* h. e. '*nur so viel wissen wir.*'

Vel solus sperate veni. te proelia viso
*Languescent avidique cadet dementia monstri**).

Atque hoc alterum est in quo quis ab his initiis profectus cum fructu elaborare amplius possit. Etenim quod nuper in Catulli carminibus paucis adhibitis exemplis ostendimus posse quaedam comparata Graecorum dicendi consuetudine aut ambigua constitui aut in luce poni obscura, id latius patet multamque quaerenti materiam paratam habet. Sed non minus iucunda est et fructuosa huic operae quae contraria est altera, qua nunc usi ex Romanis poetis ad explicanda Graeca quod usui esset ascivimus. Quod genus nuper Georgius Kaibelius in nitido commentario Sophocleo huic Electrae sententiae (1007)

οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
χρῄζων τις εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν

perapte Senecae verba de Agamemnone (995) adscripsit

---

*2) Haec iam perscripta erant sic ut supra leguntur, cum Beniamini Heathii 'Notas sive lectiones ad tragicorum Graecorum dramata' Oxonii a. MDCCLXII editas ob aliam causam explicantes necopinato incidimus in hanc adnotationem ad Hercul. fur. 495 adscriptam 'Ita hunc versum interpungit et corrigit Dan. Heinsius ad Senecae Troad. v. 684 *Ἅλις γάρ· ἐλθὼν ἱκανὸς ἂν γένοιο σύ.*' Quae adnotatio recepta est etiam in Samuelis Musgravii Euripidem a Christ. Dan. Beckio a. MDCCLXXXVIII Lipsiae repetitum. Danielis Heinsii ipsius 'Animadversiones et Notae in L. Annaei Senecae tragoedias' Senecae tragoediarum editioni Lugdunensi a. MDCXI adnexae haec scripta habent p. 542 '*Vel umbra satis est*: Ita esse interpungendum hunc locum, ut libros omittam, tragicus persuadet, cui eum debet noster. Sic enim ille Hercule Furente:

Ἄρηξον ἐλθὲ, καὶ σκιὰ φάνηθί μοι.
Ἅλις γάρ. ἐλθὼν ἱκανὸς ἂν γένοιο σύ.

Nam et ibi ita est repraesentandum. Vulgo male.' Haec Heinsius. Sed nec Heathii nec Heinsii quisquam posteriorum editorum, quos quidem inspeximus, memor fuit, ne G. Hermannus quidem, quamquam et ipse *ἱκανὸς* pro *ἱκανὸν* scribendum esse adnotavit. Quo factum est ut circumspicere superiorum opiniones supersederemus incuria. Et hoc nunc aegre ferimus; illud non aegre, quod fuisse ante nos intelleximus qui eandem quam nos scripturam et eodem Senecae loco fundatam proponeret: neque enim hoc quaeritur, quis quid reppererit, sed illud potius quid pro vero haberi potuerit. Ac nunc fortasse aliquid auctoritatis accedet ei quam bis defendimus sententiam. Quod si fit et haec iam recipiuntur, nobis satis erit, veritatem diu obscuratam in lucem doctorumque hominum usum attulisse. In iis quae perscripta erant nihil mutavimus, ita rati, ne nunc quidem hanc inutilem fore disputationem, nisi quod a laude Danielis Heinsii proficisci debebat, in qua nunc desinit.

EL. *Mortem aliquid ultra est?* AEG. *Vita, si cupias mori;* quamquam idem paene dolemus quod sprevit quae insequuntur eiusdem Aegisthi verba

Abripite, famuli, monstrum et avectam procul
Ultra Mycenas ultimo in regni angulo
Vincite saeptam nocte tenebrosi specus,
Ut inquietam virginem carcer domet

neque iis uti voluit ad tutandam Sophoclis orationem quae est in eadem Electra (379)

μέλλουσι γάρ σ', εἰ τῶνδε μὴ λήξεις γόων,
ἐνταῦθα πέμψειν ἔνθα μή ποθ' ἡλίου
φέγγος προσόψει, ζῶσα δ' ἐν κατηρεφεῖ
στέγῃ χθονὸς τῆσδ' ἐκτὸς ὑμνήσεις κακά.

Sed nos qui hoc agimus, ut studiosis adolescentibus viam monstremus qua via in his quaestionibus incedendum sit, in transcursu alterum adiiciemus exemplum, levidense illud quidem sed quod ad declarandam rem quam volumus non inutile sit.

In Medea nutrix de era sua haec dicit (v. 36)

στυγεῖ δὲ παῖδας οὐδ' ὁρῶσ' εὐφραίνεται.

De quo versu ita disputat Wilamowitzius in Herm. XV p. 522 ut languescere alteram partem affirmet, nisi *ὁρῶσα* participium cum *εὐφραίνεται* coniunctum etiam ad *στυγεῖ* pertinere intellexeris. Itaque hoc exemplum in ordinem recepit in comment. Hercul. 237, cum figurae usum, quam *ἀπὸ κοινοῦ* grammatici vocant, abunde materia collecta ita illustravit ut ne a tragicis quidem poetis eam alienam fuisse demonstraret. Quam disputationem cum ceteroquin valde laudemus, in hoc uno dubitamus quam recte figuram agnoverit. Cum enim contendimus quae Cicero scribit in Verr. act. II lib. III c. 9, 23 *tantam habet morum similitudo coniunctionem atque concordiam, ut Apronius, qui aliis inhumanus ac barbarus, isti uni commodus ac disertus videretur, ut quem omnes odissent neque videre vellent, sine eo iste esse non posset*, aut quae idem in Pison. c. 27, 64 *age, senatus odit te . . . videre equites Romani non possunt*, tantum intelligere videmur, *odisse* aliquem et aliquem *videre nolle, videre non posse* pari vi componi solere; quod si ita est, idem in Graeco versu statuentes, sic haec evolvemus, *στυγεῖ παῖδας* plenam esse orationem, cui nihil oporteat asciscatur ex altera parte, alterum *οὐδ' ὁρῶσ' εὐφραίνεται* item per se constare nec languidum esse, sed haec duo *στυγεῖ οὐδ' ὁρῶσ' εὐφραί-*

νεται ita connecti ut affirmantia et negantia comparari solent, velut, ut hoc utamur, in Euripidis Supplic. 211 ἃ δ' ἔστ' ἄσημα κοὐ σαφῆ, γιγνώσκομεν εἰς πῦρ βλέποντες. Illa vero δρῶσα εὐφραίνεται interiore quadam inter se iunctura continentur, ut participio gaudendi causa afferatur, ad eam rationem quam olim certo consilio tetigimus cum de libello περὶ ὕψους ageremus; qualia sunt in Hercul. 846 οὐδ' ἥδομαι φοιτῶσ' ἐπ' ἀνθρώπων φίλους, vel in Hippolyt. 1068 ὅστις γυναικῶν λυμεῶνας ἥδεται ξένους κομίζων, et in reliquiis Eurip. (812, 7 Nauck. II)

ὅστις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνήρ,
οὐ πώποτ' ἠρώτησα, γιγνώσκων ὅτι
τοιοῦτός ἐστιν οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Quo minus δρῶσα etiam ad στυγεῖ referre liceat.

3. Tertium quod volebamus brevi disceptatione percurrere, petimus ex his versibus (701)

ΛΥΚ. εἰς καιρὸν οἴκων Ἀμφιτρύων ἔξω περᾷ. 12
χρόνος γὰρ ἤδη δαρὸς ἐξ ὅτου πέπλοις
κοσμεῖσθε σῶμα καὶ νεκρῶν ἀγάλμασιν.
ἀλλ' εἶα, παῖδας καὶ δάμαρθ' Ἡρακλέους
ἔξω κέλευε τῶνδε φαίνεσθαι δόμων.

Quorum qui primus est ita scriptus traditur, sed ex quo Heathius se malle scripsit περᾷς, nullus non editor eam rationem secutus est. Quo facto quod Ἀμφιτρύων est ex nominativo vocativus, quam rem Heathius Attico usu et Troadum exemplis vindicandam putavit, nihil impedit: haec ipsa fabula habet eius vocativi exempla (278, 315). Sed haec sententia, a qua Lycus orditur, poterat illa quidem non inepte per narrandi formam efferri, ut secum ipse loquens ita diceret 'in tempore Amphitryo de domo exit', quo modo velut chorus in Hippolyto (899) καὶ μὴν ait ὅδ' αὐτὸς παῖς σὸς εἰς καιρὸν πάρα, Ἱππόλυτος. Verum quia pergit oratione ad Amphitryonem ipsum conversa ita loqui χρόνος γὰρ ἤδη δαρὸς ἐξ ὅτου πέπλοις κ ο σ μ ε ῖ σ θ ε σῶμα, cum praesertim haec illis declarandi causa adiecta particula causali adnectantur, fieri non posse putaverunt, quin ab Amphitryonis appellatione exorsus omnia eodem orationis filo expresserit:

εἰς καιρὸν οἴκων, Ἀμφιτρύων, ἔξω περᾷς.
χρόνος γὰρ ἤδη δαρὸς ἐξ ὅτου πέπλοις
κοσμεῖσθε σῶμα.

Neque quicquam est in his sententiis quod improbetur: immo

exigua mutatione aequabilem orationis elegantiam recuperarunt. Sed rursus non tam hoc quaeritur, cur quae docti homines excogitarunt placere possint, quam illud potius cur quae scriptis libris accepta ferimus tolerari non possint. Ac nobis quidem haec ipsa fabula praebere visa est, quae pari modo inconcinne structa isti inaequalitati sermonis suppetias ferre possint. Haec dicimus quae inde a v. 140 eiusdem Lyci verba leguntur

τὸν Ἡράκλειον πατέρα καὶ ξυνάορον,
εἰ χρή μ', ἐρωτῶ· χρὴ δ', ἐπεί γε δεσπότης
ὑμῶν καθέστηχ', ἱστορεῖν ἃ βούλομαι,
τίν' εἰς χρόνον ζητεῖτε μηκῦναι βίον.

Nam recta progrediente oratione αὐτῶν exspectaveris, non ὑμῶν, quamquam ad hoc pronomen rursus facilius ζητεῖτε referebatur. Sed summa sententia, nisi fallit opinio, haec est τὸν Ἡράκλειον πατέρα καὶ ξυνάορον ἐρωτῶ, τίν' εἰς χρόνον ζητεῖτε μηκῦναι βίον: quae quid similitudinis habeant cum illo exordio sermonis in aperto est. Et talia suapte natura maxime locum habent in principiis sermonum; cuius generis nos quidem non multa laudare possumus, sed non dubitamus quin diligentior observatio plura et meliora fortasse indagatura sit. Ita Βασιλεὺς in Aeschyli Supplicibus ab his versibus orditur (224)

ποδαπὸν ὅμιλον τόνδ' ἀνελληνόστολον
πέπλοισι βαρβάροισι καὶ πυκνώμασι
χλίοντα προσφωνοῦμεν; οὐ γὰρ Ἀργολὶς
ἐσθὴς γυναικῶν οὐδ' ἀφ' Ἑλλάδος τόπων.
ὅπως δὲ χώραν οὔτε κηρύκων ὕπο,
ἀπρόξενοί τε, νόσφιν ἡγητῶν, μολεῖν
ἔτλητ' ἀτρέστως, τοῦτο θαυμαστὸν πέλει.

In Euripidis autem Supplicibus Theseus praeconi haec respondet (426)

κομψός γ' ὁ κῆρυξ καὶ παρεργάτης λόγων.
ἐπεὶ δ' ἀγῶνα καὶ σὺ τόνδ' ἠγωνίσω,
ἄκου'· ἅμιλλαν γὰρ σὺ προὔθηκας λόγων

idemque in eadem fabula ita loquitur (840)

νῦν δ' Ἄδραστον ἱστορῶ·
πόθεν ποθ' οἵδε διαπρεπεῖς εὐψυχίᾳ
θνητῶν ἔφυσαν; εἰπέ γ', ὡς σοφώτερος.

Sed quoniam agitur de convertenda oratione a narrandi in appellandi et adloquendi modum non in principiis sermonum sub-

sistendum est, sed ut recte iudicetur et penitus perspiciatur quam proclivis iste transitus in sermonum vicibus fuerit, ne talia quidem negligenda sunt qualia Oedipus iactat in Tiresiam, cum primo de praesenti tamquam absenti loquitur, dein subito in ipsum orationem flectit (383)

εἰ τῆσδέ γ' ἀρχῆς
Κρέων ὁ πιστός, οὑξ ἀρχῆς φίλος,
λάθρα μ' ὑπελθὼν ἐκβαλεῖν ἱμείρεται,
ὑφεὶς μάγον τοιόνδε μηχανορράφον,
δόλιον ἀγύρτην, ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσιν
μόνον δέδορκε, τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός·
ἐπεί, φέρ' εἰπέ, ποῦ σὺ μάντις εἶ σαφής;

Et haec in progrediente oratione: quid quod in una eademque sententia loquens a tertia ad secundam se convertat personam, velut Achilles Il. IX 418

καὶ δ' ἂν τοῖς ἄλλοισιν ἐγὼ παραμυθησαίμην
οἴκαδ' ἀποπλείειν, ἐπεὶ οὐκέτι δήετε τέκμωρ
Ἰλίου αἰπεινῆς

et Il. XXIII 208

ἀλλ' Ἀχιλεὺς Βορέην ἠδὲ Ζέφυρον κελαδεινὸν
ἐλθεῖν ἀρᾶται, καὶ ὑπίσχεται ἱερὰ καλά,
ὄφρα πυρὴν ὄρσητε καήμεναι, ᾗ ἔνι κεῖται
Πάτροκλος.

Quae qui recte et ut oportet taxaverit, cavebit, opinamur, in eorum sententiam pedibus ire qui aut in Aristophanis Lysistrata (486) cum choro senum hortanti

ἀλλ' ἀνερώτα καὶ μὴ πείθου καὶ πρόσφερε πάντας ἐλέγχους
ὡς αἰσχρὸν ἀκωδώνιστον ἐᾶν τὸ τοιοῦτον πρᾶγμα μεθέντας

Πρόβουλος respondet

καὶ μὴν αὐτῶν τοῦτ' ἐπιθυμῶ νὴ τὸν Δία πρῶτα πυθέσθαι
ὅ τι βουλόμεναι τὴν πόλιν ἡμῶν ἀπεκλῄσατε τοῖσι μοχλοῖσιν

αὐτῶν insequente *ἀπεκλῄσατε* ferendum non esse rati variis modis 14
mutatum iverunt*), aut in Euripidis Hecuba (1195)

καί μοι τὸ μὲν σὸν ὧδε φροιμίοις ἔχει·
πρὸς τόνδε δ' εἶμι καὶ λόγοις ἀμείψομαι,
ὃς φῂς Ἀχαιῶν πόνον ἀπαλλάσσων διπλοῦν
Ἀγαμέμνονός θ' ἕκατι παῖδ' ἐμὸν κτανεῖν

*33) [Eccles. 180 *χαλεπὸν μὲν οὖν ἄνδρας δυσαρέστους νουθετεῖν, οἳ τοὺς φιλεῖν μὲν βουλομένους δεδοίκατε.*]

τόνδε ὅς φήσ' maluerunt scribi quam quod vulgabatur ante *τόνδε ὅς φῂς*; quae licet minutissima sit ac paene *ἀναίσθητος* discrepantia, tamen noviciam scripturam cur receptae praeferamus nihil esse arbitramur. Aristophani placuerunt etiam haec in Ranis (1007) Aeschylo dicente

θυμοῦμαι μὲν τῇ ξυντυχίᾳ, καί μου τὰ σπλάγχν' ἀγανακτεῖ,
εἰ πρὸς τοῦτον δεῖ μ' ἀντιλέγειν· ἵνα μὴ φάσκῃ δ' ἀπορεῖν με,
ἀπόκριναί μοι, τίνος οὕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητήν;

quamquam haec quoque quamvis optime formata non defuerunt qui aequabilitatis restituendae causa in deterius mutarent. Commoti animi indicia prae se ferunt Oedipi verba in Polynicem ardescentis, non dissimilia illis in Tiresiam iactatis, (Oed. Col. 1354)

νῦν δ' ἀξιωθεὶς εἶσι κἀκούσας γ' ἐμοῦ
τοιαῦθ' ἃ τὸν τοῦδ' οὔ ποτ' εὐφρανεῖ βίον,
ὅς γ', ὦ κάκιστε, σκῆπτρα καὶ θρόνους ἔχων
τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα τόνδ' ἀπήλασας κτλ.

Quo exemplo uti poterat is qui de sublimitate scripsit, qui (c. 27 p. 50) quo hoc genus declararet et Demosthenis concitata verba in Aristogitonem citavit (I 27) ὅς, ὦ *μιαρώτατε ἁπάντων*, et haec placidiora quae in Odyssea (IV 684) leguntur

μὴ μνηστεύσαντες μηδ' ἄλλοθ' ὁμιλήσαντες
ὕστατα καὶ πύματα νῦν ἐνθάδε δειπνήσειαν,
οἳ θάμ' ἀγειρόμενοι βίοτον κατακείρετε πολλόν.

Nec fortasse inutilia sunt in nostra causa, etsi quid proprii habent, quae idem eodem loco ex Hecataei libro memoravit ita narrantis *Κῆυξ δὲ ταῦτα δεινὰ ποιούμενος αὐτίκα ἐκέλευε τοὺς Ἡρακλείδας ἐπιγόνους ἐκχωρεῖν· οὐ γὰρ ὑμῖν δυνατός εἰμι ἀρήγειν κτλ.*

His igitur quae collegimus pauca, quamquam quaedam intercedunt discrimina quae diximus, tamen tantum fortasse dandum est, ut intelligatur non fuisse quod Euripidis orationem in Hercule, unde profecti huc delati sumus, quamvis leni manu ad concinniorem formam revocarent, verum credibile esse poetam omissa exacta aequabilitate sed non inconsulto maluisse scribere quae librarii exararunt quam quae doctus criticus commentus est

εἰς καιρὸν οἴκων Ἀμφιτρύων ἔξω περᾷ.
χρόνος γὰρ ἤδη δαρὸς ἐξ ὅτου πέπλοις
κοσμεῖσθε σῶμα.

Nam narratae rei quod causa cur *καιρὸν* esse dixerit ad personas relata per *γὰρ* particulam subiicitur, ne illud quidem aut singulare

est aut ratione carens. Denique ne hic quidem, quoniam in mentem est, omittimus Romani scriptoris orationem ad illum modum conformatam afferre: sic enim Cicero Atticum dicentem facit (de legib. I 1, 3) *non dubito id quidem, sed haec iam non ex te, Quinte, quaero, verum ex ipso poeta, tuine versus hanc quercum severint an ita factum de Mario ut scribis acceperis.* Qui quae una oratione coercuit, *quaero ex ipso poeta tuine versus severint*, ita comparata sunt, ut neque aequabilitatis specie probentur neque ullam verisimilem correctionem recipiant. Et talia possunt fidem facere ne si quae facilius curae emendatrici cedant nostro arbitratu in ordinem cogamus. Nam vulgo critici si qua est offensio, sive iusta sive non iusta, ita agunt, ut quae corrigi possint, facili praesertim opera, corrigant, quae non possint, etiamsi eorum similitudo attendenti in oculos incurrat, praetermittant securi, ac raro ultra eum locum quem sua libidine temptant sermonis itinera ac rationes cum studio persequantur. Atque hoc illud est quod nos qui nihil ipsi facientes vice cotis fungi malumus etiam atque etiam adolescentibus nostris auctores sumus ne scriptorem veterum emendare instituant prius quam et ipsum et qui cum eo aetate aut genere coniuncti sunt indefessa lectione ac non languescente observatione per omnes consuetudines ac delicias, libertates etiam ac licentias, penitus pernoverint. Scr. m. Aprili a. MDCCCXCVII.

XLVII. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1898.

Quaestiones quasdam Aristophaneas prooemiandi causa colligimus, non graves admodum, sed quibus quamvis levioribus tamen hoc fortasse ostendi possit, quid agendum sit in hoc genere ut aliquid argumentandi vi efficiatur. Et hoc esse utile censemus iis si qui ad haec studia incumbunt, a principio sibi persuadere non meram libidinem regnare in his rebus, sed rationibus et causarum momentis probari et reprobari oportere ut certi quid constituatur. Disseremus autem primum de versibus nonnullis Equitum vulgo non recte scriptis aut parum prospere interpretatis. Eam fabulam a. MDCCCLXIX Adolphus Velsenus a se emendatam et locupletissimo apparatu critico instructam ediderat; cuius libellum, pridem divenditis exemplaribus, nuper demum Conradi Zacheri laudabile consilium instaurandum curavit. Qui cum in adnotatione Velseni, quam duplicem servavit, nonnulla removeret, alia suppleret, tum poetae verba ita descripsit, ut in multis a Velseno mutatis pristinam scripturam restitueret, sed et ipse non pauca suo periculo aut aliorum exemplo corrigeret, plura etiam cruce critica adhibita in suspicionem vitii vocaret. Quam recognitionem non indiligenter nec sine eruditione factam qui accuratius pertractaverit, id quidem fatebitur, in hac quoque comoedia accidisse, quod in multis veterum libris, ut eo verior sit eorum conformatio, quo propius a testata scriptura absit, sed et illud intelliget, non nihil abesse, ut huius comoediae oratio novissimi editoris manu adornata iam eam in omnibus speciem induerit, in qua facile acquiescas ac frui poetae lepore nullis scrupulis aut salebris impeditus possis. Ad eam igitur stabiliendam explicandamve aliquid si possumus conferemus.

I Initium agendi facimus a principio comoediae. Inde a v. 11 haec habet Zacheri liber cum Velseno ac plerisque

11 *ΔΗ. τί κινυρόμεσθ' ἄλλως; οὐκ ἐχρῆν ζητεῖν τινα*
σωτηρίαν νῷν, ἀλλὰ μὴ κλάειν ἔτι;

ΝΙ. τίς οὖν γένοιτ᾽ ἄν; ΔΗ. λέγε σύ. ΝΙ. σὺ μὲν οὖν μοι λέγε,
14 *ἵνα μὴ μάχωμαι. ΔΗ. μὰ τὸν Ἀπόλλω ᾽γὼ μὲν οὔ.*
16 *ΝΙ. πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρὴ λέγειν;*
15 *ΔΗ. ἀλλ᾽ εἰπὲ θαρρῶν, εἶτα κἀγὼ σοὶ φράσω.*
17 *ΝΙ. ἀλλ᾽ οὐκ ἔνι μοι τὸ θρέττε.*

De his versibus Hermannus Sauppius olim disputavit in epistola critica ad Godofredum Hermannum data; quae nunc legi possunt in opusculorum Sauppianorum corpore Conradi Trieberi pietate condito et composito p. 152. Et ordinem quidem versuum 16 et 15 a Sauppio constitutum Zacherus retinuit, ipsa sententia utrumque manifestum faciente, tam versus 15 et 17

ἀλλ᾽ εἰπὲ θαρρῶν
ἀλλ᾽ οὐκ ἔνι μοι τὸ θρέττε

se nullo intervallo excepisse, quam v. 16 *πῶς ἂν σύ μοι λέξειας* medium inter illos locum habere non potuisse; et hunc superioribus adnecti postea docebitur. In ceteris vero Zacherus a Sauppii sententia longius discessit, Bergkii Beeriique rationibus probatis, in quibus sunt quae nobis valde improbabilia videntur, velut illud primum, quod Demostheni, cuius ne in libris quidem sunt, haec de versu 14 *μὰ τὸν Ἀπόλλω ᾽γὼ μὲν οὔ**) adscribuntur, quae eam vim denegandi habent, ut vix apte in Demosthenis naturam animosiorem quadrare dicas; non minus hoc alterum, quod quae sunt in versu 13 sq. *σὺ μὲν οὖν μοι λέγε, ἵνα μὴ μάχωμαι*, quibus Niciae nomen praefigunt item praeter libros*), in unius sententiae ambitum coire volunt. Qui enim, quod iussus est ipse, *λέγε σύ*,

*20) Cf. 1041 *ταῦτ᾽ οἶσθ᾽ ὅ τι λέγει; ΔΗΜ. μὰ τὸν Ἀπόλλω ᾽γὼ μὲν οὔ*, et sic saepius, numquam sine vi, velut Av. 439. 263. Pac. 16. Acharn. 59. Thesm. 269 *μὰ τὸν Ἀπόλλω οὐκ ἤν γε μὴ ὀμόσῃς.*

*24) Non hercle multum in hac re librorum auctoritati tribuimus, qui saepe inter se discedunt et aperte falsa multa exhibent, sed tamen si quando vera tradunt, ea ultro depravari laudabile non est. At plerumque poeta ipse satis providit, ut consilia sua recte agnoscerentur, modo interpretes ea sequi vellent. Velut v. 146, ut hoc utamur, nos non dubitamus quin uni Demostheni adscribenda sint

ζητῶμεν αὐτόν. ἀλλ᾽ ὁδὶ προσέρχεται
ὥσπερ κατὰ θεὸν εἰς ἀγοράν. ὦ μακάριε κτλ.

quae Zacherus cum vulgo in duas dividit personas, ut ab *ἀλλ᾽ ὁδί* Nicias sermonem excipiat, cum apertum sit Demosthenem sibi ipsum hoc obiicere: 'quaeramus eum. Sed quid quaerere? en ipse accedit divinitus.' Cf. Ran. 1304 *ἐνεγκάτω τις τὸ λύριον. καίτοι τί δεῖ λύρας ἐπὶ τοῦτον*; Eccl. 933 sq. Vels.

regerit in alterum, *σὺ μὲν οὖν μοι λέγε*, h. e. 'immo tu mihi dicas', non videbitur satis commode adiicere *ἵνα μὴ μάχωμαι*; nam *μάχεται* h. e. altercatur; qua vi verbum et in hoc versu ponitur et alibi, velut Plut. 1076 *ἐγὼ περὶ ταύτης οὐ μαχοῦμαί σοι*, Eccles. 621, nec diversum est v. 339 *περὶ τοῦ πρότερος εἰπεῖν διαμαχοῦμαι*, de quo suo loco dicetur. Qui vero his ita iunctis Niciae praetoris ignaviam proeliari recusantis denotari statuunt, nimis levi indicio se duci patiuntur. Nam etsi poterat Nicias fortasse ita dicere, 'invenias tu salutare aliquid, ut ego ne debeam pugnare', tamen utrum hic an alter prius efferat quod sentit, ad proeliandi necessitatem nihil attinet. Verum si haec tecta Niciae significatio tam constaret, quam aliena est, tamen prius verba suo proprio sensu recte componantur necesse est, id quod videmus abesse. Itaque in his, etsi nemo probavit, nobis vera visa est Sauppii interpretatio, haec verba *ἵνα μὴ μάχωμαι* a praegressis separantis in hunc modum*), ut incitanti Demostheni *σὺ μὲν οὖν μοι λέγε* Nicias respondeat, se velle dicere ne rixetur: *ἵνα μὴ μάχωμαι* scil. *λέξω*. Quem morem loquendi Sauppius confirmavit exemplis Platonicis velut de Cratylo *ἵνα μὴ μαχώμεθα, ἀπόδεξαί μου ὃ λέγω* et in Republica *ἔστω ἵνα σοι μὴ διαφέρωμαι*; eaque vis verborum in hoc rixantium famulorum sermone eo facilius intelligi poterat, quia verbum *μάχεσθαι* ut diximus non saepius de armis quam de verbis poni solet. Illud quoque Sauppius probe intellexit, quae insequuntur verba *μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ* non Demosthenis esse, cuius ingenium respuit, sed cui in libris tribuuntur, Niciae; iisque tertio loco adhaerescere verba Euripidea *πῶς ἂν σύ μοι λέξειας*, ab eodem Nicia in suam sententiam conversa. Sed ut haec recte statuuntur, ita Sauppius cum et ipse in his inesse putet quod Niciae inertiam ludibrio tangat a vera sententia nobis quidem videtur deflexisse. Itaque nos nostrum interpretandi iter persequimur. Etenim Nicias, posteaquam se velle dicere quod habeat in mente fassus est, cum in eo est ut promat, metu correptus rursus se negat esse dicturum, *μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ*: quae verba falso accipiuntur, si quis, ut ipse Sauppius, ex *μάχωμαι* repeti

*16) Posse haec unum enuntiatum efficere, *σὺ μὲν οὖν μοι λέγε, ἵνα μὴ μάχωμαι*, non negatur, conf. Acharn. 111 *φράσον ἐμοὶ σαφῶς ἵνα μή σε βάψω*, sed hoc nunc sententia non patitur; et *ἵνα* vel *ἵνα μή* ex cogitato, non posito verbo pendere posse, docet Av. 355 *οὗτος οὐ μενεῖς; ΕΤ. ἵν' ὑπὸ τούτων διαφορηθῶ;*

posse quod illis addatur putat, quasi dicat personatus Nicias *μὰ τὸν Ἀπόλλω ἐγὼ μὲν οὐ μαχοῦμαι.* Sed ut ad illa *ἵνα μὴ μάχωμαι* ex iussu *σὺ μὲν οὖν μοι λέγε* cogitabatur *λέξω*, sic ad haec *μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ*, quae contrariam illis sententiam continent, dicendi verbum audiendum est *μὰ τ. Ἀ. ἐγὼ μὲν οὐ λέξω.* Denique eodem cursu loquendi Nicias verba adnectit ex Euripidis Hippolyto deprompta, *πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρὴ λέγειν*, quae iam apparet nisi huic loco non accommodata esse. Ut enim Phaedra Euripidea cupit illa quidem dicere quo malo prematur, sed cum iam dictura est, veretur ac tergiversatur et malit a nutrice proferri quod ipsa prodat oportet, sic Nicias altercationis evitandae causa paratus erat dicere, dein metu impediente hoc a se impetrare non potest et magis alterum cupit eloqui, ipse quod sentit. Et ad hunc versum praecipue et illam Niciae vacillantem mentis condicionem quam dicimus egregie applicatur Demosthenis responsum (15) *ἀλλ' εἰπὲ θαρρῶν, εἶτα κἀγὼ σοὶ φράσω.* Qui quod nunc Euripideum versum esse non attendit, cum paulo post (v. 18. 19) Niciam ob Euripidis mentionem factam increpet, nihil est quod legentem offendat: nam Nicias quam sententiam suis verbis exprimere poterat, maluit Euripideo versu efferre, quippe in suum mentis statum insigniter facto. Hunc autem cursum ser- 6
monis quem esse in versibus 14—17 volumus, si recte explicuerimus, apertum est, nihil in his cavillationis inesse praetorem Niciam carpentis. Etenim ut planius etiam, si fieri potest, dicamus quod volumus (nam in hoc genere allusionis quam dicunt difficile persuadetur doctis), tria sunt quae Nicias, alter famulorum, uno tenore sed haesitando et breviculis intervallis promit: primum 'esto: dicam quod sentio, ne rixer'; dein reformidat exsequi quod se velle modo dixit; metus enim servilis prohibet ne proferat quod ei iam inter labra haeret verbum ominosum *αὐτομολῶμεν* (26); denique mavult alterum eloqui, ipse quod voluerat. Haec tria praeclare inter se cohaerent et pingunt animi motum qui est in Nicia, modo volente, rursus nolente *dicere* et alterius opem implorante: nam de nulla re alia nisi de *dicendo* agitur. Atqui quia verba *ἵνα μὴ μάχωμαι* soluta a dicendi notione et per se posita in imperatorem Niciam cadere possunt, si quis idcirco hanc ambiguitatem lusus causa inferendam statuit, corrumpuntur et distrahuntur quae optime concinnata erant. Et hunc igitur errorem cavendum esse dicimus, ne particulam ex contextu ser-

monis eximentes ex ea colligamus, quae contextus ipse excludit et vana esse persuadet.

Inde a versu Euripideo ad suam sedem retracto reliqua suapte sponte fluunt neque inhibentur. Sed nobis ad superiora redeundum est. Etenim Sauppius, ut ratio constaret quam inde a versu 14 inierat, in prioribus eam descriptionem sermonis et personarum secutus est quae olim vulgabatur et quae est ipsa librorum distributio.

11 *ΔΗ. τί κινυρόμεθ' ἄλλως; οὐκ ἐχρῆν ζητεῖν τινα*
σωτηρίαν νῷν, ἀλλὰ μὴ κλάειν ἔτι;
ΝΙ. τίς οὖν γένοιτ' ἄν; λέγε σύ. ΔΗ. σὺ μὲν οὖν μοι λέγε.

Quare de ea re nihil erat quod verba faceret. Sed postea exstitit, sive Beerius sive Bergkius, qui cum versu 13 quae unius erant in duas divideret personas, *ΝΙ. τίς οὖν γένοιτ' ἄν; ΔΗ. λέγε σύ*, hoc assecutus est, ut in proximis nihil iam recto talo stare videretur. Ex illo enim principio manavit ista personarum descriptio, quam falsam esse et poetae menti contrariam demonstrare studuimus. Sed semel iacto infelici commento, nemo postea ausus est ab isto errore ad sanam sententiam redire. Quid enim Demostheni salutem aliquam quaerendam esse proponenti aptius responderi potuit ab altero quam *τίς οὖν γένοιτ' ἄν; λέγε σύ* h. e. ne quis pronomen frustra adiectum esse ducat 'tu qui modo quaerere salutem iubebas.' Et hoc quod ratio suadet, comprobant exempla. Ut enim mittamus toties ad hunc modum formata enuntiata

τοῦ δ' οὕνεχ' ἡμᾶς ταῦτ' ἔδρασαν; εἰπέ μοι Pac. 210
φέρ' ἴδω, σὺ τοῦτον τί ὀνομάζεις; εἰπέ μοι Nub. 847
σὺ δὲ δὴ τί βουλεύει ποιεῖν; λέγ' Αἰσχύλε Ran. 865
'Αγάθωνα πεῖσαι .. ἐς θεσμοφόροιν ἐλθεῖν. ΚΗΔ. τί δρά-σοντ'; εἰπέ μοι Thesmoph. 89,

quae innumera sunt, plane eandem rationem prae se ferunt haec quae leguntur in Vespis 346

7 *ἀλλ' ἐκ τούτων ὥρα τινά σοι ζητεῖν καινὴν ἐπίνοιαν,*
ἥτις σε λάθρᾳ τἀνδρὸς τουδὶ καταβῆναι δεῦρο ποιήσει.
ΦΙ. τίς ἂν οὖν εἴη; ζητεῖθ' ὑμεῖς, ὡς πᾶν ἂν ἔγωγε ποιοίην.

Quid enim similius esse potest versibus quos disceptamus Equitum? Itaque, *εἴ τι ἐμὴ ξυμβουλή*, inquit Plato, Aristophanis editoribus auctores simus ut in posterum hanc sermonis partem ita exprimendam curare velint

11 *ΔΗ. τί κινυρόμεθ' ἄλλως; οὐκ ἐχρῆν ζητεῖν τινα*
σωτηρίαν νῷν, ἀλλὰ μὴ κλάειν ἔτι;
*ΝΙ. τίς οὖν γένοιτ' ἄν**); *λέγε σύ. ΔΗ. σὺ μὲν οὖν μοι λέγε.*
14 *ΝΙ. ἵνα μὴ μάχωμαι. — μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ.*
16 *πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρὴ λέγειν;*
15 *ΔΗ. ἀλλ' εἰπὲ θαρρῶν, εἶτα κἀγὼ σοὶ φράσω.*
17 *ΝΙ. ἀλλ' οὐκ ἔνι μοι τὸ θρέττε.*

Atque haec in Sauppii laudes eximii viri dicta sunto. Zacherus vero quod ab eodem Sauppio (Opp. 785) emendatum versum 742 in hoc tenore sermonis

741 *ΚΛ. εὖ γὰρ ποιῶ τὸν δῆμον. ΑΛΛ. εἰπέ μοι, τί δρῶν;*
ΚΛ. ὅ τι; τὸν στρατηγὸν ὑποδραμὼν τοὺς ἐκ Πύλου,
πλεύσας ἐκεῖσε, τοὺς Λάκωνας ἤγαγον.
ΑΛΛ. ἐγὼ δὲ περιπατῶν γ' ἀπ' ἐργαστηρίου
745 *ἕψοντος ἑτέρου τὴν χύτραν ὑφειλόμην*

spretis quae ante temptata erant omnibus recipiendum duxit, nos, etsi fatemur aliquid speciosi esse in ista ratione, valde dubitamus approbare. Nam licet verum sit, *τὸν στρατηγόν* quem se *ὑποδραμεῖν* dicit Cleon non posse nisi Demosthenem esse, et ut hic memoretur, iis quae sunt in allantopolae responso *ἕψοντος ἑτέρου* tantum non flagitari, illa quoque quae scribit Sauppius *τοὺς ἐκ Πύλου .. τοὺς Λάκωνας* similibus ab ipso allatis, Equit. 1200

ΚΛ. οἴμοι τάλας, ἀδίκως γε τἄμ' ὑφήρπασας.
ΑΛΛ. νὴ τὸν Ποσειδῶ, καὶ σὺ γὰρ τοὺς ἐκ Πύλου scil. *ὑφήρπασας,*

et Nub. 186 *τοῖς ἐκ Πύλου ληφθεῖσι τοῖς Λακωνικοῖς*, defendi, tamen nescio quo pacto in ista conformatione esse sentimus, quod male habeat legentem nec iis album calculum adiicere sinat. Istam enim sententiam si sequimur, necesse est haec verba *πλεύσας ἐκεῖσε* coniungamus cum verbis *τὸν στρατηγὸν ὑποδραμών*: quippe *πλεύσας ἐς Πύλον* ille *τὸν στρατηγὸν* h. e. Demosthenem *ὑπέδραμεν*, et quod ita participium participio superadditur, neminem Aristophanei moris gnarum offendet, qui vel talia ferebat, quale est v. 56 *πανουργότατά πως παραδραμὼν ὑφαρπάσας αὐτὸς παρέθηκε.* Sed posse haec ita iungi, ut sententia requirit, etiam atque etiam du-

*3) *τίς ἂν οὖν γένοιτ' ἄν* qui proposuit, proposuit quod recte scribi potuit ut supra in Vesp. *τίς ἂν οὖν εἴη* et Lysistr. 191 *τίς ἂν οὖν γένοιτ' ἂν ὅρκος*, sed hoc necessarium esse non magis credimus quam v. 86 *ἴσως γὰρ ἂν χρηστόν τι βουλευσαίμεθ' ἄν* (pro *βουλευσαίμεθα*) de Meinekii opinione.

8 bitamus. Non nos fugit Aristophanem non ita raro paulo liberius verba in versu collocasse, quae res hic illic emendandi cupidos irretivit. Verum nunc verba *πλεύσας ἐκεῖσε* ita media in hac altera oratione posita sunt, ut ab ea seiungi ne vi quidem posse videantur: *τοὺς ἐκ Πύλου πλεύσας ἐκεῖσε τοὺς Λάκωνας ἤγαγον.* Quod si ita est, intelligitur, non satis apte iis separatim praemitti verba *τὸν στρατηγὸν ὑποδραμών*, si quidem haec ad Demosthenem referri opus est. Itaque redeundum est ad scripturam librorum fide acceptam *τῶν στρατηγῶν ὑποδραμόντων ἐκ Πύλου*, quae facilem explicatum habent. Ea enim non possunt nisi ad res gestas Athenis ante profectionem Cleonis et ad contumeliam Niciae in contione ab eo factam redire. Quae cum a Thucydide ita tradantur, ut Cleonem dicentem faciat (ιv 27), *καὶ ἐς Νικίαν τὸν Νικηράτου στρατηγὸν ὄντα ἀπεσήμαινεν, ἐχθρὸς ὢν καὶ ἐπιτιμῶν, ῥᾴδιον εἶναι παρασκευῇ, εἰ ἄνδρες εἶεν οἱ στρατηγοί, πλεύσαντας λαβεῖν τοὺς ἐν τῇ νήσῳ, καὶ αὐτός γ' ἄν, εἰ ἦρχεν, ποιῆσαι τοῦτο* et paulo post addat *αὖθις δὲ ὁ Νικίας ἐκέλευε καὶ ἐξίστατο τῆς ἐπὶ Πύλῳ ἀρχῆς*, satis apparet quo iure Cleon Aristophaneus dicere potuerit praetoribus a Pylo subterfugientibus se illuc navigasse et Laconas adduxisse. Quae ab Aristophanis mente non abhorrere indicio sint quae Cleon v. 355 dicit *ὅστις εὐθὺς θύννεια θερμὰ καταφαγών, κἆτ' ἐπιπιὼν ἀκράτου οἴνου χοᾶ κασαλβάσω τοὺς ἐν Πύλῳ στρατηγούς* coll. v. 358. Allantopoles autem, quod istam iactationem Cleonis his verbis ludibrio habet

ἐγὼ δὲ περιπατῶν γ' ἀπ' ἐργαστηρίου
ἕψοντος ἑτέρου τὴν χύτραν ὑφειλόμην,

non est quod vituperemus aut ad eorum normam superiora exigamus: nimirum ille non hoc egit, quo nihil opus erat, ut singula singulis responderent, sed universe Cleonis facinus luculentum quale fuerit ostendit collatum cum eo qui nihil agens coquente altero ollam ei subripuit. Quare Kockium probamus, qui quamquam in eandem cum Sauppio opinationem inciderat, tamen eam aspernatus propius a librorum scriptura edidit *ὅτι τῶν στρατηγῶν ὑποτρεμόντων ἐκ Πύλου*, nisi quod et de verbi forma ab eo restituta dubitatio haeret et de rationibus quibus illam scripturam confirmare studuit.

II Chorus equitum posteaquam suum illud *παῖε παῖε τὸν*
9 *κανοῦργον κτλ.* (247)*) incedens recitavit, et Paphlago metu

*38) Quod dicit (249)

percussus heliastarum inter spectatores sedentium suppetias invocavit

255 *ὦ γέροντες ἡλιασταί, φράτερες τριωβόλου,*
οὓς ἐγὼ βόσκω κεκραγὼς καὶ δίκαια κἄδικα,
παραβοηθεῖθ', ὡς ὑπ' ἀνδρῶν τύπτομαι ξυνωμοτῶν,

ex postremis verbis ansam petens chorus haec illi reiicit

258 *ἐν δίκῃ γ', ἐπεὶ τὰ κοινὰ πρὶν λαχεῖν κατεσθίεις,*
κἀποσυκάζεις πιέζων τοὺς ὑπευθύνους σκοπῶν
ὅστις αὐτῶν ὠμός ἐστιν ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων,
κἄν τιν' αὐτῶν γνῷς ἀπράγμον' ὄντα καὶ κεχηνότα,
καταγαγὼν ἐκ Χερρονήσου διαλαβὼν ἀγκυρίσας
εἶτ' ἀποστρέψας τὸν ὦμον αὐτὸν ἐνεκολήβασας.
καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν,
πλούσιος καὶ μὴ πονηρὸς καὶ τρέμων τὰ πράγματα.

Scripsimus haec sic ut in Zacheri libello leguntur; in quibus quae nobis improbentur, ut patefaciamus, conamur interpretari singula: *ἐν δίκῃ γε* h. e. *δικαίως**) inquit chorus scil. *τύπτει ὑπ' ἀνδρῶν*

καὶ πανοῦργον καὶ πανοῦργον· πολλάκις γὰρ αὔτ' ἐρῶ.
καὶ γὰρ οὗτος ἦν πανοῦργος πολλάκις τῆς ἡμέρας,

loquitur ut Hermiona in Euripidis Andromacha 943 *ἀλλ' οὔποτ' οὔποτ', οὐ γὰρ εἰσάπαξ ἐρῶ, χρὴ τούς γε νοῦν ἔχοντας κτλ.*, cui similia sunt in Phoeniss. 1335

ΑΓΓ. ὦ τάλας ἐγώ, τίν' εἴπω μῦθον . .
ΚΡ. οἰχόμεσθ'· οὐκ εὐπροσώποις φροιμίοις ἄρχει λόγου.
ΑΓΓ. ὦ τάλας, δισσῶς ἀυτῶ· μεγάλα γὰρ φέρω κακά.

et apud Aeschylum Eumen. 992

χαίρετε, χαίρετε δ' αὖθις, ἐπεὶ διπλοίζω.

et Choeph. 868

οἴμοι πανοίμοι δεσπότου τεθνηκότος
οἴμοι μάλ' αὖθις ἐν τρίτοις προσφθέγμασιν.

et apud Horatium

teque, dum procedis, io Triumphe,
non semel dicemus, io Triumphe.

Quae nota sunt nec memorassemus nisi Zachero quae adduntur *καὶ γὰρ οὗτος ἦν πανοῦργος πολλάκις τῆς ἡμέρας* nescio quid dubitationis attulissent, qui se negat *τῆς ἡμέρας* intelligere et *χὠσημέραι* reponi posse credit. Utrumque mirum: nam ne dicamus in epistola Platonica quae fertur scribi *δίς τε τῆς ἡμέρας ἐμπιπλάμενον ζῆν καὶ . .*, quid tandem diversi est in Acharn. 66 *μισθὸν φέροντας δύο δραχμὰς τῆς ἡμέρας*, ut schol. ad Vesp. 663 scribit *ἑκάστῳ τριώβολον τῆς ἡμέρας*; multaque id genus Blaydesium congerere ad Vesp. 661 videmus.

*17) Cf. Vesp. 508 *αἰτίαν ἔχω . . .* ‖ *Νὴ Δί' ἐν δίκῃ γε.* Thesmoph. 830 *πόλλ' ἂν αἱ γυναῖκες ἡμεῖς ἐν δίκῃ μεμψαίμεθ' ἂν τοῖσιν ἀνδράσιν δικαίως.*

et rationes recenset quibus hoc iure fieri confirmet: primum *ἐπεὶ τὰ κοινὰ πρὶν λαχεῖν κατεσθίεις*, quae sensum quidem perspicuum habent, quamquam quae res potissimum significetur ambiguum est; deinde alterum *καὶ ἀποσυκάζεις πιέζων τοὺς ὑπευθύνους σκοπῶν ὅστις αὐτῶν ὠμός ἐστιν ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων*: in quibus primum illud mixtum genus comparationis agnoscitur quod saepe diximus et apud hunc poetam multo usu frequentari constat: nam proprie dicuntur *τὰς συκᾶς ἀποσυκάζειν* et *τὰ σῦκα πιέζοντες σκοπεῖν**) *ὅ τι αὐτῶν ὠμόν ἐστιν ἢ μή*, sed haec nulla comparatione facta ad *ὑπευθύνους* applicantur, quos ille *πιέζων* arguitur temptasse, ut homines *τὰ σῦκα* solent. Sed de his quod tria appellari videntur quae ille premendo exquirat, dubitandi et corrigendi causam doctis suppeditavit, qui quia *μὴ πέπων* non esse possit nisi qui *ὠμός* vocetur, ne bis idem dicere videretur, *ἢ πέπων ἢ μηδέπω* aut *ἢ πέπων ἢ μὴ 'κπέπων* scribendum coniecerunt; quas coniecturas, quamquam nec *μηδέπω* nec *ἐκπέπων* satis usu stabilitur, Zacherus in adnotatione memorandas duxit. Atque etiam qui nihil mutari iubent, tamen interpretando hoc idem effici volunt, ut *maturi* et *nondum maturi* distinguantur. Ac tres gradus maturitatis in ficis discerni potuisse, quis dubitat cum respicit quae aut Theophrastus scribit de iunipero (hist. plant. III 12, 4) *ὡς οἱ ἐν Ἀρκαδίᾳ λέγουσι τρεῖς ἅμα καρποὺς ἴσχει, τόν τε περυσινὸν οὔπω πέπονα καὶ τὸν προπερύσινον ἤδη πέπονα καὶ ἐδώδιμον καὶ τρίτον τὸν νέον ὑποφαίνει* aut quae de uvis sunt in Odyssea (VII 125) *ἄλλας δὲ τραπέουσι· πάροιθε δέ τ' ὄμφακές εἰσιν ἄνθος ἀφιεῖσαι, ἕτεραι δ' ὑποπερκάζουσιν*. At horum similia Aristophanem significasse verba dissuadent; qui quod scribit *ὅστις αὐτῶν ἐστι πέπων ἢ μὴ πέπων*, non est ea duplex, quam duplicem putabant, sed simplex interrogatio: nam si quaeritur utrum quis maturus an non maturus sit, non diversa quaeruntur sed unum, sitne hoc an non sit, neque in *μὴ πέπων* plus aut aliud quam in *πέπων* inesse potest. *Ὅπως ἴδῃς εἴτ' ἔνδον εἴτ' οὐκ ἔνδον* (Aiac. 7);

Nub. 1332 *ὡς ἐν δίκῃ σ' ἔτυπτον.* ‖ *Καὶ πῶς γένοιτ' ἂν πατέρα τύπτειν ἐν δίκῃ*, sed ibid. 1377 *οὔκουν δικαίως — —* ‖ *αὖθις αὖ τυπήσομαι.* ‖ *Νὴ τὸν Δί' ἐν δίκῃ γ' ἄν.* ‖ *Καὶ πῶς δικαίως;* Pac. 628 *ἐν δίκῃ μὲν οὖν — —* ‖ *Νὴ Δί' ὦ μέλ' ἐνδίκως γε δῆτ'*, ubi *ἐν δίκῃ γε* reponunt plerique.

*9) Non recte putamus sic interpungi *πιέζων τοὺς ὑπευθύνους, σκοπῶν —*; nam ille dicitur *πιέζων σκοπεῖν*; non magis 262 *διαλαβών, ἀγκυρίσας*: immo *διαλαβὼν* (vel potius *διαβαλὼν* quod est in libris) *ἀγκυρίσαι* dicitur.

ἆρ' ἔστιν; ἆρ' οὐκ ἔστιν; (Oed. Col. 316). Quare illa non sunt tria quae tria esse videbantur, sed duo, ac sententiae satisfieri poterat hac forma *ὅστις αὐτῶν ὠμός ἐστιν ἢ πέπων*, sed maluit hoc alterum poeta pleniore oratione contrariis comparatis dispescere in duo: *ὅστις αὐτῶν ὠμός ἐστιν, ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων.* Quae ratio dicendi tam non quaesita est aut insolens, ut eam Aristophani placuisse credendum sit, etiam si nihil esset exemplorum quo eam confirmatum ires. Sed sunt exempla; quibus etiam increduli facilius sibi persuaderi patiuntur. Sic enim scribit Euripides in Oreste in colloquio quod est Menelaum inter et Orestem a v. 440

ΟΡ. ψῆφος καθ' ἡμῶν οἴσεται τῇδ' ἡμέρᾳ.
ΜΕ. φεύγειν πόλιν τήνδ' ἢ θανεῖν ἢ μὴ θανεῖν;
ΟΡ. θανεῖν ὑπ' ἀστῶν λευσίμῳ πετρώματι.

Sed rursus admirari licet interpretes tamquam in re singulari et inaudita obstupefieri. Vel Godofredus Hermannus, tantus vir, haesitabat nec se expediebat, ut etiam dubium de integritate scripturae moveret: 'nam valde inutile est, inquit, illud *ἢ μὴ θανεῖν*, quod si scripsit Euripides, intellegendum est ut scholiastes interpretatur *ἢ θανεῖν, ἢ μὴ θανεῖν ἀλλ' ἑτέρως κολασθῆναι δηλονότι.*' Et hoc futili scholio nescio cuius interpretis, quod Dindorfius ex Arsenii farragine (vol. I p. XXI sq.) deprompsit, Ed. Schwartzii iusta recensio, ut par fuit, contempsit, tamquam unica salute nituntur etiam posterioris aetatis interpretes non unus sed complures, ac non vident, quam ineptum sit supplementum sententiae quod mente addi iubet scholiasta. Sunt etiam qui cum taceant interpungendo patefaciunt se rem non intellexisse, *φεύγειν πόλιν τήνδ', ἢ θανεῖν, ἢ μὴ θανεῖν.* Quid multa? Apparet duo significari, de quibus decretum exspectabatur publicum, exilium aut mortem, hanc autem afferri ita ut quaerat Menelaus *ψῆφος οἴσεται θανεῖν ἢ μὴ θανεῖν*, hoc eo modo quo Euripides Aristophaneus dicit (Thesmoph. 77)

τῇδε θἠμέρᾳ κριθήσεται 11
εἴτ' ἔστ' ἔτι ζῶς εἴτ' ἀπόλωλ' Εὐριπίδης,

ubi de sola morte agitur sed ita ut per contraria composita significetur unum. Sed in Euripide nemo Aristophanis memor fuit, non magis quam in Aristophane Euripidis. Neque novimus interpretem qui haec duo exempla inter se plane gemella ad declaranda quaedam similia arcessiverit quae exstant, quae interpretes hic illic tetigerunt, sed ut plerumque nec afferrent omnia nec eorum

vim et proprietatem recte aestimarent. Sunt autem haec, quae nobis nota sint: Lysistr. 128 ποιήσετ' ἢ οὐ ποιήσετ'; ἢ τί μέλλετε; Aeschyli in Septem 184 ἤκουσας ἢ οὐκ ἤκουσας, ἢ κωφῇ λέγω; quae plane illud genus duplicis interrogationis prae se ferunt quod dicimus; nam ποιήσετ' ἢ οὐ ποιήσετε, ἤκουσας ἢ οὐκ ἤκουσας non aliter iugantur quam πέπων ἢ μὴ πέπων, θανεῖν ἢ μὴ θανεῖν, et hic et illic duplici interrogationi quae est pro una apponitur alterum ab ea diversum. Quorum similitudinem sequi videntur haec quae Cassandra dicit in Agamemnone 1148 K.

ἥμαρτον ἢ κυρῶ τι τοξότης τις ὥς;
ἢ ψευδόμαντίς εἰμι θυροκόπος φλέδων;

quibus Schneidewini interpretatio non satisfacit; apparet autem prima duo, modo κυρῶ non θηρῶ scribatur, in unam interrogationem coire: *fehlt' ich oder traf ich?*, a quibus distat quod additur alterum ἢ ψευδόμαντίς εἰμι; nam etiam ἀληθόμαντις tam τυγχάνειν potest quam ἀποτυγχάνειν. Denique in Oed. Col. 317 quae dicit Antigona cum adventantem Ismenam conspicit ἆρ' ἔστιν; ἆρ' οὐκ ἔστιν; ἢ γνώμη πλανᾷ; habent quod cum illis conferre liceat.

Tantum de hoc dicendi genere, de quo disputationem nostram ab aliis continuari et locupletari velimus. Sed non relinquimus hanc rem quin verbo perstringamus versus Equitum inde a 606

ἤσθιον δὲ τοὺς παγούρους ἀντὶ ποίας Μηδικῆς,
εἴ τις ἐξέρποι θύραζε, κἀκ βυθοῦ θηρώμενοι.
ὥστ' ἔφη Θέωρος εἰπεῖν καρκίνον Κορίνθιον·
'δεινά γ', ὦ Πόσειδον, εἰ μήτ' ἐν βυθῷ δυνήσομαι,
μήτε γῇ μήτ' ἐν θαλάττῃ διαφυγεῖν τοὺς ἱππέας'

in quibus simile peccari videtur ab interpretibus quod peccatum est in v. 260; non magis enim illa tria μήτ' ἐν βυθῷ μήτε ἐν γῇ μήτε ἐν θαλάττῃ unam seriem efficiunt quam se uno ordine ὠμὸς ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων excipiebant; nam si coniungi velis μήτ' ἐν βυθῷ μήτε ἐν γῇ, haerebit aqua in θαλάττῃ; verum autem par constituunt μήτε γῇ μήτε ἐν θαλάττῃ, a quibus primum illud segregatum est et segregandum. Sic enim scribendum dicimus cum Brunckio prudenti homine μηδ' ἐν βυθῷ, quod a plerisque probatum Zacheri editio repudiavit; interpretamur autem ita, ut ex eo, quod πάγουροι ne in profundo quidem tuti sint, quasi colligatur, eos ergo neque terra neque mari se tueri posse ab equitibus.

Redimus ad ὑπευθύνους, quorum ex causis quid lucri fecer[it] Cleon planius etiam percipitur ex iis quibus idem accusatur 823 sqq.

μιαρώτατος, ὦ Δημακίδιον, καὶ πλεῖστα πανοῦργα δεδρακώς,
ὁπόταν χασμᾷ, καὶ τοὺς καυλοὺς
τῶν εὐθυνῶν ἐκκαυλίζων
καταβροχθίζει, κἀμφοῖν χειροῖν
μυστιλᾶται τῶν δημοσίων,

ubi ad εὐθυνῶν καυλοὺς adiungi τὰ δημόσια simili consilio videntur, quo supra simul et τὰ κοινὰ κατεσθίειν et ἀποσυκάζειν τοὺς ὑπευθύνους insimulabatur; quibus addas quod sycophanta in Acharn. 938 φαίνειν ὑπευθύνους λυχνοῦχος appellatur, et quae in Vespis (102. 571) de ὑπευθύνων iudiciis et corruptelis indicantur, ne quis ἀποσυκάζεις τοὺς ὑπηκόους potius quam ὑπευθύνους scripsisse Aristophanem Herwerdeno coniicienti fidem habeat. Sed his finitis quae sunt de ὑπευθύνων angustiis, quae quidem his duobus versibus (259. 260) absolvuntur, ut ad eam rem nihil addi amplius potuerit aut debuerit, pergit chorus enumerare Cleonis nefaria facta, quibus ei iure hoc accidere doceat quod adversariorum ictibus petatur:

261 κἄν τιν' † αὐτῶν γνῷς ἀπράγμον' ὄντα καὶ κεχηνότα,
καταγαγὼν ἐκ Χερρονήσου διαλαβὼν ἀγκυρίσας
εἶτ' ἀποστρέψας τὸν ὦμον αὐτὸν ἐνεκολήβασας.

Haec ita edita sunt a Zachero, cruce praefixa pronomini αὐτῶν, simul idem narrat in adnotatione, Kockium quia ex scholiis didicerit haec ad ξένους (συμμάχους) pertinere, versum 261 sic emendandum coniecisse ut reponeretur κἄν τιν' αὖ γνῷς τῶν ξένων ἀπράγμον' ἀνακεχηνότα, lenius eandem in sententiam Blaydesium κἤν ξένον που γνῷς ἀπράγμον' ὄντα κ. κ. Non inquirimus in singula nec cavillabimur criticos qui talia proponunt, qui quidem nobis videntur quodam insigni exemplo docere velle non solum pictoribus atque poetis quidlibet audendi semper fuisse potestatem; hoc unum quaerimus, ξένους a poeta dici quam fidem habere credimus, cum ξένων nec mentio fiat neque ea vox ulla probabili mutatione effici possit ex iis quae scripta sunt. Fuerunt etiam Zachero teste qui ἀστῶν ex αὐτῶν recuperandum proponerent, nullo illi quidem negotio, sed ut nescias qua ratione hoc sententiarum tenori, inprimis versui 264 καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν κτλ. accommodari voluerint. Sed hoc manifestum est αὐτῶν pronomen nec ad ὑπευθύνους referri posse, de quibus quae dicit poeta duobus

versibus absolvi vidimus a quorumque statu et officio haec res quae deinceps describitur non dubium est quin aliena fuerit, nec praeterea habere quo nitatur, hoc autem omisso reliquam orationem egregie explicari et si cui contingat ut huic pronomini aliquid stabilimenti reperiat, nihil plane esse quod culpetur aut emendandi curam requirat.

Sed his expositis quae porro exsequitur chorus

264 *καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν,*
πλούσιος καὶ μὴ πονηρὸς καὶ τρέμων τὰ πράγματα,

in iis quoque offensio nata est doctorum, nec iniuria, quamquam Zacherus a figenda cruce abstinuit; nam hoc satis non esse intelligitur, Cleonem dici *σκοπεῖν* qui civium sit dives nec pravus et causarum pavidus, sed iis qui ita sunt quid fecerit ille indicari necesse est. Itaque *σκοπεῖς* falso exaratum esse existimantes, ut aliquid fortius poneretur, pro eo Meinekius *καὶ σποδεῖς*, Kockius *καὶ κέκεις* (vel *ξυρεῖς*) restituendum coniecerunt. Omittimus verba posita examinare aut rationes inspicere quibus suam uterque opinionem firmaverit: illud dicimus, totam orationem ita formatam esse, nihil ut aptius recipere potuerit, quam ipsum illud reprehensum *σκοπεῖς*. Sic enim nunc dicitur *σκοπεῖς ὅστις πολιτῶν ἐστιν ἀμνοκῶν*, ut paulo ante (259) *σκοπῶν ὅστις αὐτῶν ὠμός ἐστιν*, et similiter alibi, Nub. 1096 *καὶ τῶν θεατῶν ὁπότεροι πλείους σκόπει*, aut Av. 450 *σκοπεῖν δ' ὅ τι ἂν προγράφωμεν ἐν τοῖς πινακίοις*. Quamquam quid opus est exemplis? Quid ergo est? *σκοπεῖν* cum sua oratione optime connexum dubitabimus loco movere aut mutando tollere: si manet, apparet integram quidem hanc orationem esse, sed desiderari partem alteram qua parte expositum fuerit, Cleon quid perpetraverit, ubi circumspiciendo invenerit cives quales volebat. Atqui cum meminerimus in versibus 261, 262, 263 nihil omnino depravatum fuisse, sed unum pronomen *αὐτῶν* non habuisse quo referri posset, iam paene proditur quid verum sit: nempe nihil in singulis prave scriptum sed duarum partium ordinem inversum esse; quo reparato, sicut par est, utrumque apparere probum esse et *σκοπεῖς* v. 264 et *αὐτῶν* v. 261.

264 *καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν,*
πλούσιος καὶ μὴ πονηρὸς καὶ τρέμων τὰ πράγματα·
261 *κἄν τιν' αὐτῶν γνῷς ἀπράγμον' ὄντα καὶ κεχηνότα,*
καταγαγὼν ἐκ Χερρονήσου διαβαλὼν ἀγκυρίσας
263 *εἶτ' ἀποστρέψας τὸν ὦμον αὐτὸν ἐνεκολήβασας.*

Non novum hoc est sed a Brunckio Argentoratensi a. MDCCLXXXIII inventum et breviter, ut illi veteres solebant, significatum. Cuius sententiam rationibus expositis confirmare et a contrariis opinionibus defensitare studuimus, non inutiliter fortasse, si quidem illam a nemine recentiorum probatam videmus, praeterquam a Velseno, a cuius iudicio Zacherus saepe suo iure, in hac re summa iniuria, ut nobis videtur, deflexit. Est autem hoc quoque officii critici, non solum emendare depravata sed certo emendata agnoscere ac tueri neque ea pati novis semper opinionibus obrui et in oblivionem adduci. Quod si hunc quem recuperavimus sententiarum ordinem curiosius rimabimur, non solum pronomen *αὐτῶν* iam suum habere, quo regatur, nomen intelligimus, sed etiam verba se sicut par est excipere, *καὶ σκοπεῖς τῶν πολιτῶν ὅστις κτλ. κᾶν τιν' αὐτῶν γνῷς*, quemadmodum Mercurius loquitur in Pace (543)

καὶ τῶνδε τοίνυν τῶν θεωμένων σκόπει
τὰ πρόσωφ', ἵνα γνῷς τὰς τέχνας.

Sed et illud probe institutum, quod ab *ὑπευθύνων* commemoratione (259. 260), qui cives quidem sunt et ipsi, utpote magistratus suo munere iam functi, ad universam civium multitudinem (264 *καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν*) progreditur, eodem modo quo paulo ante Demosthenes allantopolae qui *σύμμαχοι* sint futuri enumerat (225)

ἀλλ' εἰσὶν ἱππῆς ἄνδρες ἀγαθοὶ χίλιοι,
καὶ τῶν πολιτῶν οἱ καλοί τε κἀγαθοί.

nam cives sunt equites non minus quam *ὑπεύθυνοι*, sed ab utris- 14
que, qui peculiare genus civium constituunt, discedit *τὸ πλῆθος τῶν πολιτῶν*. Et quo magis perspiciatur, duas partes esse unius sententiae, quas suo connexui reddidimus, illud considerandum est, huius sententiae conformationem plane comparem esse ei quae praecessit de *ὑπευθύνων* rebus et miseriis: utraque enim harum sententia partes habet duas easdem sed ordine contrario et pleniores altera, altera breviores. Etenim ut ante dixit chorus (259) *ἀποσυκάζεις τοὺς ὑπευθύνους σκοπῶν ὅστις αὐτῶν πέπων ἐστίν*, sic dein eadem et plenius inverso ordine (264) *καὶ σκοπεῖς τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν, καὶ ἐάν τιν' αὐτῶν γνῷς ἀπράγμονα, ἐνεκολήβασας*. Illi vero argumento nos nihil tribuimus, quo Zacherus sibi visus est transponendi conamen confutasse; 'sed sic bis idem, inquit, de iisdem diceret Aristophanes (*τρέμων τὰ πράγματα — ἀπράγμον'*).' Nam qui huius orationis naturam peni-

tus perspexerit, quam traiectis versibus restituimus, non infitiabitur sine ulla offensione bis idem de iisdem dici potuisse, in hac scilicet sententia quae vel hanc conformationem ferebat, *σκοπεῖς τῶν πολιτῶν ὅστις πλούσιος καὶ τρέμων τὰ πράγματα, κἄν τιν' αὐτῶν γνῷς τοιοῦτον ὄντα.* Sed ne sunt quidem plane eadem utroque loco, quae ille eadem dixit, et scitius etiam Aristophanes orationem formavit, ut ita diceret, 'circumspicis civium qui sit *πλούσιος καὶ μὴ πονηρὸς καὶ τρέμων τὰ πράγματα*, et si quem horum offenderis secure desidem, necopinantem oppressisti'; nam qui *τρέμει τὰ πράγματα* non est idcirco *ἀπράγμων**) et huius vim nominis adiectum *κεχηνώς* (cf. 755; Ran. 990) patefacit, quae duo coniuncta plenissimam incogitantis socordiam designant.

In hos igitur cives Cleon sycophantarum more suis technis usus esse insimulatur; qui quibus modis et quibus calumniis privatos homines vexare solitus sit, ipse de se profitetur v. 774

ὃς πρῶτα μέν, ἡνίκ' ἐβούλευον, σοὶ χρήματα πλεῖστ' ἀπέδειξα
ἐν τῷ κοινῷ, τοὺς μὲν στρεβλῶν, τοὺς δ' ἄγχων, τοὺς δὲ μεταιτῶν,
οὐ φροντίζων τῶν ἰδιωτῶν οὐδενός, εἰ σοὶ χαριοίμην.

Nunc vero quod civem, si quis idoneus obvenerit quem fallaciis suis et insimulationibus perdat, a Cherroneso abduxisse et Athenis artibus suis irretitum pessum dedisse dicitur, apparet exempli causa aliquid proprii in sententia universa afferri; quod quale fuerit vix potest fugere eum, si quis, quo Cherronesi mentio facta ducit, Atheniensium *κληρούχων* fortunam et condicionem meminerit, qui cum cives essent Athenienses in Cherroneso Thracia aut in insulis vitam degebant et saepe divites ex pauperibus facti sycophantarum invidiam movere poterant, ut cum eorum res diiudicari nisi Athenis non possent, ex agris suis Athenas adducti et iniquis litibus circumventi in exitium raperentur. Hoc igitur erat quod Cleon, quam sibi victimam elegisset, eam ex Cherroneso adduxisse diceretur; qui in hoc genus hominum qualia machinari potuerit,

*10) Non saepe usus est hoc nomine Aristophanes, quod suapte natura aliquid ambigui habet; quo magis haec duorum vocabulorum iunctura attendenda est. Ut mittamus Av. 44 *τόπον ἀπράγμονα*, in Vesp. 1040 *ἐπὶ τοῖσιν ἀπράγμοσιν ὑμῶν ἀντωμοσίας καὶ προσκλήσεις καὶ μαρτυρίας συνεκόλλων*, ii dici videntur qui litium rudes et causarum agendarum imperiti sunt; sed quae in Nub. 1007 laudatur *ἀπραγμοσύνη* otiosam vitam potius designat; nec negligendum est quo usu Thucydides hoc nomen posuerit, velut II 40 *οὐκ ἀπράγμονα ἀλλ' ἀχρεῖον* Classeno interprete aut 64 *ταῦτα ὁ μὲν ἀπράγμων μέμψαιτ' ἄν, ὁ δὲ δρᾶν τι βουλόμενος ζηλώσει.*

vel eorum similitudo docet quae in Avibus sycophanta inductus de se liquido et nullo pudore exponit, ex quibus pauca seligimus.

1421 *ΠΕ.* *μῶν εὐθὺ Πελλήνης πέτεσθαι διανοεῖ;*
ΣΤ. *μὰ Δί' ἀλλὰ κλητήρ εἰμι νησιωτικὸς*
καὶ συκοφάντης
καὶ πραγματοδίφης. εἶτα δέομαι πτερὰ λαβὼν
1425 *κύκλῳ περισοβεῖν τὰς πόλεις καλούμενος — —*

1431 *ΠΕ.* *νεανίας ὢν συκοφαντεῖς τοὺς ξένους;*

1452 *ΣΤ.* *παππῷος ὁ βίος συκοφαντεῖν ἐστί μοι.*
ἀλλὰ πτέρου με ταχέσι καὶ κούφοις πτεροῖς
ἱέρακος ἢ κερχνῇδος, ὡς ἂν τοὺς ξένους
1455 *καλεσάμενος κᾆτ' ἐγκεκληκὼς ἐνθαδὶ*
κατ' αὖ πέτωμαι πάλιν ἐκεῖσε. ΠΕ. μανθάνω.
ὡδὶ λέγεις· ὅπως ἂν ὠφλήκῃ δίκην
ἐνθάδε πρὶν ἥκειν ὁ ξένος. ΣΤ. πάνυ μανθάνεις.
ΠΕ. *κᾄπειθ' ὁ μὲν πλεῖ δεῦρο, σὺ δ' ἐκεῖσ' αὖ πέτει*
1460 *ἁρπασόμενος τὰ χρήματ' αὐτοῦ. ΣΤ. πάντ' ἔχεις.*

Ut mittamus alia quae eius generis complura sunt apud Aristophanem. Nobis satis est ostendisse ne ab hac quidem re restituto ordini versuum ullam oriri difficultatem.

Postremo ne quid praetermittamus quo nostra corroboretur opinio, quod librarii oscitantia a *καὶ σκοπεῖς* (264) ad *κἂν* (*κῆν*) *τιν'* (261) aberrantis duos versus inter scribendum omissos, dein suppletos non suam pristinam sedem occupasse statuimus, quid in ea re est quod vel severissime iudicanti incredibile videatur aut cum illorum audacia conferatur qui litterulis liberrime mutatis sibi visi sunt quod probabile sit assecuti esse. Ceterum in propatulo est, et hac et illa via emendandi posse peccari, et omnia pendere a moderatrice harum rerum ratione. Itaque ut illa quae adhuc disceptavimus transpositis versibus sanari confidimus, ita in contrarium transponendo quid noceri possit statim altero exemplo ex Equitibus petito declarare conabimur.

Inde a v. 80 sermo duorum famulorum ita procedit.

80 *ΝΙ.* *κράτιστον οὖν νῷν ἀποθανεῖν. ΔΗ. ἀλλὰ σκόπει*
ὅπως ἂν ἀποθάνωμεν ἀνδρικώτατα.
ΝΙ. *πῶς δῆτα πῶς γένοιτ' ἂν ἀνδρικώτατα;*
βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν.
ὁ Θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος αἱρετώτερος.

85 *ΔΗ. μὰ Δί' ἀλλ' ἄκρατον οἶνον ἀγαθοῦ δαίμονος.*
ἴσως γὰρ ἂν χρηστόν τι βουλευσαίμεθα.
ΝΙ. ἰδού γ' ἄκρατον· περὶ ποτοῦ γοῦν ἐστί σοι.
πῶς δ' ἂν μεθύων χρηστόν τι βουλεύσαιτ' ἀνήρ.

Quorum versus quattuor extremi, sic scripti in libris (nam ad *γοῦν* particulam putamus redire quae in ea voce varie exarata sunt), nihil suspicionis moverunt ante Meinekium, qui in Vindiciis Aristophaneis p. 51 primum *γοῦν* particulam addubitavit, *περὶ πότον νοῦς* (vel *νῦν*) scriptum fuisse suspicatus; dein hos versus non suo ordine legi opinatus sic inter duas personas distribuit

85 *ΔΗ. μὰ Δί' ἀλλ' ἄκρατον οἶνον ἀγαθοῦ δαίμονος.*
87 *ΝΙ. ἰδού γ' ἄκρατον· περὶ πότον νοῦς ἐστί σοι;*
86 *ΔΗ. ἴσως γὰρ ἂν χρηστόν τι βουλευσαίμεθ' ἄν.*
88 *ΝΙ. πῶς δ' ἂν μεθύων χρηστόν τι βουλεύσαιτ' ἀνήρ.*

eamque coniecturam, qua ne ipse quidem usus est edito Aristophane, cum Kockio Velsenus et Zacherus arripuerunt suisque libris tamquam rem certam propagarunt. Quo magis utile erit, haec quae nos non possumus non temeraria plane et falsa iudicare, argumentando convincere. Quamquam difficile est convincere, quorum causas nullas adlatas videas, ut nil nisi arbitrium critici cognoscatur. Sed Meinekium quidem sibi constare intelligitur, quod in eo ordine sermonis quem restitui iussit, *γοῦν* particulam non toleravit sed eius loco vel *νοῦς* vel *νῦν* scribendum esse censuit. Ceteri qui a Meinekio probatam seriem versuum accipiunt, cum *γοῦν* retineant, nec hoc explicare poterunt, neque quidquam, putamus, efficiunt, quod *γ' οὖν* exarantes ei nescio quam propriam significationem attribuunt. Itaque hoc indicium non negligendum est, cum quaeritur sermocinantium vices quae sunt in libris tuendaene sint an abiiciendae. Sed videamus cursum sermonis. Ad ea quae Nicias proponit (83) *βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν*, scil. *ὅπως ἂν ἀποθάνωμεν ἀνδρικώτατα* (81) Demosthenes ita respondet (85), ut in eandem orationis formam sententiam fundat contrariam, *μὰ Δί' ἀλλ' ἄκρατον οἶνον*, hoc est, non *ταύρειον αἷμα* sed *ἄκρατον οἶνον ἡμῖν βέλτιστον πιεῖν*: quod quo consilio iubeat, quoniam non mortis obeundae causa, quod ille agitabat, subindicatur quidem iam verbis additis *ἀγαθοῦ δαίμονος*, h. e. in honorem fausti numinis, sed nihil aptius erat in hac diversitate consilii, quam statim addi et aperte dici, ipse quid exspectet a suo consilio, quo merum vinum, non tauri sanguinem potandum pro-

ponit: *ἄκρατον οἶνον ἀγαθοῦ δαίμονος ἡμῖν βέλτιστον πιεῖν. ἴσως γὰρ ἂν χρηστόν τι βουλευσαίμεθα*: faciamus hoc quod suadeo: fortasse enim continget ut probi quid consilii inveniamus. *Ἴθι δὴ κάτειπ'· ἴσως γὰρ ἀναπείσεις ἐμέ*, inquit Mercurius in Pace (405). Quam, quaesumus, propiorem esse posse coniunctionem putes quam quae est inter versus 85 et 86. Sed versus alter eorum (86) *ἴσως γὰρ ἂν χρηστόν τι βουλευσαίμεθα*, qui priori tam bene adnectebatur, si Niciae verbis *ἰδού γ' ἄκρατον· περὶ ποτοῦ γοῦν ἐστί σοι* postponitur, ilico ex sua nativa iunctura solutus pendere incipit: nam si quis Demosthenem ad ea respondere velit, ut affirmet 'sane est mihi *περὶ ποτοῦ*' addita causa *ἴσως γὰρ ἂν χρηστόν τι βουλευσαίμεθα*, nisi ei praesumpta opinio officiat, intelligat necesse est, non hoc illi, sed contrarium respondendum fuisse, 'non mihi 17 de potando agitur, sed id curo ut aliquid quod nos iuvet comminiscamur.' At vero illis duobus versibus, qui nisi cum detrimento sententiae dirimi non possunt, si Niciae item duo subiiciuntur 87. 88

ἰδού γ' ἄκρατον· περὶ ποτοῦ γοῦν ἐστί σοι.
πῶς δ' ἂν μεθύων χρηστόν τι βουλεύσαιτ' ἀνήρ,

primum intelligitur *περὶ ποτοῦ**) *γοῦν ἐστί σοι* non interrogationem, quod olim crediderunt, sed asseverationem esse, in eaque oratione *γοῦν* particulam suum proprium et vulgarem significatum habere. Cum enim Demosthenes duo posuerit, vinum potare, sed eo consilio ut salutare aliquid excogitent, ad duo respondet Nicias, ut potandi quidem cupidine eum duci se videre dicat, alterum autem quod voluerit qui potando effici possit dubitare. Velut Strepsiades in Nubibus de filio (884)

ὅπως δ' ἐκείνω τὼ λόγω μαθήσεται,
τὸν κρείττον' ὅστις ἐστὶ καὶ τὸν ἥττονα,
ἐὰν δὲ μή, τὸν γοῦν ἄδικον πάσῃ τέχνῃ.

Ita Nicias *περὶ ποτοῦ γοῦν ἐστί σοι, εἰ μὴ ἄλλου τινός* h. e. *τοῦ*

---

*20) *περὶ πότου* v. 87, *τῷ σῷ πότῳ* v. 97 scribunt de Kockii et Meinekii coniectura; nam Zacherum, qui ad 87 adnotat *πότου*] Θ *ποτοῦ* RVPM, ad 97 *πότω* A *ποτῷ* *reliqui*, non intelligimus si his testimoniis plus tribui putat quam Meinekii Kockiive nominibus. Sed vulgabatur utroque loco *ποτὸν* nomen, non *πότος*, et si in Vesp. dicitur 1392 *πράγματ' αὖ δεῖ καὶ δίκας ἔχειν διὰ τὸν σὸν οἶνον*, non recte dici putamus *τί ποθ' ἡμᾶς ἐργάσει τῷ σῷ ποτῷ*? aut si Plato scribit (*Πολιτεία* IV 438a) *οὐδεὶς ποτοῦ ἐπιθυμεῖ ἀλλὰ χρηστοῦ ποτοῦ*, credimus falso scribi *περὶ ποτοῦ ἐστί σοι*?

χρηστόν τι βουλεύσασθαι. Quodsi vero huius particulae ratio nisi hoc modo constare non potest, necessario hoc indicio colligitur, duo praecessisse, quorum conceditur alterum, alterum negatur, et verum esse quem libri ostendunt versiculorum ordinem. Nam ipsam sententiam περὶ ποτοῦ γοῦν ἐστί σοι nomen non desiderare, velut Meinekius περὶ πότον νοῦς ἐστί σοι maluit, satis constat multisque exemplis Blaydesii eruditio (ad h. l.) probavit.

Unum restat, quod etsi nemo interpretum verbo tetigit, tamen credibile est unam ex causis traiecti versus fuisse. Etenim si Meinekium sequimur et versus ita ordinamus

ΔΗ. μὰ Δί' ἀλλ' ἄκρατον οἶνον ἀγαθοῦ δαίμονος.
ΝΙ. ἰδού γ' ἄκρατον. περὶ ποτοῦ γοῦν ἐστί σοι.
ΔΗ. ἴσως γὰρ ἂν χρηστόν τι βουλευσαίμεθα.
ΝΙ. πῶς δ' ἂν μεθύων χρηστόν τι βουλεύσαιτ' ἀνήρ;

non solum χρηστόν τι βουλευσαίμεθα versu proximo iisdem verbis excipitur, sed quod gravius est, ἰδού γ' ἄκρατον quo refertur, id nullo intervallo antecessit. Et est hoc sane de more Aristophanis, velut Thesmoph. 205. 206 κλέπτειν ὑφαρπάζειν τε . . || ἰδού γε κλέπτειν. Nub. 1468. 1469 πατρῷον Δία. || ἰδού γε Δία πατρῷον. Lysistr. 440. 441 ἐπιχεσεῖ πατούμενος. || ἰδού γ' ἐπιχεσεῖ et saepe similiter. Sed tamen cavendum est, ne nimis angustis finibus Aristophanis libidinem et libertatem circumscribamus, qui saepe ne interiecta quidem inter parilia refugit. Velut hoc ipso loco 83. 85; et 160. 162

18 τί μ' οὐ πλύνειν ἐᾷς τὰς κοιλίας
πωλεῖν τε τοὺς ἀλλᾶντας, ἀλλὰ καταγελᾷς;
ΔΗ. ὦ μῶρε, ποίας κοιλίας;

(cf. 2. 7 et 1307. 1309). Av. 1231. 1233

θύειν τοῖς Ὀλυμπίοις θεοῖς
μηλοσφαγεῖν τε βουθύτοις ἐπ' ἐσχάραις
κνισᾶν τ' ἀγυιάς. || τί σὺ λέγεις; ποίοις θεοῖς;

et ἰδού quod attinet, quae leguntur in Nubibus (870)

ΦΕΙ. αὐτὸς τρίβων εἴης ἄν, εἰ κρέμαιό γε.
ΣΤ. οὐκ ἐς κόρακας; καταρᾷ σὺ τῷ διδασκάλῳ;
ΣΩ. ἰδοὺ κρέμαιό γ', ὡς ἠλίθιον ἐφθέγξατο

satis esse argumenti arbitramur, ne hac quidem ratione mutatum ordinem versuum 86 et 87 posci aut probari posse*).

---

*37) Ad v. 88 πῶς δ' ἂν μεθύων χρηστόν τι βουλεύσαιτ' ἀνήρ; quod

Hic subsistimus inviti telamque quam porro texere cupiebamus temporum angustiis negotiorumque copia et varietate pressi abrumpimus, nescii ecquando ad eas res reverti liceat. Scr. m. Decembri a. MDCCCXCVII.

---

adnectitur *ΔΗ. Ἄληθες, οὗτος; κρουνοχυτρολήραιος εἶ,* plane compar est ite[illegible] sermonis in Avibus 172

ΠΕ. οἰκίσατε μίαν πόλιν.
ΕΠ. ποίαν δ' ἂν οἰκίσαιμεν ὄρνιθες πόλιν;
ΠΕ. ἄληθες, ὦ σκαιότατον εἰρηκὼς ἔπος;

XLVIII. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1898/99.

3 Reveniente necessitate publicae lectionum academicarum enumerationi aliquid praefationis litterariae praemittendi Aristophanem, a quo proximi prooemii argumentum petitum erat, nondum manibus posueramus, ac licet intervenerint quae vehementer animum operamque occuparent amplamque disserendi materiam offerre viderentur, velut Bacchylidea carmina, certatim his temporibus a doctissimis tractata et explanata, tamen eum tramitem quem ingressi sumus retinere paulisper ac persequi maluimus; nisi quod ad Equites, de qua fabula, modo edita et emendata a Zachero, tum verba fecimus, dedita opera redire animus non est, et quae iam parata erant, hac tela interrupta, repetere nolumus; alia quaedam Aristophanea disceptabimus, quibus aut ipsi Aristophani aut ex Aristophane aliis scriptoribus aliquid si fieri potest utilitatis conferatur. Sed multa non sunt neque ulla gravitatis aut iucunditatis laude insignia, quae tamen fortasse adolescentes, quibus haec studia cordi sunt, admonere possint, ut a nobis proposita et aliqua tenus explicata suis observationibus persequi ac perficere velint.

Initium nobis disserendi faciunt Ecclesiazusarum versus, quibus vetulae amatores captanti adolescentula eidem venationi dedita respondet.

Νῦν μέν με παρακύψασα προὔφθης, ὦ σαπρά.
ᾤου δ' ἐρήμας οὐ παρούσης ἐνθάδε
ἐμοῦ τρυγήσειν καὶ προσάξεσθαί τινα
ᾄδουσ'· ἐγὼ δ', ἢν τοῦτο δρᾷς, ἀντᾴσομαι.
κεἰ γὰρ δι' ὄχλου τοῦτ' ἐστὶ τοῖς θεωμένοις,
ὅμως ἔχει τερπνόν τι καὶ κωμῳδικόν.

Quae satis lepide sunt exposita; neque id agimus ut dubitationes de scripturae integritate, quae quod sciamus adhuc criticorum nullae fuerunt, moveamus primi. Sed sermonis causa quae dicit

non uno nomine digna sunt quae curiosius expendantur. Primum, 4 quod ita loquitur *ᾤου ἐρήμας τρυγήσειν*, genus dicendi agnoscitur quo idem Aristophanes usus est in Vespis v. 631, cum senum choro exceptam Philocleonis orationem hac laude prosequenti

οὐπώποθ' οὕτω καθαρῶς
οὐδενὸς ἠκούσαμεν οὐ-
δὲ ξυνετῶς λέγοντος

is hoc modo respondet

οὔκουν ἐρήμας ᾤεθ' οὗτος ῥᾳδίως τρυγήσειν;
καλῶς γὰρ ᾔδειν ὡς ἐγὼ ταύτῃ κράτιστός εἰμι.

Quibus interpres Graecus haec adscripsit (nam ad Ecclesiazusas nulla est adnotatio) *παροιμία ἐπὶ τῶν ἀδεῶς [τι] πραττόντων, ὡς μηδενὸς αὐτοῖς ἀντιπράττοντος, 'ἐρήμας τρυγήσεις'*. Ac notum est *ἐρήμας τρυγᾶν* proprie eum dici, qui *σταφυλάς* aliasve quas fruges nemine impediente vel nemine praesente qui tutari possit decerpere aut colligere instituit. Quare hac figura usus Philocleo dicit, filium putasse se illo non respondente facilem victoriam reportaturum, id vero secus accidisse. Non aliter adolescentula in re alia eadem adhibita metaphora 'putasti, inquit, me non praesente destitutas te uvas decerpere posse', sed haec ad *ἐρήμας* cum addit *οὐ παρούσης ἐνθάδε ἐμοῦ*, addit quod suapte natura in illa voce inesse intelligimus.

Alterum in eiusdem sermone quod attendi volumus hoc est, quod ad illa quae dicit *ᾤου ἐρήμας οὐ παρούσης ἐνθάδε ἐμοῦ τρυγήσειν* haec adiungit *καὶ προσάξεσθαί τινα ᾄδουσα*. Addit enim id ipsum cuius causa modo tralata oratione usa est, quasi parum fuerit, familiari metaphora sensum expressisse, nisi figuram exceperit verborum proprietas.

Et nos hanc duplicis abundantiae molestiam patienter ferre? Nam quo sententia constaret, nihil opus erat dici nisi haec *ᾤου ἐρήμας τρυγήσειν ᾄδουσα*, aut omissa omni tralatione *ᾤου οὐ παρούσης ἐνθάδε ἐμοῦ προσάξεσθαί τινα ᾄδουσα*. Neque putamus criticos frondatores luxuriem orationis falce domantes illa praeterituros fuisse, modo tam facile esset, resectis quae superesse iudicantur, numerorum integritatem sustentare quam est facile sermonem pedestrem si quid ultra necessarium trahi videtur secando ad concisiorem formam redigere. Nobis poeta consulto videtur adolescentulae orationem non nimis astrinxisse sed quo magis vulgarem loquendi modum imitaretur liberius incedentem fecisse

ut ne abundantiam quidem ultro se offerentem superbius aversaretur.

Si quis nunc quaerat, quo res haec pertinet? Illuc, ut Ecclesiazusarum exemplo intelligatur, Platoni adimere non licere, quae non possunt non dari Aristophani. Etenim Socrates in apologia sui si scriptis libris fidem habemus ita loquitur p. 18 c

> ἔπειτά εἰσιν οὗτοι οἱ κατήγοροι πολλοὶ καὶ πολὺν χρόνον ἤδη κατηγορηκότες, ἔτι δὲ καὶ ἐν ταύτῃ τῇ ἡλικίᾳ λέγοντες πρὸς ὑμᾶς, ἐν ᾗ ἂν μάλιστα ἐπιστεύσατε, παῖδες ὄντες, ἔνιοι δ' ὑμῶν καὶ μειράκια, ἀτεχνῶς ἐρήμην κατηγοροῦντες ἀπολογουμένου οὐδενός.

Nimirum aliud est ἐρήμας τρυγᾶν, aliud ἐρήμην κατηγορεῖν, et hoc quid sit breviter licet Hesychii verbis declarare ita scribentis ἐρήμη· μονομερὴς δίκη, ὅταν μὴ ἀπαντήσας ὁ διωκόμενος ἐπὶ τὴν κρίσιν διαιτηθῇ. Sed tamen in hac differentia usus τῆς ἐρημίας notio plane eadem est, sive ad τρύγησιν sive ad κατηγορίαν refertur, si quidem hac voce hoc indicatur, non adesse eum qui adesse potuit aut debuit. Quamobrem in Socratis oratione non minus abundanter ad ἐρήμην κατηγοροῦντες adiicitur ἀπολογουμένου οὐδενός, quam οὐ παρούσης ἐμοῦ ad ἐρήμας τρυγήσειν in versibus Ecclesiazusarum. Itaque mirum non est, quod nuper I. I. Hartmanus in libello eleganter scripto, quo 'emblemata in Platonis textu obvia' aut ab aliis aut a se primo patefacta, per quaedam genera disposita, collegit et illustravit, Socratis orationem, quam multis ineptis additamentis conspicuam habet, in hac quoque parte manum interpolatricem perpessam esse Hirschigio auctore arbitratus verba ἀπολογουμένου οὐδενός utpote 'Atticismo funesta' removeri iussit. Qui quid de Ecclesiazusarum versu iudicaverit nescimus: nos ita censemus, Aristophanem aeque Attice loqui ac Platonem, et de sermone si agatur, quod illi non displicuerit in familiari oratione iambicorum versuum, ne Socrati quidem Platonico indecorum fuisse, cum praesertim haec ἀπολογία, etiam demptis omnibus quae demi cupiunt Batavorum critici, non tam angusto dicendi genere utatur quam largo et quod exspatietur latius et quadam amplitudine se iactet, ne quid de numero dicamus, cui veremur ne sublata verba ἀπολογουμένου οὐδενός detrimentum afferant.

Non minus nos, nisi fallit opinio, adolescentula Aristophanea adiuvabit in altera causa quam diximus. Nam quod translato ser-

moni quamvis per se plano ac perspicuo idem propriis verbis adiicitur, quod erat illud alterum genus abundantiae, eo exemplo videmur nobis quaedam quae sunt apud Platonem a criticorum iniuriis tutari posse. Etenim haud rarae sunt in Platonis libris simili modo formatae sententiae, quarum bonam partem Hartmanus inprimis, superiorum commenta cum suis complexus, probatum ivit importunae magistellorum sedulitati acceptam ferri, qui a Platone venuste expositas imagines metaphorasque scite selectas, perspicuitatis causa additis quae desiderari viderentur, deformaverint deturpaverintque. Non possumus persequi omnia quae in hoc genere vir doctus, sagax ingenii Cobetiani aemulus, temptavit. Sed specimina quaedam danda sunt, quo magis genus ipsum declaretur, simul patefiat eccui bono fuerit a nobis ascita comparatio versus Aristophanei. Ergo primum hoc afferimus de Gorgia, quod Hartmanus p. 53 proposuit, idem rursus p. 76. Cuius verba haec sunt. 'Miserrimi ait Socrates ii sunt qui magnis maleficiis perpetratis ne poenas iustas darent obtinuerunt. 479 a *σχεδὸν γάρ που οὗτοι τὸ αὐτὸ διαπεπραγμένοι εἰσίν, ὥσπερ ἂν εἴ τις τοῖς μεγίστοις νοσήμασι συνεχόμενος διαπράξαιτο μὴ διδόναι δίκην τῶν περὶ τὸ σῶμα ἁμαρτημάτων τοῖς ἰατροῖς.* Potuitne venustius aliquid dici quam hoc: "poenas non dare medicis"? Male ergo sit magistello qui illam venustatem pessumdedit addendo *μηδὲ ἰατρεύεσθαι.*' Haec ille. Neque dubium est quin Plato, quos dicit nolle poenas dare medicis peccatorum corporis, nolle se sanari a medicis dicat, nec quo magis intelligerentur ad translata illa *μὴ
διδόναι δίκην τοῖς ἰατροῖς* necesse erat addi haec propria *μηδὲ* 6
ἰατρεύεσθαι. Verum hoc quid aliud est quam quod in Ecclesiazusis adolescentula fecit cum ad *ᾠὸν ἐρήμας τρυγήσειν* addidit *προσάξεσθαί τινα*? Et huius orationi quoniam pars nulla abscidi potest, nonne cunctabimur Platoni eripere quod pari consilio institutum est? Sic nos sentiebamus dum quae proposuit Hartmanus perspicimus et ad versum Aristophaneum referimus. Sed vir doctus haud raro particula ex ampliore Platonis oratione delibata, in ea quid nimium fuerit coercerique oporteat, demonstrat, saepe non sine probabilitate id quidem, sed ut eam nullam esse appareat ubi librum ipsum evolveris et totum sententiarum tenorem persecutus fueris. Velut hoc loco cum sermo iste in Gorgia sic decurrat

Σχεδὸν γάρ που οὗτοι τὸ αὐτὸ διαπεπραγμένοι εἰσίν,

> *ὥσπερ ἂν εἴ τις τοῖς μεγίστοις νοσήμασι συνισχόμενος διαπράξαιτο μὴ διδόναι δίκην τῶν περὶ τὸ σῶμα ἁμαρτημάτων τοῖς ἰατροῖς μηδὲ ἰατρεύεσθαι φοβούμενος ὡσπερανεὶ παῖς τὸ κάεσθαι καὶ τὸ τέμνεσθαι ὅτι ἀλγεινόν,*

quis non videt, non solum agi verba *μηδὲ ἰατρεύεσθαι*, quae Hartmanus cum Morstadtio seclusit, sed cum his intime coniuncta esse quae insequuntur *φοβούμενος τὸ κάεσθαι καὶ τὸ τέμνεσθαι*: hi enim sunt, quod ex Gorgia ipso cognoscitur (456 b. 521 e), tralaticii modi quibus sanare medici solent: ut aut haec cum illis damnanda sint aut ne illa quidem, quae si sola exemeris, copulabuntur quae una sententia complecti non potuit. Nam ad illa quae dicit *μὴ διδόναι δίκην τῶν περὶ τὸ σῶμα ἁμαρτημάτων τοῖς ἰατροῖς*, simili a delictorum poenis, de quibus agitur (479 a), deprompto in morbosque corporis translato, haec quae addit *φοβούμενος τὸ κάεσθαι καὶ τὸ τέμνεσθαι* non pertinent, quae ad verba *μηδὲ ἰατρεύεσθαι* relata, ut par est, cum his unam et integram orationem efficiunt. Sed vel sic hoc exemplo apparet, Platonem non refugisse cum translatis coniungere propria, et haec quidem etiam latius explicata: qui quae infra scribit in eadem disputatione (479 c) *πᾶν ποιοῦσιν ὥστε δίκην μὴ διδόναι μηδ' ἀπαλλάττεσθαι τοῦ μεγίστου κακοῦ* et ipsa possunt documento esse, illa verum Platonis morem, non magistelli ineptias, prae se ferre.

Verum quem nos formandae orationis modum Ecclesiazusarum exemplo confirmare studuimus, eius sibi Plato ipse testis ac vindex exstitit; quamquam in ea re hoc mirifice accidit, ut si qua condemnata et proiecta defensitare velle incipias, quae similia putabas, ut eorum testimonio uterere, saepe et ipsa iam quasi intercepta offendas a doctis, qui quo plura falsis additamentis deformata probaverint, eo certius vestigia interpolatoris agnosci sibi persuadent. Verum tamen sunt quaedam similia, adhuc non vexata a criticis, quibus fidentius utare, velut haec quae scribit de republica VIII p. 544 b

> *πάλιν τοίνυν, ὥσπερ παλαιστής, τὴν αὐτὴν λαβὴν πάρεχε καὶ τὸ αὐτὸ ἐμοῦ ἐρομένου πειρῶ εἰπεῖν ἅπερ τότε ἔμελλες λέγειν*

et haec in eadem I p. 341 c

> *οἴει γὰρ ἄν με οὕτω μανῆναι, ὥστε ξυρεῖν ἐπιχειρεῖν λέοντα καὶ συκοφαντεῖν Θρασύμαχον.*

Quae eo tutiora videntur, quod si quid inde decerpi velis ambigas, 7 in utram partem falcem immittas, figuratamne in orationem an eam, quae eadem proprie effert. Haec autem si temptare non licet, nihilo minus invehemur in haec quae in Symposio leguntur (p. 177 c)

> *ἐγὼ οὖν ἐπιθυμῶ ἅμα μὲν τούτῳ ἔρανον εἰσενεγκεῖν καὶ χαρίσασθαι, ἅμα δὲ ἐν τῷ παρόντι πρέπον μοι δοκεῖ εἶναι κοσμῆσαι τὸν θεόν*

et *καὶ χαρίσασθαι* verba violentius avellemus cum Hartmano? Quod nobis quidem vetare etiam exemplum Aristophaneum videtur. Aut ex hac praeclara pictura, quam de republica VIII 553 c exposuit

> *Ἆρ' οὐκ οἴει τὸν τοιοῦτον τότε εἰς μὲν τὸν θρόνον ἐκεῖνον τὸ ἐπιθυμητικόν τε καὶ φιλοχρήματον ἐγκαθίζειν καὶ μέγαν βασιλέα ποιεῖν ἐν ἑαυτῷ, τιάρας τε καὶ στρεπτοὺς καὶ ἀκινάκας παραζωννύντα; τὸ δέ γε λογιστικόν τε καὶ θυμοειδὲς χαμαὶ ἔνθεν καὶ ἔνθεν παρακαθίσας ὑπ' ἐκείνῳ καὶ καταδουλωσάμενος τὸ μὲν οὐδὲν ἄλλο ἐᾷ λογίζεσθαι οὐδὲ σκοπεῖν ἀλλ' ἢ ὁπόθεν ἐξ ἐλαττόνων χρημάτων πλείω ἔσται, τὸ δὲ αὖ θαυμάζειν καὶ τιμᾶν μηδὲν ἄλλο ἢ πλοῦτόν τε καὶ πλουσίους,*

eiiciemus cum eodem verba *καὶ καταδουλωσάμενος*, quae, si nihil aliud, aequabilitatem partium in hac luculenta amplitudine orationis non leviter adiuvant? An recte scripta esse putamus, quae nemo addubitavit, de republica III p. 389 c

> *ἂν ἄρ' ἄλλον τινὰ λαμβάνῃ ψευδόμενον ἐν τῇ πόλει τῶν οἳ δημιοεργοὶ ἔασι, μάντιν ἢ ἰητῆρα κακῶν ἢ τέκτονα δούρων, κολάσει ὡς ἐπιτήδευμα εἰσάγοντα πόλεως ὥσπερ νεὼς ἀνατρεπτικόν τε καὶ ὀλέθριον,*

non recte in comparem modum formata quae in Euthydemo (275 b) leguntur

> *ἔστι δὲ νέος· φοβούμεθα δὴ περὶ αὐτῷ, οἷον εἰκὸς περὶ νέῳ, μή τις φθῇ ἡμᾶς ἐπ' ἄλλο τι ἐπιτήδευμα τρέψας τὴν διάνοιαν [καὶ διαφθείρῃ],*

et quae in Protagora (313 e)

> *εἰ μὲν οὖν σὺ τυγχάνεις ἐπιστήμων τούτων τί χρηστὸν καὶ πονηρόν, ἀσφαλές σοι ὠνεῖσθαι μαθήματα καὶ παρὰ Πρωταγόρου .., εἰ δὲ μή, ὅρα μὴ περὶ τοῖς φιλτάτοις κυβεύῃς [τε καὶ κινδυνεύῃς]. καὶ γὰρ δὴ καὶ πολὺ*

μείζων κίνδυνος ἐν τῇ τῶν μαθημάτων ὠνῇ ἢ ἐν τῇ τῶν σιτίων

in quibus Hartmanus a nobis uncis notata sustulit? Ut mittamus quae in principio Gorgiae posita sunt,

Πολέμου καὶ μάχης φασὶ χρῆναι οὕτω μεταλαγχάνειν. ΣΩ. Ἀλλ' ἦ τὸ λεγόμενον κατόπιν ἑορτῆς ἥκομεν καὶ ὑστεροῦμεν; ΚΑΛ. Καὶ μάλα γε ἀστείας ἑορτῆς,

quorum *καὶ ὑστεροῦμεν* non tulit cum Hirschigio Hartmanus,
8 quamquam hoc verbum*) desiderari non posse vel ad *ἀστείας* additum *ἑορτῆς* clamat, quod quia Hirschigium non fugit, ne pedem retraheret, hanc vocem una cum illis resecuit.

Sed reprimemus iam nos et non insequemur longius, cum satis exemplorum habeamus, quibus et late patere hoc genus emendandi in Platonis libris edoceatur et non inutiliter a nobis adhibitum esse exemplum alienum, quod quia mutari ipsum non potuit, certius videretur Platoni periclitanti succurrere. Nam criticam facere in Platone noluimus nunc, de qua alias saepius disseruimus, neque vero libellum Hartmanianum inprimis locupletem percensere penitus. Itaque ad Aristophanem revertimur, ei ut aliquid salutis si possumus afferamus. Et quoniam emblemata in Platonis scriptis quae esse creduntur attigimus, genus quoddam emblematum, quod docti critici sibi visi sunt in Aristophanis comoediis agnovisse, disceptabimus paucis. Etenim quod supra diximus, in iis quae versibus conscripta essent non tam facile aliena additamenta secerni quam sermone pedestri, quamquam verum est, tamen non ita accipiendum, quasi metrum *ἕρκους* instar sit aut habitum fuerit, quo tutante nihil alieni addi aut demi potuerit: certe critici nostri minime se deterreri passi sunt quominus in comoediis Aristophanis nonnulla falso sed versuum mensura incolumi adiecta statuerent, quorum fraude poetam necesse esset ocius liberari. Velut in Equitibus quae leguntur Paphlagonis verba

912 *ἐγώ σε ποιήσω τριηραρχεῖν [ἀναλίσκοντα τῶν*

---

*9) Euripides in Hercule 1173 *οὔ που λέλειμμαι καὶ νεωτέρων κακῶν ὕστερος ἀφῖγμαι*; Livius III 5, 15 *Antiates mille milites, quia serum auxilium post proelium venerant, cum ignominia dimissi*; XXVII 20, 3 *ad Hasdrubalem venere serum post male gestam rem auxilium*. Plautus Menaechm. V 6, 26 *sed metuo ne sero veniam depugnato proelio*. Capt. IV 2, 90. Ne nimis increpent, si quid abundantius dici a Platone videatur.

σαυτοῦ] παλαιὰν ναῦν ἔχοντ'
εἰς ἣν ἀναλῶν οὐκ ἐφέ-
ξεις οὐδὲ ναυπηγούμενος·
διαμηχανήσομαί θ' ὅπως
ἂν ἱστίον σαπρὸν λάβῃς,

in iis quae uncis cinximus numeris quidem illaesis sed prave esse inserta Cobeti fuit opinio, qui a. 1852 in Mnemosyne vol. I p. 417 hos versus in istum modum notatos exhibuit, nullo verbo addito in causa aperta quam habebat nullique dubitationi obnoxia. Cobetique magna auctoritas fidem fecit posterioribus, quorum nemo dubitavit in eximii viri sententiam pedibus ire. Meinekium quidem, Kockium, W. Ribbeckium, Blaydesium, Velsenum denique Zacherumque, omnes videmus ea fiducia veri duci, ut ne ipsi quidem quam probant opinationem rationis ope stabiliendam censuerint: unus Kockius haec breviter adnotavit tertium hanc fabulam interpretatus (a. 1882), quia constaret omnes τριηραρχοῦντας ἀναλίσκειν τὰ ἑαυτῶν, ideo et propter v. 915 illa verba iure Cobetum a poeta abiudicasse. Quae vix valere tantum credimus, ut redargui non possint. Sed certe defensitare cum nescias quae aut qualia accusentur, hoc est ψηλαφᾶν ὥσπερ ἐν σκότει. Itaque tantum ponimus brevi. Dicere quod quivis noverit, idcirco non iam ineptum est, sed quaeratur oportet, quo id consilio fiat factumve sit. Neminem posse τριηραρχεῖν, quin bonam partem suae rei familiaris impendere cogeretur, non erat profecto quod poeta Athenienses suos edoceret, sed Paphlago Cleo, qui hoc agebat, ut omnia mala minitando perterrefaceret allantopolam, cur ita loqui non potuerit, 9 difficilius dispicitur, qui cum diceret, ἐγώ σε ποιήσω τριηραρχεῖν, ne quis de honore muneris cogitaret, quod nisi πλούσιοι recipere non poterant (Ran. 1065), addidit ipse quod maxime spectabat et qua parte inprimis premi cuperet alterum, ἀναλίσκοντα τῶν σαυτοῦ, hoc ea mente qua infra in gemina minatione dicit

δώσεις ἐμοὶ καλὴν δίκην,
ἰπούμενος ταῖς εἰσφοραῖς.
ἐγὼ γὰρ εἰς τοὺς πλουσίους
σπεύσω σ' ὅπως ἂν ἐγγραφῇς.

Et quamquam hae et illae minae ridiculae sunt in allantopolam iactae et ab hoc iure ridentur et exploduntur, tamen haec minitantis animo et ingenio conveniebant egregie. Itaque ex hac parte ambigimus quam iuste tollantur verba ἀναλίσκοντα τῶν σαυτοῦ.

At tamen haec quamquam apte et utiliter adnecti superioribus videntur, cum quibus in unam et orationem et sententiam coalescunt (poterant enim haec per se constare nulla re amplius addita *ἐγώ σε ποιήσω τριηραρχεῖν ἀναλίσκοντα τῶν σαυτοῦ*), quid iuvat hoc, si quae insequuntur nihilo minus illa esse reiicienda evincunt, *παλαιὰν ναῦν ἔχοντ' εἰς ἣν ἀναλῶν οὐκ ἐφέξεις*? Sic sensisse Kockius videtur, qui ita iudicat, si recte intelligimus, quia subiiciantur haec *εἰς ἣν ἀναλῶν οὐκ ἐφέξεις*, his non apposite praemitti paene eandem in sententiam *ἀναλίσκοντα τῶν σαυτοῦ*. Qua in re nos ita quaerimus: quae mala sunt suapte natura, eane possunt certis condicionibus etiam peiora fieri? Si *τριηραρχία* non potest esse sine gravi rei familiaris impendio, possuntne rationes excogitari, quibus hoc impendium necessarium etiam gravius et perniciosius evadat *τῷ τριηραρχοῦντι*? Quod si est, quid impediebat quominus Paphlago, quem hoc agere videmus ut terribilissimis minis in terrorem coniiciat allantopolam, postquam rem universam significavit quam se perfecturum profitetur, *ποιήσω σε τριηραρχεῖν ἀναλίσκοντα τῶν σαυτοῦ*, subiungeret rationem peculiarem, qua se quod semper horrendum erat etiam horribilius redditurum indicaret, *παλαιὰν ναῦν ἔχοντα εἰς ἣν ἀναλῶν οὐκ ἐφέξεις*? Et haec quae dicit *ἀναλῶν οὐκ ἐφέξεις* quoniam ne possunt quidem satis intelligi nisi memineris *τριηραρχίας* hoc esse, *ἀναλίσκειν τὰ ἑαυτῶν*, cur adeo reprehendimus, quod hoc quod non potest non simul cogitari expressis verbis additum legimus, ac nos quidem ita sentimus, ab illis quae sunt *ἀναλίσκοντα τῶν σαυτοῦ* commodius orationem progredi ad haec *ἀναλῶν οὐκ ἐφέξεις*, quam ut his positis illa malis abesse*).

Sed esto: neque enim diutius in his versibus exigendis immorabimur, quos tantum non praetermittere volebamus, propter ea quae deinceps similia exsecuturi sumus. Sunt enim versus Lysistratae

ὦ Ζεῦ Ζεῦ
εἴθ' αὐτὴν ὥσπερ τοὺς θωμοὺς
μεγάλῳ τυφῷ [καὶ πρηστῆρι
ξυστρέψας καὶ] ξυγγογγυλίσας
οἴχοιο φέρων, εἶτα μεθείης,
ἡ δὲ φέροιτ' αὖ πάλιν εἰς τὴν γῆν

et hi in Thesmophoriazusis (59)

*26) Ne insimulemur rem gravissimam praetermisisse, hoc addimus in adnotatione perbreviter, duorum participiorum quae sit ratio obscurum non esse et cumulare participia Aristophani perquam familiare fuisse.

ὃς ἕτοιμος σοῦ τοῦ τε ποιητοῦ
τοῦ καλλιεποῦς κατὰ τοῦ θριγκοῦ
γογγυλίσας [καὶ συστρέψας]
τουτὶ τὸ πέος χοανεῦσαι,

in quibus eadem nobis quaestio agitanda est, sintne haec, metro videlicet non turbato, falsis additamentis aucta an non sint. In qua re ordimur ab eiusdem Cobeti disputatione in Variis Lectionibus a p. 375 exposita. Qui posteaquam oratorum Atticorum, Demosthenis, Isocratis orationes foedis quibusdam glossematis levavit, hoc praefatus 'Nihil est Poetis in metro praesidii adversus eiusdemmodi corruptelas' illis exemplis Aristophaneis sententiam confirmare aggressus est. Nempe sublatis demum verbis insiticiis, quibus uncos addidimus, sinceram poetae orationem prodire sibi persuasit, in Lysistrata hanc

μεγάλῳ τυφῷ ξυγγογγύλας
οἴχοιο φέρων

in Thesmophoriazusis autem

κατὰ τοῦ θριγκοῦ
συγγογγύλας
τουτὶ τὸ πέος χοανεῦσαι.

Ac sive recte sive prave iudicavit, tantum apertum est, numeros nihil prohibuisse quominus illa adderentur quae demenda censuit ab eoque excluderentur. Sed quid verum sit in hac causa, quae est complicata admodum, eius rei aliunde petenda argumenta sunt. Atque ut hoc praemittamus, quod cum nostra quaestione coniunctum non est, in eo Cobetus vere videtur iudicare, quod quae librorum fide vulgabantur formae *ξυγγογγυλίσας* et *γογγυλίσας* (*γογγυλίζει* Thesmoph. 56) nihili esse ait, veram formam multorum analogia probat esse non *γογγυλίζω* sed *γογγύλλω*, ut *ξυγγογγύλας* et [*συγ*]*γογγύλας* in Lysistrata et Thesmophoriazusis (*γογγύλλει* Thesmoph. 56) emendandum esse appareat: id quod iam ante fuerunt qui scribendum proponerent*). Sed ei participio quod utroque loco cognatae significationis verbum *ξυστρέψας* adiectum est, explicandi gratia a nescio quo adscriptum et per *καὶ* particulam, ut assolet, orationi insertum esse, Hesychium antestatur, apud quem cum haec legantur *γογγύλειν· συστρέφειν* glossae causam apparere. In Lysistrata hoc plus addidit, ut simul cum verbo nomen alterum *καὶ πρηστῆρι* exstingui iuberet. Quod qua-

*32) Vide praecipue doctam R. Engeri adnotationem ad Thesmoph. 56.

ratione instituerit, non dicit aperte, et metrum non obstabat quominus omisso verbo nomen servaretur: *μεγάλῳ τυφῷ καὶ πρηστῆρι* ‖ *ξυγγογγύλας*. Sed Cobetus, nisi quid aliud eum, quod nos
11 fugit, in coniunctis nominibus male habebat, fortasse aequabilitate quadam orationis adductus est, ut cum unum verbum relinqueret, ne duo quidem nomina esse vellet. In utraque re Cobetus Meinekium assentientem habuit qui et Lysistratae versus et Thesmophoriazusarum prorsus ad Cobeti mentem edidit. In Lysistrata quidem Cobeto diserte adstipulatus est W. Rutherfordus qui 'scholia Aristophanica' quae sunt in codice Ravennati utilissimo instituto et magna diligentia describenda curavit et erudite interpretatus est (Londini a. 1896); qui quo evidentius sit, Aristophanea aucta glossematis esse, haec oculis proponit

μεγάλῳ τυφῷ: *πρηστῆρι*
ξυγγογγύλας: *συστρέψας**).

Nobis primum inde dubitatio oborta est, quod haec duo *τυφῷ καὶ πρηστῆρι* non minus commode comparari putabamus quam quae in Equitibus leguntur (511)

καὶ γενναίως πρὸς τὸν Τυφῶ χωρεῖ καὶ τὴν ἐριώλην

aut in Nubibus (336)

πλοκάμους θ' ἑκατογκεφάλα Τυφῶ πρημαινούσας τε θυέλλας,

quorum de neutro quicquam detrahi potest; et quod ibi *Τυφώς* fabulosus dicitur, cui nomen alterum similis sed propriae significationis adiicitur, tamen haec non vi alia componuntur quam in Lysistrata duo propria

μεγάλῳ τυφῷ καὶ πρηστῆρι.

Et si haec duo necesse est ipso vindice Aristophane obtineamus, nonne vicissim bina nomina videbuntur binis verbis suppetias ferre, ne aequabilitate neglecta alterum eorum abiiciatur? Sed verborum alterum Hesychii testimonium proscripsit: qui quae scripta sunt in codice, *γογγυλεῖν*: *συστρεφεῖν*, non scripsit, sed aut quod Cobetus proposuit *γογγύλλειν*: *συστρέφειν* aut minus probabiliter M. Schmidtius *γόγγυλσιν*: *συστροφήν*. Sed hoc utut est, Hesy-

*15) Idem *τυφῶνα* in adnotatione compluribus congestis explicuit; sed in scholiis cum ad v. 973 haec ext. adscripta sint '— *τυφὼς δὲ ἡ ἐκ ἀναθυμιάσεως τῆς γῆς συστροφὴ πρὶν ἐκπυρωθῆναι τὸν ἀέρα*, deinde ad 974 int. *μεγάλῳ καύσωνι*, haec nobis (nam Rutherfordus ambigit) probabilius videntur ad *πρηστῆρι* quam ad *μ. τυφῷ* pertinere. Cf. Scholia in A. Lysistratam ed. a G. Stein (Gottingae 1891).

chius nunc quidem non eandem verbi formam quae est apud Aristophanem posuit, id quod ille persaepe facit et originem glossarum prodit, sed verbum ipsum vel (si tamen) nomen de verbo derivatum cum explicatione adscripsit. Quocirca haec redire ad Aristophanem non tam fidenter affirmare licet, quam in multis Aristophaneis quae Hesychius recenset. Sed nos damus hoc, Hesychii glossam posse sumptam esse ex Aristophane. Quid tum postea? Cobetus negat fieri posse, ut duo verba coniuncta apud Aristophanem fuerint, quorum alterum alteri explicando Hesychius adhibuit, sed necessario concludendum esse, Aristophanem uno verbo defunctum, alterum ex ipso Hesychio primum interpretamenti loco appositum, dein cum *καί* particula textu receptum esse. Sic ille et similiter multi de Hesychii usu iudicarunt. At nos quo saepius et intentius Hesychii lexicon versamus, eo magis dubitare coepimus, quam iusta sit haec conclusio, cui certe multa videmus adversari. Non nostrum est, fila penitus dissolvere, quibus hoc opus contextum sit; id quod spes est propediem a doctioribus institutum iri. Sed nobis satis sit paucis exemplis se- 12
lectis declarasse, non eas esse huius lexicographi rationes ut ex eius glossis, in hac re quam agimus, quid scriptum fuerit aut non scriptum in scriptoribus, quorum verba refert, cum fide liceat colligere.

Hesychius *στέργει· φιλεῖ, ἀγαπᾷ*
Aristophanes Equit. 769 *εἰ μή σε φιλῶ καὶ μὴ στέργω*
Hesychius *κυκῶν· ταράσσων, ἀναζέων*; cf. *διακυκῶσι· διαταράττουσιν*
Aristophanes Equit. 692 Acharn. 688 *καὶ ταράττων καὶ κυκῶν*
Hesychius *κόβαλος· πανοῦργος, κακοῦργος ..*
Aristophanes Equit. 450 *κόβαλος εἶ.* ‖ *πανοῦργος εἶ* cf. Ran. 1015 *μηδὲ κοβάλους .. μηδὲ πανούργους*
Hesychius *πολιός· γέρων*
Aristophanes Vesp. 1192 *ἤδη γέρων ὢν καὶ πολιός* cf. Lysistr. 595 *κἂν ᾖ πολιός*
Hesychius *σαπρόν· παλαιόν, αἰσχρόν, ἀκάθαρτον*
Aristophanes Plut. 1086 *τρὺξ παλαιὰ καὶ σαπρά*
Hesychius *σφριγᾷ· . . . εὐσωματεῖ*
Aristophanes Nub. 799 *εὐσωματεῖ γὰρ καὶ σφριγᾷ*
Hesychius *σκαιός· δύσκολος .. ἀπαίδευτος, ἀμαθής*

Aristophanes Vesp. 1183 ὦ σκαιὲ κἀπαίδευτε
Hesychius ἀνόητος· μωρός, ἠλίθιος
Aristophanes Eccles. 764 sq. ἀνόητος;|| ἠλιθιώτατος μὲν οὖν
Hesychius πάχητες· πλούσιοι, παχεῖς cf. Photius παχεῖς· Ἀττικοὶ τοὺς πλουσίους καλοῦσι συνήθως
Aristophanes Pac. 639 τοὺς παχεῖς καὶ πλουσίους cf. Vesp. 288
Hesychius ἀνερμάτιστα· ἀστήρικτα, ἀπόφρακτα
Auctor περὶ ὕψους 2, 2 p. 4 ed. III ἀστήρικτα καὶ ἀνερμάτιστα ἐαθέντα, quorum Iahnius ἀστήρικτα καὶ deleverat; quo de vide nunc opp. ac. I p. 130
Hesychius ἀνέχω· κωλύω
Thucydides VI 86 κωλύοντας καὶ ἀνέχοντας
Hesychius ἀλυσιτελές· ἀσύμφορον, ἀνωφελές cf. λυσιτελής
Plato Cratyl. 417 d ἀξύμφορον καὶ ἀνωφελὲς καὶ ἀλυσιτελές
Hesychius παλαμναῖος· ἀποτρόπαιος, σκληρός, φονεύς
Sophocles Trachin. 1207 φονέα γενέσθαι καὶ παλαμναῖον
Hesychius ἄνυδρος· ἄταφος, οὐ λελουμένος
Euripides Troad. 1085 ἄθαπτος ἄνυδρος
Hesychius ἀπ' ἄλλων· μόνον
Sophocles Philoctet. 183 κεῖται μοῦνος ἀπ' ἄλλων
Hesychius παγκρατιασταί· ἀθληταί, πύκται
Plato Leg. VIII 830 a εἰ πύκτας ἢ παγκρατιαστὰς ἤ τι .. ἕτερον ἀθλοῦντας;
Hesychius βόστρυχοι· πλόκαμοι
18 Euripides Troad. 1182 σοι βοστρύχων Πλόκαμον κεροῦμαι
Hesychius γύαλα· θησαυροί, ταμεῖα
Euripides Androm. 1093 χρυσοῦ γέμοντα γύαλα, θησαυροὺς βροτῶν
Hesychius δαρόν· μακρὸν χρόνον
Sophocles Aiac. 414 πολύν με δαρόν τε .. χρόνον
Hesychius διαύλους· στενοὺς τόπους
Euripides Troad. 435 στενὸν δίαυλον ᾤκισται
Hesychius διοίκησις· ἡ ἀνάλωσις τῶν χρημάτων
Xenophon Memor. IV 6, 14 ἐν μὲν χρημάτων διοικήσει
Hesychius ἄοινα· ἱερά, τὰ καὶ νηφάλια
Aeschylus Eumen. 107 χοάς τ' ἀοίνους, νηφάλια μειλίγματα.

Haec nos selegimus ex multo pluribus et sic nuda nulla nostra adnotatione aucta proponimus, quamquam eorum rationes non usque quaque eaedem sunt, sed hoc non fugiet intelligentes, qui praesertim teneant quid probatum eamus. Haec igitur qui studiosius recognoverit et perspexerit, fatebitur, opinamur, ex iis quae sunt apud Hesychium *γογγύλλειν· συστρέφειν* colligi non posse Aristophanem non ea duo verba connexuisse, quae non semel sed bis apud eum in libris quidem composita leguntur, *ξυστρέψας καὶ ξυγγογγύλας* vel contrario ordine *[συγ]γογγύλας καὶ συστρέψας*, sed Hesychium, quamquam *γογγύλλειν* interpretari *συστρέφειν* etiam ultro ei in mentem venire potuit, sicut saepe in similibus *συστροφάς**) appellat (cf. *ἄελλα, ἐριωλαί, δεῖναι*, al.), tamen credibilius esse eo interpretamento uti quia haec ipsa apud Aristophanem coniuncta legerat. Itaque Hesychii causa nihil erat quod moveretur in verbis Aristophanis, ne tum quidem si ipsas formas posuisset, *γογγύλας (συγγογ.)· συστρέψας*, nedum nunc cum quae posuit *γογγύλλειν· συστρέφειν* habeant id incerti quod diximus. Quare sic rationem concludimus, Aristophanis verba, recepta nimirum a Cobeto correcta verbi forma *ξυγγογγύλας (συγγογγύλας)*, ceteroquin recte scribi sicut librorum memoria tradita ante Cobetum circumferebantur, in Lysistrata

ὥσπερ τοὺς θωμοὺς
μεγάλῳ τυφῷ καὶ πρηστῆρι
ξυστρέψας καὶ ξυγγογγύλας
οἴχοιο φέρων

in Thesmophoriazusis autem

κατὰ τοῦ θριγκοῦ
*[συγ]γογγύλας καὶ συστρέψας**)
τουτὶ τὸ πέος χοανεῦσαι.

Nisi qui forte haec duo verba synonyma utpote inutiliter cumu-lata fastidit et hanc scabritiem poetae eximendam ducit. Quamquam vel sic decernenti Hesychius opem ferre non possit. Sed hoc par verborum et forma et notione similium, *ξυστρέψας κα[illegible]*

---

*12) Conferri possunt etiam *στρομβοῖ· συστρέφει; στροβῆσαι· συστρέψαι; στρόμβος· συστροφὴ ἀνέμου*, multa similia.

*28) In scholiis Ravenn. quod ad v. 61 ext. adscriptum est *συγκάμ[illegible]* (*συγκάψας*) videatur propter *συστρέψας* appositum esse: nam quod Ruth[illegible]fordus putat hanc esse glossam ad *συγγογγύλας*, quod olim scriptum fu[illegible] pro eo quod nunc est in cod. *γογγυλίσας*, probabile non est.

ξυγγογγύλας vel inverso ordine copulatorum, quid est quod minus idoneum aut minus tolerabile iudicetur quam vel haec in eadem fabula 585 *ξυνάγειν καὶ συναθροίζειν εἰς ἕν*; 577 *τούς γε συνισταμένους τούτους καὶ τοὺς πιλοῦντας ἑαυτούς*, ubi tralatum verbum proprio adiungitur, aut in Vespis 601 *οἴων μ' ἀποκλήεις καὶ κατερύκεις*, vel Ranis 703 *εἰ δὲ τοῦτ' ὀγκωσόμεσθα κἀποσεμνυνούμεθα*, et in Pace 381 *εἰ μὴ τετορήσω ταῦτα καὶ λακήσομαι* (cf. Acharn. 579), alia multa. Nam in his paucis subsistimus, quae maxime comparabilia videntur illis quae suo poetae vindicamus. Universum enim genus ubertatis vere poetam decentis latissime patet etiam in Aristophanis fabulis, sic ut praetereundo tractari non possit sed propriam sibi disputationem requirat.

Sed ab his Hesychii glossis toties pravo consilio ad emendationem poetarum scriptorumve Graecorum adhibitis non discedimus priusquam alterum exemplum Aristophaneum breviter perstrinxerimus. In Ranis enim a v. 202 Charon et Dionysus haec inter se commutant verba

Χ. οὐ μὴ φλυαρήσεις ἔχων ἀλλ' ἀντιβὰς
ἐλᾷς προθύμως;
Δ. κᾆτα πῶς δυνήσομαι
ἄπειρος ἀθαλάττωτος ἀσαλαμίνιος
ὢν εἶτ' ἐλαύνειν; .

In quibus *ἄπειρος* displicuit Velseno et quia apud Hesychium legi viderat *ἀθαλάττωτος· ἄπειρος θαλαττίου πλοῦ*, et rursus *ἀσαλαμίνιος· ἄπειρος θαλάσσης*, inde suspicatus est hanc glossam ex Hesychio in versum Aristophanis illatam primitivam vocem extrivisse, poetae vero fortasse reddi posse *ἀεί τις* pro *ἄπειρος*. Quam coniecturam Velseni cum I. Leeuwenus memoratu dignam habuit Ranis a. 1896 editis, tum Kockius ita secutus est, ut pro *ἄπειρος* mallet *ἀγρεῖος* h. e. agrestis reponi. Qui cum Hesychii mentionem non faciat et ex *ἄπειρος* efficere studeat quod apicum similitudine commendetur, Velseni rationes fallimur aut non recte taxavit, qui Cobetianam rationem aemulatus Hesychii glossas plurimi fecit, ex quibus subditivam vocem originem duxisse voluit. Nos si quid exemplis supra collectis effecimus hoc statuendum existimamus, Hesychium potuisse illum quidem sua sponte in istam explicationem vocabulorum *ἀθαλάττωτος**), *ἀσαλαμίνιος* incidere

*37) Kockius *ἀθαλάττευτος*, quod ut non negamus probabile esse, ita ambigimus quam recte *ἀθαλάττωτος* reiiciatur.

(nihil erat enim simplicius, velut *ἄφιπποι* dicit *οἱ ἀπείρως ἔχοντες ἱππικῆς*), sed probabilius esse *ἄπειρος* in istis interpretandis glossis posuisse, quia hoc ipsum nomen in versu Ranarum legerat. Quare Hesychii glossae si quid tribuendum sit, stabilivisse potius istam vocem videatur. Sed omissis his nugis Hesychianis si quaeritur, quid sit quod *ἄπειρος* criticis non uni sed pluribus improbetur ut pro spurio aut depravato habeant, quid respondebimus? Quid, nisi mirifice videri doctos alucinari quod non vident Dionysum cum iuberetur remis agere, *οὐ μὴ φλυαρήσεις ἔχων ἀλλ' ἀντιβὰς ἐλᾷς προθύμως*, respondisse quod e re erat 'qui potero remigare, cum sim imperitus (remigandi scilicet), maris navisque plane ignarus?' Nam *ἄπειρον* liquido apparet et hanc vim habere (ut ille dicit *τὸν ἄπειρον τοῦ κυβερνᾶν*) et tam appositum esse huic sententiae, ut vel per se solum satisfacere posset (*πῶς δυνήσομαι ἐλαύνειν ἄπειρος ὤν*), huic autem egregie adnecti illa *ἀθαλάττωτος, ἀσαλαμίνιος*, quae graviora sunt, quoniam remigandi imperitus esse possis, etiamsi maris navisque ignarus non sis*). Haec tria vero pariter ex alpha privativo formata scite unam seriem efficiunt, plane de more quo poeta vel in hac fabula scribit (838)

ἔχοντ' ἀχάλινον ἀκρατὲς ἀθύρωτον στόμα.

Quae qui contulerit, intelliget, quanto opere illi versui offecerint, qui pro *ἄπειρος* reponere aut *ἀεί ͵τις* aut *ἀγρεῖος* animum induxerint. Nos admiramur poetam quanto scitius orationem formaverit quam philologi qui quae fingunt plerumque impediti ne satis libero animo nimis saepe non sentiunt poetam non decere.

De Hesychio diximus et exemplo patefacere studuimus qua cautela esset in glossis eius ad scriptorum emendationem referendis. Sed haec res non unius est Hesychii, verum serpit longi et ad plures grammaticos pertinet, quorum testimoniis confisi C betus inprimis et post eum alii multa in multis scriptoribus s arbitratu novanda duxerunt. Nos de Aristophane loquimur, exempli causa unum etiam locum proponemus, cuius integri probe expendenda alius grammatici fide continetur. Sunt ve Aeschyli in Ranis 1083

κᾆτ' ἐκ τούτων ἡ πόλις ἡμῶν
ὑπογραμματέων ἀνεμεστώθη

*17) Ex iis quae mulier dicit in Eccles. 37 *ὁ γὰρ ἀνήρ, Σαλαμ γάρ ἐστιν, ᾧ ξύνειμ' ἐγώ, τὴν νύχθ' ὅλην ἤλαυνέ μ' ἐν τοῖς στρώμασιν* ambiguitate obscena, de vera vi vocis non multum discitur.

καὶ βωμολόχων δημοπιθήκων
1086 ἐξαπατώντων τὸν δῆμον ἀεί,
λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν
ὑπ' ἀγυμνασίας ἔτι νυνί.

De versu 1086 Bergkius primus iam tum cum primum Aristophanis comoedias ederet a. 1852 in praefatione breviter adnotavit 'fort. subditius est', idque iterata editione a. 1867 repetiit, versum ipsum nec loco movit neque obelo notavit. Quo auctore Meinekius confidenter versum sua sede proturbatum in imum marginem relegavit. Eademque mente Velsenus versum utpote iam ἐστιγμένον uncos trahere iussit. Kockius quoque et Blaydesius, qui istam sententiam memorandam duxerunt, nonnihil ei probabilitatis dare videntur. Sed neque hi qui ἐπέχουσι, neque illi qui reum condemnarunt, quicquam rationis, quo iudicium factum confirmaretur, attulerunt: ut magni critici solent, sibi credi cupiunt, argumentando convincere nihil curant. Unus Leeuwenus, novissimus Ranarum interpres, versu item in adnotationem reiecto originem quidem additamenti Cobeti exemplo aperuit, cum ita diceret 'versum, quem peperit glossema quale Bekk. Anecd. p. 34 legitur δημοπίθηκος ὁ ἐξαπατῶν τὸν δῆμον, delevit Bergk.' Phrynichi quod dicit testimonium, cuius integra verba haec sunt δημοπίθηκος· ὁ ἐξαπατῶν τὸν δῆμον καὶ θωπεύων κολακικῶς, non praeteriit ne superiores quidem interpretes, Fritzschium, Dindorfium, sed eo usi non sunt in hunc modum, non magis quam quae interpres Graecus ad illum versum adnotavit, quem Rutherfordus in codice Ravennati super βωμολόχων posuisse συκοφαντῶν, ad versum autem 1085 τῶν τὸν δῆμον κολακευόντων καὶ πειθόντων adiecisse testatur; qui et ipse ex nescio qua adnotatione scholiastae spurium quem dicit versum 1086 ἐξαπατώντων τὸν δῆμον [ἀεί] fluxisse opinatur; id quod nobis valde esse ambiguum videtur, quoniam ex istis scholiastae verbis is versus effingi non potuit et quae praeterea fuerit adnotatio sciri non potest: nisi forte vir doctus in contrarium ratiocinatur, quia versus spurius sit, eo non posse fieri quin eius verba fuerint in scholiastae adnotatione: quo magis appareat libidine agi, non iudicio ac ratione. Illud vero speciosum est, quod quae verba sunt in versu 1086 iisdem paene Phrynichum δημοπίθηκον videmus interpretari. Ut si is versus Aristophanis non est, habeamus certe unde ea verba in poetam translata dicamus. Sed sitne Aristophaneus an non sit, haud fa-

cilis diiudicatio est. Phrynichus cum haec duo ponat ὁ *ἐξαπατῶν τὸν δῆμον* et *θωπεύων κολακικῶς*, hoc agit aperte, ut utrumque declaret et ad *δῆμον* quid pertineat *δημοπίθηκος* et cur *πίθηκος* appelletur, plane ad eum modum quo paulo post *δειπνοπίθηκος* definivit ὁ *δείπνου ἕνεκα πιθηκίζων καὶ ὑποθωπεύων κόλακος τρόπον*. In quo consilio ut prius exsequeretur cum nihil magis idoneum esset, quam quae verba sunt in illo versu, *ἐξαπατώντων τὸν δῆμον ἀεί*, tamen iis usurum fuisse grammaticum negabimus, si ea in versibus poetae legisset, quibus glossam suam acceptam ferebat? Id nos minime cadere in hunc grammaticum asseveramus vel eo exemplo confirmati, quod p. 43 Anecd. Bekk. legitur

θρύπτεσθαι· ὡραΐζεσθαι. ἄμφω Εὔπολις·
ὡραζομένη καὶ θρυπτομένη.

Nimirum quae ambo coniuncta legerat apud Eupolin, eorum altero utitur ut declaret alterum. Quo testimonio supra nobis uti licebat cum de verbis Aristophanis *ξυγγογγύλας καὶ ξυστρέψας* et Hesychii glossa alterum eorum per alterum interpretantis verba faciebamus. Itaque sic statuimus testimonio Phrynichi, quod explicando *δημοπιθήκῳ* eadem paene verba adhibet quae huic voci adiecta sunt apud Aristophanem, tantum abesse ut is versus in dubium vocetur, ut ei aliquid fidei accrescat.

Sed nos nescimus quo maxime argumento ducti viri docti versum istum damnaverint, qui fortasse, omissa grammatici notatione, in ipso offenderunt quod eum intolerabilem et hoc poeta indignum reddere videretur. A quibus ita dissentimus, ut videamur nobis huius poetae consilium et rationem in hoc versiculo non levibus expressam vestigiis animadvertere. Qui quod illis *βωμολόχων δημοπιθήκων* subiecit haec *ἐξαπατώντων τὸν δῆμον ἀεί*, quibus illorum vis et sententia apertius etiam et explicatius significatur, manum eius agnoscimus, cui vel haec probata sunt, in Vespis 1117

τοῦτο δ' ἔστ' ἄλγιστον ἡμῖν, ἤν τις ἀστράτευτος ὢν 17
ἐκροφῇ τὸν μισθὸν ἡμῶν, τῆσδε τῆς χώρας ὕπερ
μήτε κώπην μήτε λόγχην μήτε φλύκταιναν λαβών

in Avibus 271

οὗτος οὐ τῶν ἠθάδων τῶνδ' ὧν ὁρᾶθ' ὑμεῖς ἀεί,
ἀλλὰ λιμναῖος

et in Ranis 536

μετακυλίνδειν αὑτὸν ἀεὶ
πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον
μᾶλλον ἢ γεγραμμένην
εἰκόν' ἑστάναι, λαβόνθ' ἓν
σχῆμα,

vel in eadem 911

πρώτιστα μὲν γὰρ ἕνα τιν' ἂν καθῖσεν ἐγκαλύψας,
Ἀχιλλέα τιν' ἢ Νιόβην, τὸ πρόσωπον οὐχὶ δεικνύς;

sententiam autem ipsam inprimis appositam dicimus, quia nihil est quo magis illorum quos *δημοπιθήκους* appellat pernicies popularis prodatur quam quod *ἐξαπατᾶν τὸν δῆμον* didicerint et consueverint: id quod cum multis intelligitur tum vel his in Equitibus quibus Chorus *Δῆμον* accusat (1115)

ἀλλ' εὐπαράγωγος εἶ
θωπευόμενός τε χαί-
ρεις κἀξαπατώμενος,
πρὸς τόν τε λέγοντ' ἀεὶ
κέχηνας.

Sed de Aristophane disputare infinitum est, nos autem opera iam alibi occupata finem disputandi facere iubet. Scr. m. Aprili a. MDCCCXCVIII.

XLIX. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1899.

In prooemiis scribendis, quorum institutum semper idem est, ut lectionum academicarum enumerationi aliquid litterariae disputationis praemittatur ex veterum scriptorum interpretatione petitae, materiae quidem aliquam varietatem quaerimus ita ut non ex eodem scriptore sed ex pluribus scriptionum nostrarum argumenta repetamus. Itaque post Aristophanem iam bis hac occasione ad partes vocatum ad Ciceronem nos convertimus eo consilio ut genus quoddam emendationis Tullianae exemplis nonnullis patefaciamus ac declaremus. Etenim qui vel novissimae editionis Teubnerianae volumina diligentius pertractaverit, intelliget in omni parte librorum Ciceronis multis locis verba singula aut plura continua et tota enuntiata damnatorum instar in vincula esse coniecta. Nam hoc editoris clementia a se non impetravit, ut supplicio afficeret damnata et ex hominum memoria exstirparet, sed clatrata ea maluit vitam invitam ducere. Et hoc sane probe factum est, si quidem legentium prudentia admonetur, ut ne securi transiliant loca maleficorum miseriis infecta sed quasi per transennam introspicere cupiant curiosi quid rei geratur.

Non negamus hic illic in bonis codicibus (nam in malis talia multa esse nemo nescit) orationem Tullianam falsis additamentis auctam esse; sed tamen ita censemus, in iis quae editor novissimus reiecit, pleraque non se auctore sed alienae fidei astipulatus, multa esse quae aut iniuria ferre uncos iussa sint, aut si quid per errorem labis traxerint, leniore poena ad sinceritatem revocari potuerint. Utrumque autem sensui nostro pergrave esse visum est, ut in hominum vita innocentes condemnare aut gravius punire quos lenius licebat, ita in litteris orationem quae non nostra est sed aliena, sed scriptorum nobilium quos laudant et admirantur omnes, aut pusillo naevo infectam aut integerrimam nostris erroribus absciso membro mancam et truncatam reddere.

4 Itaque nos, qui non hoc nobis sumimus ut eruditos criticos doceamus, verum id solum sectamur ut iuvenibus qui haec studia capessunt viam si possimus monstremus qua via recte et cum fructu scriptorum veterum libros tractare discant, eos in hac parte quam nunc disceptamus monere consuevimus, primum ut omissis quae omitti critici iubent quid nanciscamur aut quid lucri afferatur scriptori accurate et subtili iudicio perpendant, caventes ne uncinata oratione decipiantur ut adesse credant quae absunt: quo facto saepe intelligi criticos non assecutos esse quod voluerint, ut probabilem formam et quae scriptoris elegantia aut amplitudine digna esset rescindendo refingerent; secundo autem loco, ut ne umquam inquirere supersedeant, quae falso addita esse editores affirmant, ea qua de causa aut quo consilio ducti addidisse videantur qui addiderunt: qui hoc omittant quaerere, ut caecos vacillare in tenebris, cum reiiciant quae se sciant unde nata sint nescire; non audiendos esse ne eos quidem qui ut interpolatoris sui rationes aperiant incredibilia fingant et quae nusquam gentium fieri manifestum sit, ea nobis facta esse persuadere velint. Tertium etiam suadere discipulis nostris solemus, in discrepantia testium, quorum quidem fides est, cum in altera parte exstant quae desiderantur in altera, ne cum vulgo criticorum praepropere suspicionem falsi arripiant sed attento examine discernere studeant, utrum addendo peccatum sit an omittendo, quandoquidem utrumlibet fieri potuit.

Sed pergimus ad exempla quae nunc pauca afferimus ex orationibus hausta. In oratione pro Plancio Cicero L. Cassio Laterensis patrono, qui hoc agit (a c. 24, 58) ut Laterensem nobilitatis causa Plancio digniorem aedilitate fuisse comprobet, varia in hunc usum interroganti deinceps respondet (59).

Quaesisti utrum mihi putarem equitis Romani filio faciliorem fuisse ad adipiscendos honores viam an futuram esse filio meo quia esset familia consulari. Ego vero quamquam illi omnia malo quam mihi, tamen honorum aditus numquam illi faciliores optavi quam mihi fuerunt. Quin etiam, ne forte ille sibi me potius peperisse iam honores quam iter demonstrasse adipiscendorum putet, haec illi soleo praecipere (quamquam ad praecepta aetas non est gravis) quae ille a Iove ortus suis praecipit filiis

vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis.

nostis cetera. nonne?
id quod multi invideant:
quae scripsit gravis et ingeniosus poeta, scripsit non ut illos
regios pueros, qui iam nusquam erant, sed ut nos et nostros
liberos ad laborem et ad laudem excitaret.

Universe haec ita ex bonis codicibus, quorum duo prae ceteris adhibentur, tracta et a Baitero in Turicensi altera a. 1856 edita sunt. Nam illud leve est, quod quia in istis codicibus (v. 8) pro *quae* exaratum est *quare,* inde *quae rex* efficiendum putarunt; quod a Klotzio primo propositum hodie recipiunt omnes, quamquam, ut hoc vituperabile non sit, qui minus Cicero scripserit *quae ille a Iove ortus* quam scribit in Tusc. disp. III 12, 26 *qualis enim tibi ille videtur Tantalo prognatus* cet. Neque *grauis* (v. 8), pro quo est in altero codice *gnarus* (ut v. 13 pro *grauis* alter *graius* exhibet), satis certi sumus, utrum delendum sit, id quod cum Orellio Cobetus probavit, item Madvigius, et est haec proba oratio *ad praecepta aetas non est,* an corrigendum, velut *grandis* Klotzio acceptum ferentes plerique omnes nunc in textu ponunt, veremur ne specie inducti. *Nostis* autem (v. 11), quod in libris scriptum est *nostris*, pridem restitutum est. Sed nobis longe graviora in hac parte disceptanda sunt. Nam quod Cicero post illa quae dicit (11) *nostis cetera,* quibus se plura ex ista oratione poetae afferre nolle indicat, tamen per interrogationem, addita particula, ex eadem oratione super addere videtur haec *nonne? "id quod multi invideant"*, mirum non est olim doctis valde displicuisse. Quorum Orellius oratione pro Plancio cum commentario Garatonii seorsum edita a. 1825 post aliorum commenta varia studiosius excussa in eo persistendum arbitratus est, ut omisso versu "*id quod multi invideant*", quem nescio quis ex oratione Sestiana, ubi eadem verba cum pluribus citantur, ad hunc locum adscripsisset, tantum *nonne* particula ad Ciceronis orationem traheretur; eandemque sententiam postea Wunderus hac oratione cum amplis commentariis a. 1830 publicata pluribus etiam confirmare studuit p. LVII sqq. et 159. Esto de versu: sed eo omisso quae residua est oratio *nostis cetera: nonne?* eane decere Ciceronem videbitur? Orellius quidem qui *nosti* maluit, probante Wundero, quam *nostis* scribi, haec ut ad unum Cassium referrentur, non sine vi quadam hanc curtatam interrogationem addi putavit ("*nonne*" *scil. nosti? immo optime tu nosti, Cassi, homo nimirum erudite* cet.) et hunc usum particulae verbis

stabiliri quae sunt in oratione pro Caecina 13, 37 *verum ita est, uti dicis: te deiectum debeo intellegere, etiam si tactus non fueris. nonne? age nunc* cet. At vero *nonne* totius instar interrogationis esse nihil est insolentiae: de sententia quaeritur. Atqui nos, qui *nostis*, quod ex libris prodit, retinemus et iudices appellari censemus, in istis verbis *nostis cetera*, quibus Cicero, uti diximus, sibi otium facit plura afferendi, quo modo saepe in simili causa loquitur (Cat. mai. 6, 16 *ceteraque gravissime: notum enim vobis carmen est;* ibid. 17, 61. Lael. 3, 11 *quid dicam de moribus facillimis* . . *nota sunt vobis;* in Anton. XIII 14, 30 *quid reliquos commemorem? nostis omnes;* ad fam. VII 28, 2 *ut ibi esses, "ubi nec Pelopidarum" nosti cetera*), tam nullam vim esse aiimus, ut his istam interrogationem (*nonne?*) adnecti nec exemplo nec ratione ulla comprobari possit. Itaque rescisso versu haeret aqua in *nonne* particula neque via iam expedita est. Quod qui probe perspexit post Cobetum (Mnemos. 1862 p. 325 sq.) Madvigius (Advers. crit. II p. 231) apertum iam emendandi iter persecutus particulam una cum versu esse abiiciendam instat et hoc totum *nonne "id quod multi invideant"* ad unum eundemque interpolatorem reiiciendum, qui per hanc interrogationem aliquid exempli causa ad ista *nostis cetera* ex sua Ciceronis memoria addere voluerit. Et hic quidem, quae merita est eius in hoc genere auctoritas, plausum tulit. Sed videamus reliqua. Etenim Ciceronis verba criticorum beneficio ad istam brevitatem redacta excipiunt haec *quae scripsit gravis et ingeniosus poeta, scripsit non ut illos regios pueros, qui iam nusquam*
6 *sunt, sed ut nos et nostros liberos ad laborem et ad laudem excitaret.* In quibus rursus est quod legentem moretur: nam 'non quae scripsit, inquit Madvigius, omnia eo consilio scripsit sed haec ipsa', neque alium sensum hoc duplex *scripsit* videbatur recipere. Quam ob rem hoc alterum *scripsit* (fuit qui prius mallet) iam a Garatonio notatum cum Orellio Wunderus, cum Cobeto Madvigius tolli iusserunt, ut simplex esset oratio *quae scripsit ingeniosus poeta, non ut illos* . . *sed ut nos* . . *excitaret.*

Ad hunc igitur modum totum locum adornatum

Haec illi soleo praecipere quae ille a Iove ortus suis praecipit filiis: "vigilandum est semper; multae insidiae sunt bonis." nostis cetera. [nonne id quod multi invideant] quae scripsit gravis et ingeniosus poeta [scripsit] non ut illos regios pueros . ., *sed ut nos et nostros liberos ad laborem et ad laudem excitaret,*

duplici uncorum pari insignem editiones recentiores quas quidem novimus omnes ferunt, Muelleriana a. 1886, Koepkiana a Landgrafio instaurata a. 1888, novissima ab Audeno Londini a. 1897 curata, nisi quod praeter Muellerum *scripsit* alterum ne uncinatum quidem tolerant in textu, utpote quod ex mera scilicet repetitione ortum eiicere nihil vetet. Neque secus haec inter Accii testimonia Ribbeckius nuper Tragicorum fragmentis tertium editis (a. 1897) perscripsit p. 188, atque etiam Lachmannus cum haec afferat in commentario Lucretiano p. 18 *quae scripsit gravis ille et ingeniosus poeta non ut illos .. excitaret* addito pronomine quod scripti libri non agnoscunt ne de superioribus quidem videtur aliter iudicasse. Neminem vidimus qui de universa ista ratione inita et probata a doctis dubium moveret, sed aliena fide consopiti acquieverunt omnes. Unus Kayserus uncis quidem abstinuit et verba dedit ut a Baitero olim ex codicum memoria edita sunt, sed nihil ille attulit quo eorum vim et sententiam non uno nomine obscuram patefaceret.

Haec narratio rei gestae, multis molesta, qui nihil quaerunt nisi quid statuendum videatur, nonnullis nisi fallimur non inutilis videbitur, intelligentibus non de nihilo esse scire, quo principio orta quibus gradibus ad istum finem haec crisis deducta fuerit. Atque ea iam nobis recognoscenda est. Sententiam quam secludunt "*nonne id quod multi invideant*" Madvigius 'grammatici suspicionem dixit in margine antiqui codicis adnotatam.' Speciose. Sed estne hoc credibile quod posuit, nescio quem grammaticum, qui quia forte memor erat orationis Sestianae, in qua verba *multae insidiae sunt bonis* excipiuntur (non eodem enuntiato) ab his *id quod multi invideant,* illi versui, quo uno Cicero defungebatur additis verbis *nostis cetera,* hoc alterum exemplum ex eadem poetae oratione petitum quasi illius parsimoniae locupletandae causa adiicere voluit, id per hanc timidam interrogationem *nonne* "*id quod m. i.*" instituisse quasi dubitaret et cunctaretur? Merum versum putamus, si id agebat, appositurum fuisse: quamquam si verum fateri volumus, ne eius quidem addendi causa ulla apparebat. Quid enim in his *haec illi soleo praecipere quae ille a Iove ortus suis praecipit filiis* "*vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis.*" *nostis cetera* desiderari dicimus quod grammatici sedulitatem movere potuerit?

Itaque nos pravam esse existimamus hanc explicandi rationem, 7

qua interpolati opinionem fulcire studuerunt. Neque tamen eo relabimur, ut Ciceronem ipsum putemus post illa *nostis cetera* eodem tenore alterum versum cum interrogatione afferre potuisse. Verum hoc oportet intelligi, ista via nihil sani aut certi criticos esse assecutos, id eo minus, quod seclusis quae secludi iubent, cum ad insequentia verba perventum est *quae scripsit gravis et ingeniosus poeta scripsit non ut illos .. sed ut nos excitaret,* rursus nos turbae excipiunt minime iam compositae. Quam enim fidem habemus illis quae forte videri poterant parte abiecta satis recte adornata esse, si tamen in proximis salebrae progredientem inhibent. Nam si qui ita ratiocinantur, alterum *scripsit* mero scribendi errore repetitum et sine cunctatione abiiciendum esse, ea memorabilis est incogitantia eorum, qui non vident haec omnia inter se nexa et colligata ad unam orationem pertinere, neque posse eius constare emendationem nisi quae ex uno principio ducta toti sententiae suam lucem restituat. Etenim ut proficiscamur ab hoc duplici verbo *scripsit*, quid? si ponimus paulisper exempli causa in re incerta scriptum fuisse *haec quae scripsit ingeniosus poeta, scripsit non ut illos .. sed ut nos .. excitaret,* vel *haec qui scripsit ingeniosus poeta, scripsit non illo consilio, sed hoc,* nonne ilico apparet quae ratio fuerit aut esse potuerit duorum verborum, geminatorum scilicet fere ad eum modum quo Ennius scripsit *Andromachae nomen qui indidit, recte ei indidit*? Atque ex hac parte exorsis, quoniam totus tenor docet, haec quae dicit Cicero de ingenioso poeta deque eius consiliis quae ista oratione exsecutus sit ad ea redire quibus se uti fatetur in commonefaciendo filio, iam paene elucet, interrogationem istam, quae ante pendere videbatur soluta, *nonne id quod multi invideant,* a superioribus seiunctam iungi oportere cum inferioribus suoque vinculo vinciri iis quae de poetae voluntate dicuntur. In unum haec collige, et habebis quae Cicero senserit.

> *Haec illi soleo praecipere, quae ille a Iove ortus suis praecipit filiis. "Vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis." nostis cetera. Nonne "id quod multi invideant"* qui*) *scripsit gravis et ingeniosus poeta, scripsit non ut illos regios pueros, qui iam nusquam erant, sed ut nos et nostros liberos ad laborem et ad laudem excitaret?*

---

*33) [Nordenus (per litteras) quamvis meis rationibus non leviter probatis *quae* posse retineri opinabatur: in qua re fortasse fallor, sed habeo quod dubitem.]

in quibus nihil a fide librorum discedit, nisi quod littera mutata *qui* repositum est pro *quae*, proclivi errore altera forma pronominis exarata pro altera.

Itaque Cicero quia se narrat praecipere filio quae Atreus de tragoedia suis filiis praecipiat, causam addit qua causa se id recte facere affirmet, cum ita dicat, illa qui scripserit ingeniosum poetam scripsisse non ut Atrei filios qui iam nusquam essent sed ut qui viverent adolescentes ad laborem et laudem excitaret; sed eam causam non quod poterat per enuntiatum causale affert, verum interrogatione usus, quae etiam fortiorem vim asseverandi haberet: 'nonne illa qui scripsit ingeniosus poeta scripsit non ut illos qui nusquam essent sed ut hos qui essent ad laudem excitaret?' In qua re quod non in uno illo versu se continet, quo primum usus totam ῥῆσιν Atrei significavit, sed in altera sententia rursus alterum versum ex eadem oratione depromptum ponit, cum posset pronomine defungi ut ita diceret, '*filio soleo praecipere quae ille* 8
suis filiis "vigilandum est semper: multae invidiae sunt bonis." nostis cetera. nonne illa qui scripsit ingeniosus poeta scripsit ut nostros liberos ad laudem excitaret', id ut recte iudicetur neve dubitandi materiam pariat, perspicienda sunt quae ex eadem tragoedia excerpta habet oratio Sestiana: in qua Cicero posteaquam viros quosdam egregios et de patria insigniter meritos memoravit, c. 48, 102 hunc locum induxit gravissime: *haec imitamini qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quaeritis: haec ampla sunt, haec divina, haec immortalia; haec fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur. Est labor, non nego; pericula magna, fateor; "multae insidiae sunt bonis", verissime dictum est; sed te "id quod multi invideant multique expetant inscitia est", inquit, "postulare nisi laborem summa cum cura efferas." nollem idem alio loco dixisset, quod exciperent improbi cives, "oderint dum metuant." praeclara enim illa praecepta dederat iuventuti.* Quae qui diligentius consideraverit et cum iis quae leguntur in Planciana contenderit, primum intelliget versum, cuius supra particula est, pleniorem hunc fuisse *vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis,* neque recte Cobetum ex illis tribus *est labor, pericula magna, multae insidiae s. b.* unum facere versum voluisse; deinde post eum versum Ciceronem multa uti solet praetermisisse, quorum tamen memores esse voluit audientes; denique haec *id quod multi invideant* in qua sententia locum habuisse Sestiana docet, in ea

maxime fuisse *praeclara praecepta quae* poeta *iuventuti dederit* et quibus adolescentes *ad laborem et ad laudem excitaverit.* Qua re nihil aptius institui potuit quam quod huius potissimum sententiae particula in ista interrogatione causali quam diximus posita est, qua quid egerit orator vel ista particula satis indicatur. Neque quod scita varietate duas sententias duos eius orationis tragicae versiculos habere voluit offensioni esse potest, si quis intimum eorum tenorem qui fuerit in tragoedia sibi animo informarit. Ceterum qui hoc attenderit in duabus orationibus de eadem scena tragoediae sententias easdem modo plenius modo magis concise afferri, qui mos est Ciceronis in citandis poetarum versibus multis exemplis confirmatus, iam eo nomine sibi persuadebit in Planciana nihil esse quod non verissimam Ciceronis manum prae se ferat.

Alterum exemplum emblematis vulgo crediti, a nobis vero valde addubitati petimus ex oratione pro Rabirio Postumo; quae oratio codicum fide nititur non optima, sed in iis quae nos disceptaturi sumus, non tam de librorum testimoniis quam de rationibus criticorum agendum est. Sunt autem verba haec inde a c. 15, 42

multas equidem C. Caesaris virtutes magnas incredibilesque cognovi, sed sunt ceterae maioribus quasi theatris propositae et paene populares: castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes . . . sunt ea quidem magna, sed magnis excitata sunt praemiis ac memoria hominum sempiterna: quo minus admirandum est eum facere illa qui immortalitatem concupiverit. haec mira laus est quae non poetarum carminibus, non annalium monumentis celebratur, sed prudentium iudicio expenditur: equitem Romanum, veterem amicum suum, studiosum, amantem, observantem sui non libidine, non turpibus impensis cupiditatum atque iacturis sed experientia patrimonii amplificandi labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re fortuna fide hodieque sustinet nec amicum prudentem corruere patitur; nec illius animi aciem praestringit splendor sui nominis nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunae et gloriae. sint sane illa magna quae re vera magna sunt: de iudicio animi mei ut volet quisque sentiat: ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna liberalitatem in suos, memoriam amicitiae reliquis virtutibus omnibus antepono.

Tantum afferendum erat, ut et universe quis esset sententiarum tenor et decursus dispici et de singulis iudicari recte posset. Putamus autem primum, ut ne id quidem praetereamus, *mira* (v. 7) recte scribi; pro quo cum olim alii alia proponerent, *eximia, mera, vera,* nuper editoribus *nimirum* praeplacuit. Quos fefellisse dicas disserendi iter quod est in hac parte orationis. Quas enim Cicero Caesaris virtutes antea magnis laudibus effert, eas tamen non ita admirandas esse affirmat, quia 'magna etiam praemia proposita habent ad nominis immortalitatem:' haec quam deinceps enarrat, quae est in cura ac memoria amicorum posita, *mira* laus est, h. e. admirabilis, quippe quae non carminibus poetarum nec annalium monumentis celebretur sed tantum prudentium iudicio expendatur. Progreditur igitur orator a magnis virtutibus ad maiorem quam putat, sicut in extrema parte expressis verbis dicit *sint illa magna: ego hanc memoriam amicitiae antepono;* et *mira* suo loco eo certius videtur quo magis apparet inter se opposita esse (5) *quo minus admirandum est* cet. et (7) *haec mira laus est;* quae est progressio similis illi qua in Ligariana 4, 11 scribit *haec admirabilia: sed prodigii simile est quod dicam. Cupiditatum* (v. 11) quod cum Halmio Kayserus induxit, Madvigius vindicavit (Adv. crit. III p. 152), ita interpretatus 'turpes impensas cupiditatum dici quae fiant ad cupiditates explendas.' Idem verba (12) *corruere non sivit* quae nonnulli ob similia quae infra (14) leguntur sustulerunt, servanda duxit, ita ratus et habere perapte locum in ista serie eorum quae Caesar Rabirio tribuerit, *labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit* cet. neque probabile esse haec in hoc ordine a nescio quo praeter Ciceronis mentem esse adiecta. De *fortuna* (v. 13) ambigimus, quam vocem, quae librorum fide non videtur destituta, plerique expungunt, causa non indicata; nec satis intelligitur, qua re id nomen, quod bis infra recurrit, *altitudo fortunae et gloriae* (16), *in tantis opibus, tanta fortuna* (18), in hoc ordine *re fortuna fide* ferendum negemus, si tamen Caesar etiam *fortuna* sua, quippe quae *fidem* daret, sustinere labentem potuerit.

Sed haec in transcursu, quoniam semel ad hanc orationem et ad hanc eius partem delati sumus. Dedita opera nobis disserendum est de verbis (14) *nec amicum prudentem corruere patitur,* quae multos male habuerunt, maxime quod *amicum prudentem* appellari mirabantur, quem *imprudentem, pudentem, ruentem* dici

maluerunt, coniectando vagantes ut assolet re parum intellecta; **10** sed ea verba spuria esse primus, ni fallimur, Madvigius posuit Muellerusque credidit; putavit enim his verbis enarratorem aliquem superiorum sententiam, quibus quae Caesar bene fecerit Rabirio enumerantur, *labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re fortuna fide hodieque sustinet*, in margine breviter comprehendere. Qua re hoc quidem efficitur, in eadem comprehensione ne haec duo comparia legantur *corruere non sivit* (12) et *nec corruere patitur* (14), id quod alios adduxisse diximus, ut priora illa reiicienda censerent, quae tamen series ipsa optime ordinata tueri videbatur. Probabilius Madvigius, si alterum utrum delendum est, hoc posterius comma abesse maluit. Unde haec oritur oratio (nam oculis subiicienda est, ut recte aestimetur neve nos specie decipiamur)

> *equitem Romanum, veterem amicum suum, studiosum, amantem, observantem sui non libidine, non turpibus impensis cupiditatum atque iacturis, sed experientia patrimonii amplificandi labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re fortuna fide hodieque sustinet:* [margin: *nec amicum prudentem corruere patitur*] *nec illius animi aciem praestringit splendor sui nominis nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunae et gloriae.*

In his de additamento si quaeritur quod in margine adscripsimus, non hoc obiicimus, non satis apparere quid enarratorem moverit ut his quae aperte scripta erant in margine eorundem sententiam breviter comprehensam adiiceret, verum illud dicimus, inita comparatione non videri illum comprehendere quae posita erant — quo enim *patitur* ac non *passus est*, et cur *amicum prudentem*, quem potius *imprudentem* appellare debebat? — sed continuare et amplificare velle quae scripta sunt *hodieque sustinet*, quibus illa *nec a. p. corruere patitur* accurate in eandem formam et sententiam adnectuntur. Itaque hoc quaerendum est, quid illum adduxerit, ut hoc loco, ubi in libris leguntur, haec verba addenda curaverit et qua ibi utilitate adiecta videantur.

Sed prius videamus proxima, *nec illius animi aciem praestringit splendor sui nominis* cet. De quibus Madvigius ita dicit, post illa *hodieque sustinet* 'transiri ad generalem Caesaris laudem.' Sed eam laudem Caesaris is qui totum argumentandi nexum respicit intelliget non ita generalem esse ut non referatur ad ea

quae proxime antecedunt. Itaque hanc esse sententiam statuimus 'neque splendor nominis aut altitudo fortunae prohibet eum quominus amicorum memor sit et eorum curam habeat;' et illa putamus optime inter se iungi *hodieque sustinet: nec illius animi aciem praestringit splendor sui nominis* cet.: nisi quod in consueta Ciceronis ubertate, quae et hoc loco conspicua est, prius illud commatium *h. s.* non iniuria fortasse paulo tenuius videatur, ut si ibi aliquid interpolator ad hunc fere modum addiderit *neque corruere patitur* non culpandus sit, qui quid Ciceronem deceat tam recto sensu perceperit. Verum tamen quod recte factum dicimus, erit qui spuria origine natum quam a patre orationis partum existimare malit? Itaque actum est de alieni additamenti suspicione. Illud quaeri potest, quoniam universa sententia loco deiicienda non est, num forte in ipsis verbis sit quod manum emendatricem poscat. Nam quod dicit *neque corruere patitur*, quamquam verbo *sustinet* accurate oppositum est, tamen quia praecessit *corruere non sivit*, dubitatio oritur, verene in hac serie senten- 11
tiarum bis idem verbum positum fuerit, praesertim cum non satis dispiciatur, quid sit quod his verbis *hodieque sustinet neque corruere patitur* iterata obiecti significatione, quod unum erat toti orationi, *amicum prudentem* adiecerit. Quod ut recte iudicetur, attendendum est, illa quidem perapte inter se iuncta esse *amicum experientia patrimonii amplificandi labentem excepit, corruere non sivit, fulsit, sustinuit*, ab iis autem haec quae post adiiciuntur *hodieque sustinet* soluta esse latioremque quandam significationem habere: neque enim hoc dicit, *hodieque labentem sustinet* et *labentem corruere non patitur*, (semel lapsum amicum sustinuit). Quod qui probe perceperit, dabit fortasse, in verbo *corruere* peccatum esse et Ciceronem scripsisse *hodieque sustinet nec amicum prudentem ruere patitur*, librarium autem levi mentis errore pro *ruere* verbum quod ante posuerat *corruere* iterasse. Illud verbum qua vi ponatur exempla docent, unum Ciceronis de off. III 13, 54 *quid est enim aliud erranti viam non monstrare, si hoc non est, emptorem pati ruere et per errorem in maximam fraudem incurrere*, alterum Terentii Hautontim. II 3, 128 *vide sis ne quid imprudens ruas;* quae tam hoc ostendunt Ciceronem recte et ad hanc sententiam apposite dicere potuisse *nec amicum ruere patitur*, quam cur *prudentem* adiici voluerit, quod sibi porro *amicum* addi poscebat: hanc enim esse sententiam putamus *hodieque sustinet*

nec amicum utpote prudentem ruere patitur, quem semel lapsum imprudentia sustinuit nec corruere sivit; et apparet tam apte *prudentem ruere* quam *labentem corruere* inter se componi et opponi. Sed tamen, quamquam hanc a nobis leni manu refictam orationem omni ex parte et Ciceronem decere et in huius loci sententiam quadrare arbitramur, de emendato verbo nihil fidentius affirmamus, illud fortius asseverare audemus, falsi additamenti nihil in hac parte agnosci, sed si peccatum sit peccatum esse errore.

Tertio loco orationis Pisonianae vocem unam restituere conabimur, quam a nemine, quod sciamus, recte emendatam plerique omnes in spurii suspicionem trahentes delere maluerunt quae corrigere non poterant. Comparationem dicimus a Cicerone inter Catilinam coniuratosque et inter Pisonem Gabiniumque consules institutam c. 7, 15.

> *Quid enim interfuit inter Catilinam et eum, cui tu senatus auctoritatem, salutem civitatis, totam rem publicam provinciae praemio vendidisti? quae enim L. Catilinam conantem consul prohibui, ea P. Clodium facientem consules adiuverunt. voluit ille senatum interficere: vos sustulistis; leges incendere: vos abrogastis; interire patriam, vos adiuvistis. quid est vobis consulibus gestum sine armis? incendere illa coniuratorum manus voluit urbem: vos eius domum quem propter urbs incensa non est.*

De qua parte erudita est adnotatio Madvigii in Turicensis editionis volumine II p. 1453: in qua primum *interire*, quod codicibus debetur, pravum esse docet, cum activae significationis infinitivum exspectari dicat, nec tamen *interimere*, quod olim propositum
12 est, praestare, quod nec sua vi propria post ea quae praecedunt *interficere senatum* dici potuerit, nec usitatam translationem habeat: desiderium expleri si ex *interire* leni opera *uiterrere* efficiatur. Idque plerique secuti sunt, nec certe probabilius est quod Kayserus in eandem sententiam sed maiore molimine emendandi scribi maluit *vim inferre patriae.* Sed hunc scrupulum felici remo praetervectos excipit novum et gravius obstaculum in iis quae sequuntur *vos adiuvistis.* Quid enim aut quem *adiuvisse* dicuntur? *patriam*ne, quod ex superiore sententia intelligi poterat, sive *interire* erat sive *vi terrere patriam*, an Catilinam quocum comparantur? Utrumque pariter ineptum est, aut eos *adiuvisse patriam* dici, quos patriam

omni genere perditum ivisse arguit, aut Catilinam *adiuvisse*, quod fieri non potuit, cui illos simile sed gravius perpetrasse sententiarum cursu exigitur. Quid ergo est? Madvigius qui *adiuvistis* perversum esse evicit, ad interpolationis salutem confugit: Ciceronem haec inter se copulasse, (*voluit ille*) *vi terrere patriam: quid est vobis consulibus gestum sine armis?* et quia formam figuramque orationis ita mutasset, ut pro affirmatione (*vos omnia armis gessistis*) interrogationem poneret, accidisse ut aliquis qui eandem cum superioribus membris orationis formam requireret nec quod quaerebat in ipsa interrogatione inesse animadverteret, ineptum illud *vos adiuvistis* interponeret. Atque in ea re Madvigio recentiores editores oboedienter paruerunt. Haec quoque oculis subiicimus (pereat vilis charta, modo haec quae volumus perspicua fiant).

> *voluit ille* (*Catilina*) *senatum interficere: vos sustulistis; leges incendere: vos abrogastis; vi terrere* (*interire*) *patriam: quid est vobis consulibus gestum sine armis?*
>
> *vos adiuvistis*

Quis est igitur, qui cum haec legat, non id patiatur, quod Aristoteles προσπταίειν dicit διὰ τὴν ἀντίκρουσιν: adeo enim duobus membris comparibus praegressis affecti sumus, ut in tertio subito relicta orationis figura, quam non poteramus non exspectare, graviter offendamur, cum praesertim, etiam si affirmatio esset pro interrogatione, *vos omnia armis gessistis*, ne sic quidem initae rationi satisfactum videretur. Adeone Ciceronem a se ipsum defecisse? Atqui non ita haec scripta sunt in libris, sed addita non in margine sed suo loco oratione qualem desiderari diximus, *vi terrere patriam: vos adiuvistis.* Quod si hoc interpolatoris beneficio factum est, ut adsit quod abesse non posse vidimus, rursus laudandum esse hunc interpolatorem dicimus, qui quia hac parte Ciceronis periodum labascere noluit suo periculo addidit, quod desiderari non debere intellexit. Verum interpolator quod potuit, Ciceronem non potuisse? At ineptum est *adiuvistis.* Est vero ineptum, adeo ut ne interpolatori quidem tribui par sit, qui oratio quid desideret probe perspexerit. Ergo nihil prodest interpolatoris opem ascivisse, si tamen eius ratio constare non potest nisi emendando eam sublevaveris. Itaque missa fallaci additamenti specie Ciceronem ipsum putemus suam periodum recte exsecutum esse, sed librarii vitio depravatum verbum quo usus erat. Quod eo certius videtur, quo magis apparet id quod nunc legitur *adiuvistis* non solum

superiori sententiae, quidquid ibi scriptum fuerit, non accommodari,
13 sed ne inferiori quidem, quae est explicandi aut confirmandi causa adiecta. Utrique parti credas satisfieri, ex *adiuvistis* si recuperetur *adtulistis*.

> (*voluit ille*) *vi terrere patriam: vos* *a d t u l i s t i s; quid est vobis consulibus gestum sine armis?*

Sic saepe locutus est Cicero, velut de legib. II 4, 10 *vim Lucretiae attulit;* pro Rabirio Postumo 8, 22 *et quidem in custodia etiam fuit regia et vitae eius [uis] allata paene est;* pro Scaur. 6, 10 *ut illi non ille quidem vim adferret.* Quo reposito verbo statim percipitur quam apposite illam sententiam *vos* (*vim*) *adtulistis* excipiat altera *nihil istis consulibus gestum sine armis* h. e. *sine vi;* simul apparet ex hac oratione isto modo restituta aliquid praesidii redundare ad stabiliendam prioris sententiae formam (*vi terrere patriam*); denique quamvis quilibet librarius ab ista scriptura *adtulistis*, quae saepe occurrit, in eum errorem adduci potuerit, ut *adiuvistis* sibi legere videretur, tamen accedit, quo nihil efficacius esse solet in librariorum peccatis, in vicinia, immo eodem paene versu verbum idem (*adiuverunt*) legi.

His tribus locis quos adhuc disceptavimus id quoque patefactum est ut opinamur multo procliviores esse criticos ad cupiditatem inducendi spuria quae ipsis videntur quam emendandi si qua sunt depravata. Quae cupiditas iustae crisi saepe damnosa late serpit per omnes Ciceronis libros multorumque locorum integritati obfuit. Quod ne leviter iecisse videamur, pauca etiam exempla superioribus illis adiicimus breviter et argumentandi ambage omissa, sed ita ut simul aperiamus, nimis saepe criticos in hoc genere subitis opinionibus fortuita offensione natis duci nulla observatione usus adhibita, quae tamen sola potest iudicium stabilire: nam quid oratori veteri concessum fuerit aut is sibi ipse permiserit in scribendo, non nostro sensu aut arbitratu definire licet sed singillatim explorata universa eius dicendi scribendique consuetudine. Vulgaria narramus, sed ea quantumvis sint vulgaria, saepe a doctissimis negliguntur; et nos iuvenibus scribimus, quibus viam rationemque huius artis monstrare cupimus.

In Planciana, ut ab ea rursus incipiamus, c. 25, 61 haec leguntur

> *profers triumphos T. Didi et C. Mari et quaeris quid simile*

in Plancio? quasi vero isti quos commemoras propterea magistratus ceperint quod triumpharant et non triumpharint quia commissi sunt iis magistratus in quibus re bene gesta triumpharent. rogas quae castra viderit: qui et miles in Creta hoc imperatore et tribunus in Macedonia militum fuerit et quaestor tantum ex re militari detraxerit temporis quantum in me custodiendum transferre maluerit.

Nihil dicimus de superioribus istis (v. 3) varie tractatis, quae sic scripsimus ut scribenda esse duximus, addita suo loco voce *triumpharint.* In posterioribus (6) *militum* Muellerus notavit ut subditicium, auctore Cobeto, qui Mnemos. a. 1862 p. 326 'emblema' inquit 'sede minus idonea arguitur: ne tirones quidem quibus verba Latina quovis modo disponi et disiici posse videntur, ita scripserint. Latina compositio est in § 28 *in Macedonia tribunus* 14 *militum fuit, in eadem provincia postea quaestor.* in commemoratione castrorum et rei militaris satis est dicere Plancium fuisse tribunum.' Haec ille: sed si isto loco nomen positum intolerabile est, cur non mutamus ordinem et scribimus ut altero loco legitur *et miles in Creta hoc imperatore et in Macedonia tribunus militum fuit,* sive quod ex nescio quo codice nonnulli editores praeferunt *et tribunus militum in Macedonia.* An non veri similius est per errorem scribae contiguorum vocabulorum seriem esse inversam quam a nescio quo adiectum nomen a Cicerone omissum? cum praesertim eum qui etiam *tribunus plebis* fuerit (25, 60; 11, 28) malis plene *tribunum militum* appellari, ut altero loco, quamquam ibi quoque verba *fuit miles in Creta* proxime praecesserunt. Sed omnis res redit eo ut quaeratur ferrine potuerit ista collocatio quam libri testantur. Id quod Wunderus, qui primum negarat (nam is primus fuit qui *militum* nomen secluserit iam a. 1830), postea (p. 165) comprobare studuit rationibus quas non possumus non futiles habere. Nos qui in hoc genere exemplis plus tribuimus quam rationibus, cum meminissemus verba nobilissima quae ineunte Somnio leguntur (de re p. VI 9, 9) *cum in Africam venissem M.' Manilio consuli ad quartam legionem* tribunus ut scitis militum, *nihil mihi fuit potius quam ut Masinissam convenirem regem,* eaque videremus a nemine addubitari, nec fere posse mutari egregie composita, sic collegimus, non licere ne in Planciana quidem quicquam in ista collocatione *tribunus in Macedonia militum* moveri et Ciceroni permittendum esse, ut nonnumquam vel

infra tironem peccaret: nisi qui forte ita argutari incipit inter illa duo nomina in unius magistratus significationem coeuntia *ut scitis quidem* verba media recte, non recte *in Macedonia* esse interiecta*).

Non persequimur quaestionem uberrimam quae est de collocatione verborum, quam et nos alibi perstrinximus et nuper Eduardus Nordenus curiosius tractavit in libro egregio quo sermonis pedestris Latini artificia complexus est. Nunc viam initam tenemus.

In Philippica XI c. 6, 14 haec scripta sunt

> *lumen et decus illius exercitus paene praeterii, T. Annium Cimbrum, Lysidici filium, Lysidicum ipsum Graeco verbo, quoniam omnia iura dissolvit nisi forte iure Germanum Cimber occidit.*

Verba *Graeco verbo* inde a Manutio inclusa feruntur, et licet non defuerint qui contra sentirent, novissimum editorem non moverunt, qui haec quoque uncis adhibitis proscripsit. Quae verba vehementer dubitamus potuerintne omnino sine detrimento abesse: illud minime dubium nobis, quo consilio ab ipso oratore addita fuerint, qui quia lusum captat ab interpretanda Graeci nominis sententia, quo lusu saepe veteres utuntur, eius nominis vim attendi voluit quae nisi in Graeco sermone dispici non potest; nam *Lysidicus* usu nomen Latinum factum est, cuius significatio non auditur. Itaque *Lysidici filium Lysidicum ipsum Graeco verbo* esse dicit, *quoniam iura dissolvit:* id eo fere sensu quo in Legibus I 22, 58 *sapientia* ait *cuius amore Graeco verbo philosophia nomen invenit:* neque enim a sapientiae amore philosophia nisi Graeco verbo denominata est. Illa igitur certissima ut nobis videtur ratione vindicantur a criticorum iniuria, quae ne sic quidem abiicienda fuissent, si abundantius praeter utilitatem aut necessitatem addita viderentur.

Eodem capite ut hoc addamus simili genere peccatum nobis videtur. Quae enim Muellerus edidit (§ 15) Buecheleri rationibus probatis

> *non adsentior solum sed etiam gratias ago Fufio; dixit enim severam gravem e re publica [dignam] sententiam,*

veremur ne non recte adornata sint. Nam etsi oratio ipsa proba est, et saepe illud *e re publica* in his orationibus frequentatur, si

*) [*militum* quo suo loco tuerentur, omisso exemplo quo utebar, H. Bellingius (*wochenschr. f. class. philol.* 1899 *n.* 17) rhetoricam vim, Nordenus (per litteras) numeros qui essent in *militum fuerit* premebant.]

ad testium fidem et discrepantiam refertur, vacillare incipit. Quae enim ante vulgabatur orationis forma, quam plerique codices exhibent, *gravem re publica dignam sententiam*, ad eam se quoque redire optimi codicis Vaticani scriptura leviter illa quidem depravata persuadet, *grecavem re publicam sententiam*, quam sic interpretamur *grecavem re* ***publica (digna)****m sententiam*. Quod si recte statuitur, apparet omittendo per errorem, non quod illi crediderunt addendo peccatum esse. Ceterum in eundem modum Cicero saepius locutus est, Philipp. VIII 1, 2 *aliam sententiam eamque se ac re publica dignam;* de red. in sen. 4, 8 *sententiam de salute mea se et republica dignam.* Similiter *vir bonus et re publica dignus* appellatur Philipp. II c. 23, 56 et I c. 6, 14.

In Pisoniana 1, 1 haec in novissima editione leguntur

> *obrepsisti ad honores errore hominum commendatione fumosarum imaginum*), quarum simile habes nihil praeter colorem. is mihi etiam gloriatur se omnes magistratus sine repulsa assecutum. mihi ista licet de me vera cum gloria praedicare; omnes enim honores populus Romanus mihi ipsi [homini] detulit. nam tu cum quaestor es factus, etiam qui te numquam viderant, tamen illum honorem* ***nomini*** *mandabant tuo. aedilis es factus: Piso est a populo Romano factus, non iste Piso. praetura item maioribus delata est tuis. noti erant illi mortui, te vivum nondum noverat quisquam. me cum quaestorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum cunctis suffragiis populus Romanus faciebat,* ***homini*** *illi honorem, non generi, moribus, non maioribus meis, virtuti perspectae, non auditae nobilitati deferebat.*

Multa exscripsimus, sed ea ita comparata, ut qui attente legerit, eum fugere non posse videatur, quid verum sit: tamen ista cupi-

*15) Ad haec non omittimus adscribere quae similia in Sestiana leguntur c. 9, 22 *ego tantum esse in homine sceleris audaciae crudelitatis quantum ipse cum re publica sensi, numquam putavi: nequam esse hominem et levem et* ***falsa opinione errore hominum*** *ab adulescentia* ***commendatum*** *sciebam*, in quibus dici vix potest quanto opere divinando luxurient critici, qui aut *errore* aut *falsa opinione* aut et *falsa* et *errore* delenda suspicantur; quos de duplicis ablativi ratione edocere poterant illa ex Planciana quae supra scripta sunt *obrepsisti ad honores* ***errore hominum commendatione fumosarum imaginum***; quamquam in Sestiana ipsa quae leguntur 9, 21 *erat hominum opinione nobilitate ipsa, blanda conciliatricula, commendatus,* item frustra temptata, eundem ablativorum usum prae se ferunt.

16 ditas detegendi spuria quam diximus criticos transversos egit. *Homini* (v. 5) proscripsit Muellerus fidem habens Halmio, qui ut permulta ex hac potissimum oratione exstirpanda duxit (cf. ed. Turic. p. 1101), ita hoc quoque glossema esse sibi Muelleroque persuasit. Atque id quidem certum est, quidquid contra dixerunt, *homini* isto loco sic nude pronominibus *mihi ipsi* adiectum ferri non posse. Infra (v. 12) *homini* recte locum suum obtinet, contrariorum ratione postulatum, *homini ille honorem, non generi, moribus, non maioribus .. deferebat.* Sed ex eo loco supra insertum esse *homini* credibile non est, quae est futilis opinio eorum qui cum causam adiecti nominis circumspiciunt levissimam quamque arripiunt in eaque ut assolet acquiescunt. Si supra (v. 5) nihil scriptum erat a Cicerone nisi *honores p. R. mihi ipsi detulit,* aut nihil addendum erat, aut certe *homini* cur adderetur causa nulla erat. Itaque sic concludimus, *homini* (v. 5) non falso adiectum sed depravatum esse, ex quo eliciendum sit, quo Ciceronis oratio adiuvetur. Ac statim percipitur potuisse addi si non necessario at perapte quod sententiarum nexum etiam firmius vinciret. Scribendum enim esse dicimus *omnes honores p. R. mihi ipsi, non nomini detulit. nam tu cum quaestor es factus, etiam qui te numquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo,* eaque plane eundem in sensum porro explicantur. Quis enim non videt, illa *non nomini* tam *ipsi* pronomini quam insequenti sententiae causali mirifice accommodari; et apparet quam nullo negotio hoc quam ex levi errore recuperatum sit. Qua re hoc sive repertum est in ullo codice sive in nullo (ambigunt enim) qui primus scripsit, rectissime scripsisse censendus est. Agnosciturne ea quam dicimus criticorum cupiditas, qui adeo uncinorum usum aut speciem deamant, ut cum causa nulla aperta additamenti facti appareat, ex altera autem parte aptissima oratio lenissimo remedio restitui possit, tamen in istam partem pedibus ire malint. In quo genere princeps erat Halmius, cuius auctoritatem multorum inconsiderantia secuta est.

Unum etiam locum disceptabimus ex eadem oratione petitum a qua principium scribendi fecimus. In Planciana haec scripta sunt c. 36, 87

> *hisce ego auxiliis studentibus atque incitatis uti me potuisse confiteor, sed erat non iure non legibus non disceptando decertandum . . . armis fuit, armis inquam fuit dimicandum;*

quibus a servis atque a servorum ducibus caedem fieri senatus et bonorum rei publicae exitiosum fuisset; vinci autem improbos a bonis fateor fuisse praeclarum, si finem tum vincendi viderem [quem profecto non videbam]. Ubi enim mihi praesto fuissent aut tam fortes consules quam L. Opimius, quam C. Marius, quam L. Flaccus, quibus ducibus improbos cives res publica vicit armatis, aut si minus fortes, at tamen tam iusti quam P. Mucius, qui arma, quae privatus P. Scipio ceperat, ea Ti. Graccho interempto iure optimo sumpta esse defendit? Esset igitur pugnandum cum consulibus.

Agitur de verbis (v. 7) *quem profecto non videbam*, quae Muellerus uncis saepsit cum Halmio, alii ne receperunt quidem. Non enim de mera criticorum opinione sed de fide librorum certatur: duo 17
boni codices cum aliis deterioribus omittunt ista verba, quae illi secludunt aut eiiciunt. In qua re ne nimis nos auctoritate premi patiamur, reminiscendum est quid docti editores de horum codicum dignitate ac virtute praedicent; qui duos illos libros, Tegernseensem dicimus et Erfurtensem, etsi ceteris longe praestare affirmant, non tamen consuli solos volunt neglecta ceterorum memoria, et alterum eorum multa praetermittere confitentur, quae alii libri habent et quae abesse non possunt. Sic fere Muellerus iudicavit in praefatione p. LXV. Itaque illa verba quod in bonis codicibus desunt, nondum damnata sunt, eo minus quo magis perspicuum est quam facile propter compares paene verbi formas *viderem-videbam* exiguo intervallo repetitas librarii incuria media quamvis recte scripta praeteriri potuerint, sed quid valeant in sententiarum itinere indagandum est. Atqui eos qui haec verba licet uncinata retinent intelligimus falli posse eo errore quem diximus ut adesse putent, utpote quae una legantur, quae ipsi abesse iusserunt. At eos qui eiectis istis verbis hunc orationis cursum descripserunt

vinci improbos a bonis fateor fuisse praeclarum, si finem tum vincendi viderem. Ubi enim mihi praesto fuissent tam fortes consules quam L. Opimius cet.

miramur non vidisse a se rumpi sententiarum connexum, qui constare non potest nisi interiecto eo quod repudiarunt enuntiato, *quem profecto non videbam.* Nam quae confirmandi causa subiiciuntur, *ubi enim mihi praesto fuissent tam fortes*, ea nimirum non adnectuntur condicionali sententiae *si finem tum vincendi viderem* (h. e. *vidissem*), sed ei qua contrarium asseveratur, *quem*

(finem) profecto non videbam: ubi enim mihi praesto fuissent tam fortes. Sic enim haec angustissime compacta sunt. Omissa autem illa sententia, tenorem reparare non possis nisi hoc modo *vinci improbos a bonis fateor fuisse praeclarum, si finem tum vincendi viderem. At ubi mihi praesto fuissent tam fortes consules.* Nunc *enim* particula certissimo est indicio quo indicatur ne nunc quidem addendi libidine potius quam omittendi incuria orationem esse deformatam, atque iis esse libris assentiendum, qui exhibent verba quae nisi cum insigni detrimento orationis desiderari non possunt.

Accedit argumentum gravissimum, quod nobis observata Ciceronis consuetudo suppeditat; cui nihil est familiarius quam si qua condicionali forma aliove quo modo incerta posuit, ea statim addito enuntiato, sive id affirmandi sive negandi vim habet, reddere certiora. Cuius usus haec afferimus exempla.

Pro Rosc. Am. 52, 150 *sin ea crudelitas, quae hoc tempore in re publica versata est, vestros quoque animos,* id quod fieri profecto non potest, *duriores acerbioresque reddidit, actum est.*

Pro Planc. 19, 48 *quam tibi commodum est, tribum unam delige; tu doce, id quod debes, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit; ego, si id facere non potueris,* quod, *ut opinio mea fert,* ne incipies quidem, *per quem tulerit, docebo.*

18 Ibid. 20, 50 *si tibi gravitas tua et magnitudo animi pluris fuit,* sicuti esse debuit, *quam aedilitas, noli, cum habeas id quod malueris, desiderare id quod minoris putaris.*

In Anton. VI 7, 19 *aut vincatis oportet,* quod profecto et pietate vestra et tanta concordia consequemini, *aut quidvis potius quam serviatis.*

Ibid. 6, 16 *cum enim legati renuntiarint,* quod certe renuntiabunt, *non in vestra potestate, non in senatus esse Antonium, quis erit tam improbus civis, qui illum civem habendum putet.*

Ibid. 3, 9 *sed praeterita omittamus; properent legati,* quod video esse facturos, *vos saga parate.*

Pro Cael. 2, 3 *quaecumque in equite Romano dignitas esse possit,* quae certe potest esse maxuma, *eam semper in M. Caelio habitam esse summam.*

Pro Marc. 2, 7 *totum hoc, quantumcumque est,* quod certe maximum est, *totum est, inquam, tuum.*

Pro Rab. Post. 16, 44 *sint sane illa magna, quae re vera magna sunt.*

De harusp. resp. 7, 14 *aut vobis cognitio dabitur .., aut senatus ipse iudicabit .., aut, id quod certe fiet, ad pontifices reiicietur.*

Pro Flacc. 25, 59 *si licuit, sicuti certe licuit, ad eius honores collatam ... patris pecuniam recte abstulit filius.*

Pro Ligar. 5, 13. 14 *si enim est in exilio, sicuti est, quid amplius postulatis? ... si cum hoc domi faceremus, quod et fecimus et non frustra fecimus, tu repente irruisses.*

Ibid. 9, 27 *ut cetera paria Tuberoni cum Varo fuissent, honos nobilitas splendor ingenium, quae nequaquam fuerunt, hoc certe praecipuum Tuberonis.*

In Anton. IV 4, 9 *nec ab iudicio omnium mortalium, quamvis impii nefariique sint, sicut sunt, dissentire possunt.*

In Pison. 10, 23 *cum civis is, quem hic ordo .. conservatorem patriae iudicarat, nullo iudicio, nulla lege, nullo more servitio atque armis pelleretur non dicam auxilio vestro, quod vere licet dicere, sed certe silentio.*

Ibid. 19, 43 *neque vero ego, si umquam vobis mala precarer, quod saepe feci, ... morbum aut mortem aut cruciatum precarer.*

Ibid. 14, 32 *si quid mihi potest a re publica esse seiunctum, quod vix potest, privatim ad meum nomen augendum, optandam duco mihi fuisse illam expetendamque fortunam.*

Pro Balb. 16, 37 *quodsi iam ita esset, ut esse non potest, tamen de nostra maiestate, nihil de illorum caveretur.*

Sunt alia multa, sed addimus unum hoc de fin. V 30, 92

ille vero si insipiens, quod certe, quoniam tyrannus, numquam beatus,

quoniam ex orationibus egredi ad scripta philosopha nunc animus non est. Quidquid autem varietatis est in his quae collegimus, genus quidem idem orationis agnoscitur in omnibus, neque quic- 19 quam certissimum morem Ciceronis magis prae se ferre posse apparet, quam quod in Planciana scribendum esse diximus

vinci improbos a bonis fateor fuisse praeclarum, si finem tum vincendi viderem, quem profecto non videbam: ubi enim mihi praesto fuissent tam fortes consules —. Scr. m. Decemb. a. MDCCCXCVIII.

L. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1899/1900.

3 Lectionum academicarum recensui ut consueto more aliquid praefationis litterariae praemitteremus, ad Ciceronem rediimus, de quo nonnulla abhinc sex menses eadem occasione disseruimus, cum eam partem emendationis Tullianae exemplis declarare conaremur quae agnoscendis eliminandisque additamentis alienis continetur. Nunc eandem causam repetere ac persequi instituimus, sed ita ut exempla petamus non ex orationibus in quibus tum maxime morabamur, verum ex philosophiae scriptis in quibus ingeniosi critici non minus saepe eam quam dicimus cupiditatem delendi prae se ferunt, qua fit ut tollantur nonnumquam quae ad Ciceronis morem usumque loquendi ac sentiendi relata integra esse aut si qua tamen macula violata sint ea alio modo abstersa ad sanitatem revocari videantur. Sed multa non sunt quae afferimus neque gravitate ulla aut inventi laude conspicua, verum tamen ea fortasse in quibus demonstrandi severitate aliquid efficere liceat. Nam multa sunt in hoc genere fidenter posita et per multas multorum editiones propagata, quae quivis qui modo non occupata mente iudicet sibi persuadeat vera non esse sed favore quodam retineri, tamen vi argumentandi rationibusque ad persuadendum appositis redarguere non possis: et nobis hanc legem scripsimus ut ne umquam pro certis venditemus, quae nisi verisimilia (si tamen) haberi non possint, nedum viris eruditis et omni laude insignibus obloqui audeamus nisi fide argumentorum et exemplorum stabilimento confirmati et adiuti. Itaque pauca acquirere si possumus contenti difficiliorem istam et arduam operam acutioribus ut par est sumendam relinquimus, adolescentibus autem, quibus haec scribimus, si qui forte ad hunc scriptorem tendant, suademus idem quod semper, ut impensa observandi diligentia excutiant prius quam temptare incipiant et hoc sibi dicant, libidinis licentia multa in his rebus affectari sed stabile quod sit nihil nisi iudicii sinceritate parari. Sed aggredimur ad rem.

I. Initium disputandi facimus ab ipso paene principio Academicorum (I 4, 15), ubi M. Varro cui Cicero in his libris, quos ei inscriptos voluit, honoris causa partes praecipuas sermonis attribuit, in hunc modum exorsus dicitur. 4

> *Socrates mihi videtur [id quod constat inter omnes] primus a rebus occultis et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, avocavisse philosophiam et ad vitam communem adduxisse, ut de virtutibus et vitiis omninoque de bonis rebus et malis quaereret, caelestia autem vel procul esse a nostra cognitione censeret vel si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum.*

In quibus Muellerus verba *id quod constat inter omnes* quae se negat 'intelligere quomodo ferri possint' notavit ut spuria. Et hoc concedi oportet, in hac sententia, quam eandem Cicero recta oratione his verbis reddidit Tuscul. disp. v 4, 10 *Socrates autem primus philosophiam devocavit e caelo et in urbibus conlocavit et in domus etiam introduxit et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere*, illa duo *mihi videtur* et *id quod constat inter omnes* non satis concinne coniugata videri. Sed si delemus κομμάτιον editori suspectum, ut mittamus vix satis intelligi quis talia additurus fuerit, verendum est ne relinquamus quod non magis placiturum sit, Varronem in ea re, quae vulgata erat et ut nota a Cicerone ipso altero loco refertur, dicere *sibi videri Socratem primum a rebus occultis philosophiam avocasse.* Quare unum tantum e duobus si ferri potest, praestabit retinere id ipsum quod ille abiecit, ut ita dicat Varro *Socratem constat inter omnes primum ab occultis avocasse philosophiam.* Sed ad hunc modum quoniam fieri non potest ut verba emendentur, iam fateamur necesse est rescindendo in neutram partem multum profici. Itaque sic existimamus utrumque Ciceronem scripsisse, qui quia posuerat *mihi videtur,* huic sententiae, quam non satis accommodatam esse sentiebat, quasi corrigendi causa adiecit alterum *id quod constat inter omnes.*

Non laudamus ne sic quidem hanc orationis formam, sed non quaeritur quid nobis laudandum videatur, verum quid a Cicerone, qui multa scripsit et saepe festinanter, profectum esse credibile sit. Qui vel illa quae scripsit de finibus II 1, 2

> *Sed et illum quem nominavi* (Leontinum Gorgiam dicit) *et ceteros sophistas, ut e Platone intelligi potest, lusos videmus a Socrate,*

quamquam ea nemo quod sciamus vituperavit aut reiecit, non nimis scite conformasse videatur. Nam *videmus* quoniam non potest intelligi nisi *apud Platonem* (in libris Platonis) *videmus lusos*, his quam non apte praemittantur illa *ut e Platone intelligi potest* in aperto est. Quae verba quo modo recte poni potuerint, exemplo sint illa quae in Academ. I 4, 16 leguntur *omnis eius* (Socratis) *oratio tantum in virtute laudanda et in hominibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur, ut e Socraticorum libris maximeque Platonis intelligi potest.* Ad eorum normam illa vel sic formari poterant *Gorgias et sophistae, ut e Platone intelligi potest, lusi sunt a Socrate,* vel non minus recte aut Latine *Gorgiam et sophistas e Platone intelligi potest lusos a Socrate.* Sed apparet neutrum ne violentia quidem restitui posse, et nobis hoc agendum est, non ut in ordinem cogamus scriptorem, sed ut intelligamus quo nomine vel qua parte a severiore cogitandi loquendive ratione deflexerit. Quodsi quis haec attenderit accuratiusve perspexerit quae dicit in oratione de imperio Cn. Pompeii 7, 19 *a quo periculo prohibete rem publicam et mihi credite, id quod ipsi videtis, haec fides atque haec ratio pecuniarum, quae Romae versatur, implicata est cum illis pecuniis Asiaticis,* aut illa in Planciana 36, 89 *id in me reprehendis, quod Q. Metello laudi datum est .. quem, ut potes ex multis audire, qui tum adfuerunt, constat invitissimis viris bonis cessisse,* in quibus item parum polite cumulantur, quorum alterum utrum satis erat, similitudini hoc dandum esse fatebitur, ut ne severius iudicemus aut illa de finibus verba aut ea a quibus exorsi haec disputavimus. Sunt autem etiam alia, in quibus comparabilem inconstantiam vel minus concluse orationem structam cognoscere liceat: sed ea nunc persequi nolumus.

Ad Academica redimus, in quibus cum I 4, 13 haec scripta essent

> *Antiochi magister Philo, magnus vir, ut tu existimas ipse, negat in libris, quod coram etiam ex ipso audiebamus, duas Academias esse erroremque eorum qui ita putarunt coarguit. Est, inquit, ut dicis; sed ignorare te non arbitror quae contra Philonis Antiochus scripserit,*

Muellerus ne quis titubaret in his quae sunt *contra Philonis,* quos in deliciis habet uncos nomini incertae originis significandae causa apposuit, quamquam idem in praefatione ad h. l. profitetur, se non intercessurum si quis aut *contra Philonia* malit cum Madvigio

aut addita voce ad sustentandum genetivum *contra Philonis* (*sententiam*) de Halmii opinione restituere. Ex his quod Halmio placuit liberius est quam quod probetur; verisimilius alterum *contra Philonia*, quod usu adiuvatur; sic enim Cicero scribit Acad. II 31, 98 *explicata tota Carneadis sententia Antiochea ista corruent universa;* ibid. II 36, 115 *qui ista Antiochea contemnit;* de fin. I 6, 17 *totus est alienus: Democritea dicit, perpauca mutans;* ibid. V 28, 84 *honesta oratio, Socratica, Platonis etiam;* ac notum est in simili genere saepe solere adiectiva pro genetivis nominum poni. Nihil autem, opinamur, incautius erat aut inconsultius, quam *Philonis* delere velle, quod si scriptum non erat a Cicerone, cur adderetur causa nulla erat. Ipsum quod traditum est *contra Philonis* pendente genetivo posse verum esse, Muellerum intelligimus non reputasse; et tamen hunc loquendi modum Madvigius iam a. 1876 et ante Madvigium I. C. G. Bootus a. 1865 exemplis certis probarant. Quorum hic in epistolis ad Atticum a se editis ad XII 23, 2 *quae te etiam ex Apollodori puto posse invenire* et alterum ex his epistolis exemplum XIII 32, 3 *eum video in Libonis praetorem,* et hoc nostrum de Academicis adscripsit; Madvigius autem libris de finibus tertium editis complura alia praeter illa tria collegit, cum ad haec de fin. IV 25, 69 *ex his angustiis ista evaserunt deteriora quam Aristonis,* h. e. ut interpretatur ἢ τὰ τοῦ Ἀρίστωνος, afferret Tuscul. V 36, 105 *malo enim Graecorum quam nostra proferre;* de divin. I 26, 55 *sed quid ego Graecorum? nescio quo modo me magis nostra delectant;* nostrum illud de Academ. *contra Philonis,* quod durius esse, nec tamen recte addubitari scribit; tum in libris significandis 6
orat. 70, 233 *age sume de Gracchi apud censores illud,* cuius generis sunt illa duo ex epistolis ad Atticum a Booto notata. Licet quaedam discrimina intercedant, quae neminem fugient, tamen in eo conspirant omnia, ut quid Cicero in illo liberiore usu genetivi sibi permiserit liquido patefaciant. Atque is usus in libris quidem notandis etiam latius patuit; velut idem genus agnoscitur in his quae leguntur Academ. II 44, 135 *legimus omnes Crantoris veteris Academici de luctu; est enim non magnus, verum aureolus .. libellus.* Quae qui probe taxaverit, intelliget Varronis quae sunt de lingua Latina IX 1, in Florentino codice sic perscripta *Crates nobilis grammaticus, qui fretus Chrysippo, homine acutissimo, qui reliquit περὶ ἀνωμαλίας, iei* (sive *lei*) *libri contra analogian atque Aristarchum est nixus,* Spengelios non recte tractasse, cum ita ederent

qui reliquit περὶ ἀνωμαλίας III *libros,* verum ita scribi oportere ut olim propositum est, *fretus Chrysippo qui reliquit περὶ ἀνωμαλίας, iis* (sive *ieis* ut infra 3 *iei*) *libris contra analogian est nixus.* Neque enim ad haec *reliquit περὶ ἀνωμαλίας* erat quod addi velles, quae tam recte dicuntur quam illa Ciceronis *legimus Crantoris de luctu.* Non dissimilia sunt illa quae Cicero scribit de Dicaearcho ad Att. II 2, 1 *Πελληναίων in manibus tenebam et hercule magnum acervum Dicaearchi mihi ante pedes exstruxeram: o magnum hominem, et unde multo plura didiceris quam de Procilio: Κορινθίων et Ἀθηναίων puto me Romae habere.* Quibus non inutiliter adiungentur haec de eiusdem Dicaearchi libris quae scribit Cicero ad Att. XIII 31, 2 *Dicaearchi quos scribis libros sane velim mihi mittas, addas etiam Καταβάσεως*; ibid. 32, 2 *Dicaearchi περὶ ψυχῆς utrosque velim mittas et Καταβάσεως* (conf. 39, 2), ex quibus natura et origo huius breviloquentiae dispicitur. Sed eos praecipue qui multi sunt in citandis librorum titulis videmus ista concisa brevitate uti, ut genetivo defungantur qui unde regatur ultro intelligitur: quod genus, ut pauca afferamus, Suetonius dicit de gramm. 21 p. 116, 4 Reiff. *ut ipse tradit sexagesimum aetatis annum agens libellos ineptiarum, qui nunc iocorum inscribuntur, componere instituit.* Festus p. 378, 5 Th. *R duobus in compluribus orationibus, cum de actis disser . . ti cuius etiam perscribi solet, id est rationum relatarum, quod his tabulis docentur iudices quae publice data atque accepta sint* (conf. act. II in Verr. I 14, 37). Festus p. 404, 23 *referri diem prodictam, id est anteferri, religiosum est, ut ait Veranius in eo, qui est auspiciorum de comitiis.* Idem p. 274, 10 *ea de quibus dissentio et aperte et breviter ut spero scripta in his libris meis invenientur, inscribuntur "priscorum verborum cum exemplis."* Gellius in capitulo libri sexti (vulgo septimi) 2 *in libris eius* (Caesellii Vindicis) *quos inscripsit lectionum antiquarum;* in textu *in illis commentariis lectionum antiquarum Caeselli Vindicis.* Id. I 25, 17 *Aurelius Opilius in primo librorum quos Musarum inscripsit*).* Id. IX 16, 1 *Plinius Secundus . . libros reliquit, quos studiosorum inscripsit.* Id. XI 5, 5 *Super qua re Favorinus . . decem libros composuit, quos Πυρρωνείων τρόπων inscribit.* Id. XVI 12, 1 *Cloatius Verus in libris quos inscripsit Verborum a*

*33) [Diogenes Laertius IV 7, 11 *οὐ φέρεται ἐννέα βιβλία Μουσῶν ἐπιγραφόμενα*; Plinius nat. hist. praef. 33 *hoc ante me fecit Valerius Soranus in libris quos ἐποπτίδων inscripsit.*]

Graecis tractorum non pauca dicit curiose conquisita. Charisius p. 199, 28 K. et saepe similiter *M. Cato dierum dictarum de consulatu suo*, ubi falso nonnulli *libri* addiderunt; affertur enim sub titulo *Dierum dictarum* una ea quam habuit *de consulatu suo*, quae ab eodem etiam sic simpliciter citatur. Id. p. 229, 9 *At pro autem Licinius Calvus in P. Vatinium ambitus;* ubi item falso *reum* addunt; nam addendum nihil est, intelligitur autem *oratione*, si quidem *ambitus oratio* tam recte quam *oratio de ambitu* appellatur; quod genus O. Iahnius ad orat. 31, 111 pluribus verbis declaravit. Id. 190, 8 *Iulius Romanus ita refert de adverbio sub titulo* ἀφορμῶν; p. 209, 20 ... *rationem penitus invisere, de consortio praepositionum quem adaeque sub titulo* ἀφορμῶν *dedimus, legere non gravetur.* Diomedes p. 518, 26 *metra quae Horatii corpus continet quod carminum inscribitur;* ibid. 527, 34 *liber quintus qui epodon inscribitur*, cf. Keilii adn. Quae si recte interpretamur, intelligitur quae scribit Charisius p. 202, 26 '*impariter*' *Horatius Epistolarum "versibus impariter iunctis"*, et p. 229, 15 *An pro cum Maro bucolicon "An mihi cantando"* cet. plena esse neque sibi quid addi postulare, non secus atque haec apud eundem p. 65, 13 *apud auctores margo masculino quoque dicitur genere, ut apud Ovidium "brachia longo margine" et frequenter Varro rerum rusticarum sic*, aut p. 81, 18 *et Macer theriacon "longo resonantia sibila collo"* ubi vide Keilii adn. Macrobius Sat. v 18, 11 *Euripidis auctoritas, quam Didymus grammaticus in his libris quos* τραγῳδουμένης λέξεως *scripsit* (*inscripsit*) *posuit his verbis.* Cuius genetivi usus quo magis perspiciatur, non negligenda sunt ne talia quidem qualia Varro scribit de lingua Latina VIII 60 *Ut in his singularibus, sic in multitudinis*, et multa similia, aut quae Cicero de nat. deor. III 34, 84 *in quibus* (*mensis*) *cum more veteris Graeciae inscriptum esset* BONORUM DEORUM, quibus comparabilia sunt et haec Diodori XX 46, 2 ἐψηφίσαντο . . καὶ βωμὸν ἱδρυσαμένους προσαγορεῦσαι Σωτήρων, et illa ipsius Ciceronis de legibus II 23, 58 *in ea scriptum lamina* HONORIS. Quorum exemplo patefieri putamus genetivum in titulis librorum per se solum poni solitum, i[d] quod compluribus testimoniis eorum quae supra allata sunt sub[-] indicari videatur.*)

*36) [De hoc genere dicendi haec ad me Ludovicus Traubius per-scripsit: 'conf. Cassiodorii Variae p. 5, 23 ed. Mommsen. *ut merito Variarum dicatur quod tanta diversitate conficitur.*' Ipse ad haec in Indice p. 538 s.

II. De Officiorum libris, quibus nulli paene Tulliani magis uncinatis notis criticorum beneficio ornati et distincti sunt, cum multa praetereamus, quae iniuria in suspicionem falsi rapta et auctori suo adempta nobis videntur, duos locos non nimis ponderosos disceptare conabimur paucis, qui sive emendate scripti sunt sive mendo laborant, hoc nisi fallimur certo patefacient, expungendi quidem operam in iis inutiliter et prave esse collocatam.

Libro III 20, 81 haec edita sunt a Muellero

> *Quid igitur? possumusne aut illum Marium virum bonum iudicare aut hunc? explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas quae sit in ea [species] forma et notio viri boni:*

idem in praefatione adnotat, pro *species* quod ipse induxit alios malle *forma* insiticium habere; itaque vinculis ab altera voce tralatis ad alteram in Baiteri exemplari legitur *in ea species [forma] et notio.* Quod qui praeferebant, poterant exemplo uti quod de finibus V 24, 69 in bonis codicibus *speciem*, in deteriorum multis
8 *formam* exaratum est. Omittimus quaerere qui hoc aut illud primi protulerint aut post alios probarint: illud dicimus, hoc ipsum quod si additamentum factum est aegre definias, utram earum vocum alteri aliena manu appictam habeamus, argumenti satis esse, si peccatum sit, non isto modo peccatum esse. Accedit quod Cicero haec duo nomina non solum per se singula sed ambo copulata saepe posuit, in propria oratione non minus quam tralata. Velut haec quae scribit de lege agraria II 13, 32 *formam adhuc habetis, Quirites, et speciem ipsam tyrannorum* aut pro Caelio 3, 6 *sunt ista maledicta pervulgata in omnes quorum in adolescentia forma et species fuit liberalis*, et in Tuscul. disp. V 39, 114 *Homeri picturam, non poesin videmus; quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formaque pugnae, quae acies ... non ita expicta,* haec inquimus nonne debebant revocare ab ea opinione qua putabant alterum ex duobus prave accessisse, cum praesertim nemo nesciat Ciceronem cumulare similia solere potius quam parcere nominibus, qui vel talia scribit, ut pauca quae illis propinqua sint et finitima afferamus, pro Rosc. Amer. 22, 63 *monstrum certissimum*

---

ellipses adnotavit: '*opus* vel aliquid tale ex enuntiato relativo supplendum; solent tamen librorum tituli nudo genetivo ita poni ut subaudias *librum* vel *libros*, cf. Plin. hist. nat. praef. 24.' — Exempla Servii, Prisciani, aliorum grammaticorum, quibus saepe tituli librorum laudandi sunt, quae olim praetermisi ne nunc quidem afferre tanti esse existimavi.]

est esse aliquem humana s p e c i e *et f i g u r a;* de offic. III 4, 16 *similitudinem quandam gerebant speciemque sapientium;* ibid. I 5, 15 *formam quidem ipsam et tamquam faciem honesti vides;* pro Scaur. 17, 38 *testes, in quibus docebo non modo nullam fidem et auctoritatem, sed ne speciem quidem esse aut imaginem testium.* Quamobrem quod ista duo nomina composita sunt, non erat profecto quod alterum utrum eorum culparetur et damnaretur. Sed offensio si qua est non potest esse nisi quod cum tria sint duo tantum posteriora per particulam iunguntur: *species, forma et notio.* Hoc enim abhorrere a Ciceronis more dicunt, quem aut bis ponere coniunctionem solere aut ne semel quidem explorato usu confirmetur. Hanc sententiam olim Krarupius dixit, cum aut *species* aut *forma* deleri iuberet; eandemque sententiam, nostro quidem loco praetermisso, Madvigius probavit, qui non semel sed bis ea si qua in vulgatis exemplaribus refragari videbantur studiose excussit (opusc. acad. I p. 334; de finibus IV 20, 56). Qui quamquam ne sic quidem omnem materiam exhausit, tamen multa probabiliter expedivit, cum aut bonorum codicum fide nisus aut coniectura adiutus modo adderet particulam quae deesset, modo quae superesset retraheret, interdum unum de tribus nominibus ut additicium deleret, nonnumquam interpretando orationem bipertitam esse pro tripertita doceret. Id enim hac disputatione evincitur non omnia una ut aiunt pertica tractari posse, sed accurate discerni oportere, si laboret oratio, qua parte laboret, ut suum cuique loco remedium adhibeatur. Itaque sic rationem concludimus, in verbis Officiorum quae diximus non alterum duorum nominum quae apte componi poterant falsi arguendum, sed hoc solum ambigi utrum addatur particula quae desit an quae sit removeatur*), quoniam utrumque ferri potuit, et *quae sit in ea species forma [et] notio viri boni* et *species* [et] *forma et notio v. b.* Quorum utrum probabilius sit, quis dubitabit cum intelligat, ut tollatur particula nulla re suaderi, eandem adiicere suo loco iubere omnia. Quid enim facilius quam addi *et* post *species,* cuius exitus comparem paene syllabam proclivi errore hausit. Nec deest simillimae orationis exemplum. Etenim si scripsit Cicero id quod putamus

ut videas quae sit in ea species et *forma et notio viri boni,*

*28) [Nonius p. 300, 2 'explicare, exserere. M. Tullius de officiis lib. II "*explica atque excute intellegentiam tuam, ut videas quae sit in ea species firma notio viri boni*".' sic in codd.]

ad hanc orationis formam quid propius accedere potest quam quod legitur de re publica II 29, 51 *prima sit haec forma et species et origo tyranni.* Et saepe solet in hunc modum tripertitam orationem geminata coniunctione conformare, velut de re publica VI 17 scribit *sol obtinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum;* de fin. I 20, 65 *multo magis vita et factis et moribus comprobavit,* cf. I 6, 19; pro Deiot. 3, 8 *per fidem et constantiam et clementiam tuam libera.* Denique ne quid omittatur quod ad rem pertineat, hoc dicimus non raro simili condicione et omissam *et* particulam et fidenter a criticis repositam, ut de off. I 17, 54 *sanguinis coniunctio et benevolentia devincit homines* [et] *caritate;* in Verr. act. II lib. I 33, 85 *eius rei duces et auctores* [et] *principes fuisse,* al.

Nolumus hoc argumentum quamvis amplum persequi longius, sed tamen similitudinis causa unum etiam locum perstringemus brevi, eum unde Madvigius de fin. l. c. ansam petiit hanc rem ad amussim disputandi. Dicimus verba haec

> *Tuus ille Poenulus . . . causam non obtinens repugnante natura verba versare coepit et primum rebus iis quas nos bonas dicimus concessit ut haberentur aptae habiles et ad naturam accommodatae.*

De his postremis, quae sic scripta sunt in libris, Madvigii varia fuerunt vario tempore iudicia: primum enim alterum *et* inseri voluit, quoniam haec tria essent et pari ordine se exciperent, *aptae* [et] *habiles et ad naturam accommodatae;* postea *habiles* 'tota significatione quae ad facilem tractationem pertineret' ab hoc loco alienum esse ratus Baitero duce (quamquam idem iam Orellius proposuerat) hanc vocem pro additicia habuit eamque in duabus editionibus uncis inclusam exhibuit; denique ubi Heinius ex *aptae habiles* efficiendum esse *aestimabiles* coniecit (quemadmodum in quibusdam codicibus *optabiles* scribi pro *aptae habiles* traditur), hanc coniecturam ingeniosam et probabilem esse affirmavit, sed uti ea in conformando textu ausus non est; confidentior eam Muellerus sua editione recepit. Nos ab hoc postremo progressi ut haec conamina recognoscamus, ingeniosum esse illum emendandi modum facile concedimus, probabilem et verum ut habeamus non adducimur. Nam etsi non nos fugit, propositam vocem stabiliri quodam modo iis quae aut Heinius attulit aut afferri possunt, velut quae scripta sunt de fin. IV 21, 58 *omnia quae secundum naturam sint aestimatione aliqua digna eaque pro eo, quantum in quoque sit ponderis,*

esse aestimanda, vel quae ibid. 60 *ea quae Zeno aestimanda et sumenda et apta naturae esse dixit, eadem illi bona appellant*, tamen ex altera parte *aptae*, quo nomine Cicero in simili sententia plus semel usus est cum scribit v 6, 17 *aptum et accommodatum naturae esse oportere*, IV 17, 46 *proponi necesse esse apta et accommodata naturae*, et quae modo attulimus IV 21, 60, pro nihilo habere et corrigendo auferre, veremur ne cui nimis temerarium videatur. Facilius feras *habiles* removeri, quo dempto Ciceronem sibi constantem reddideris, qui *res aptas et accommodatas naturae* appellat, easdem *habiles* in ea sententia alibi non dixit. Sed tamen, ne praepropere iudicemus, quoniam Ciceronem videmus his duobus vocabulis nonnumquam uti coniunctis, cum non solum scribit (pro Tullio 8, 18) *et iis arma quae cuique habilia atque apta essent comparat*, aut (de orat. I 54, 231) *si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles atque apti ad pedem*, sed etiam (de legibus I 9, 26) *figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano dedit**), quid impedire dicimus quominus quas res ad naturam accommodatas dicit, easdem aptas et habiles naturae sive ad naturam esse voluerit: nam ad haec quoque necesse est pertineat *natura*, quamvis positus id prohibere videatur, et *habilis*, cuius vocis significationem Madvigius angustis finibus circumscripsit, cum ad facilem tractationem tantum pertinere diceret, comparem vim et usum cum *aptus* habere exempla allata docent.

Itaque sic existimamus, reliqua quae temptata sunt irrita esse et reiectanea; unum illud quaeri posse, quoniam sine *et* altero constare orationem probabile non est, utrum removenda quae legitur particula an adiicienda altera succurri sententiae oporteat. In qua re dicimus longe praestare ea voce suo loco inserta, ubi praesertim facile praeteriri per errorem potuit, orationis formam refingere, qua Ciceroni nihil familiarius erat, qui adiectiva quoque, non solum nomina, duplici coniunctione vincire consuevit, ut de fin. IV 21, 60, quae supra allata sunt; Acad. II 14, 43 *illa vera et firma et certa esse;* Lael. 17, 62 *sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi;* de re publica II 29, 51 *sit huic oppositus alter, bonus et sapiens et peritus utilitatis civilis;* Paradox. 2, 19 *ut improbo et stulto et inerti nemini bene esse potest, sic bonus vir et sapiens et fortis miser esse nemo potest;* pro Planc. 8, 21 *sed solidam et robustam*

---

*17) Diomedes p. 314, 10 K. *viae habilis, virtuti utilis, scenae aptus.*

et assiduam frequentiam praebuerunt; ibid. 9, 22. Ad eorum normam dubitamusne Ciceronem nunc quoque scripsisse *haberentur aptae et habiles et ad naturam accommodatae?* Nos quidem hoc, quod initio Madvigii simplex iudicium probarat, adeo pro vero habemus, ut si ita scriptum fuisset in libris, neminem offensurum fuisse confidamus; nunc ab exiguo errore turbas ortas intelligimus, quibus quae optime composita erant in deterius mutata sunt.

Similis causa quamvis paulo impeditior est alterius loci de officiis, de quo disputaturi eramus. Sunt verba haec III 4, 16.

> *Haec igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quaedam honesta esse dicunt, non sapientium modo propria sed cum omni hominum genere communia. itaque iis omnes, in quibus est virtutis indoles, commoventur. nec vero cum duo Decii aut duo Scipiones fortes viri commemorantur, aut cum Fabricius [aut Aristides] iustus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab hoc iustitiae tamquam a sapiente petitur exemplum; nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem volumus intelligi, nec ii, qui sapientes habiti et nominati, M. Cato et C. Laelius, sapientes fuerunt, ne illi quidem septem, sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant speciemque sapientium.*

Haec quae plenius afferenda erant ut de sententiae tenore con-
11 staret, ita uti supra scripta sunt, Muellerus edidit inclusis verbis *aut Aristides,* ceteroquin accurate ad meliorum codicum memoriam, quorum fide hos libros Baiterus in Turicensi altera recensuit, spretis iis si qua temere correcta in deteriorum paucis afferuntur: nisi quod non *ab his,* quod est in codicibus Tullianis sed *ab hoc* recepit usus Lactantii testimonio, qui haec verba in Divinarum institutionum VI 6 p. 504 Br. hoc modo in suum usum convertit: *quid sapientiam nonne idem* (Ciceronem ante appellavit) *confitetur in philosophis esse nullam?* "*aut cum Fabricius*" *inquit* "*aut Aristides iustus nominatur, aut ab illis fortitudinis aut ab hoc iustitiae tamquam a sapiente petitur exemplum. nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem volumus intellegi, nec ii qui sapientes habiti et nominati, M. Cato et C. Laelius, sapientes fuerunt, ne illi quidem septem, sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant speciemque sapientium.*" *si ergo et philosophis ipsorum confessione adempta sapientia est et iis qui iusti habiti sunt adempta iustitia est, omnes igitur illae virtutis descriptiones falsae*

sint necesse est, quia quae sit vera virtus scire non potest nisi iustus ac sapiens. Paulo negligentius haec Lactantius ex Ciceronis libro transtulit in suum, cum verba *aut ab illis fortitudinis* retinuerit quidem sed ea ad quae haec pertinebant, illa dicimus de Deciis et Scipionibus viris fortibus, simul cum negatione omiserit: nam ipsum omisisse, non periisse casu aut errore, eius rei indicium esse monet editor, quod paulo post *sapientes* (*philosophos*) quidem et *iustos* dicat, *fortes* praetereat. Quod vero ibidem scribit *iis qui iusti habiti sunt adempta iustitia est,* inde putamus probabiliter colligi ante duo nomina, *Fabricii* et *Aristidis*, fuisse, quamquam quod insequitur *ab hoc* videri possit non referri nisi ad unum. Atqui verba *aut Aristides*, quae Lactantio cum Cicerone communia sunt, recentiores critici Ioannis Michaelis Heusingeri decreto obtemperantes uno ore suppositicia esse clamarunt, rationibus illi quidem usi, quibus putamus non multum probari. Nam quod dicunt, si duo nomina sint, verba *iustus nominatur* stare non posse et pluralem numerum verbi requiri, non recte rem accipiunt: neque enim duo coniuncte afferuntur, sed quasi optione data Cicero ita loquitur, *cum Fabricius aut si mavis Aristides iustus nominatur,* ut ne potuerit quidem multitudine verbi uti. In hac autem oratione non minus recte *ab hoc* quod est apud Lactantium, quam quod Ciceronis libri testantur *ab his* illis duobus nominibus applicari potuit. Quod vero etiam verbis *tamquam a sapiente* non posse nisi unum significari volunt, fugit eos ratio, si quidem hoc pariter ad *fortes* et ad *iustum iustosve* redire necesse est; nec dubium est quin omissa iustitia de solis fortibus recte scribi potuerit *cum fortes viri commemorantur, ab iis fortitudinis non tamquam a sapiente petitur exemplum.* Itaque his quidem rationibus nondum nobis videmur ex ea sententia deiecti esse qua putabamus orationis formam quam Cicero instituit non unum tantum nomen ferre aut flagitare sed illa duo duobus testibus stabilita non minus commode recipere. Sed critici quo certius evincant alterum ex iis nominibus alienae manui acceptum ferri, hoc argumento tamquam gravissimo utuntur, quod Graecum nomen Romanis immixtum Ciceronis morem aut huius loci naturam male deceat; idque indicium tantum valere praedicant, ut *Aristidis* nomen tam certo hinc exulare 12
iubeat quam I 30, 109 *Xenocratem severissimum philosophorum* excludat, utpote et ipsum temere a nescio quo ad Romana nomina agglutinatum. Haec viros eruditos serio proponere, vix credi posset,

nisi magna vis esset isti quam saepe dicimus cupiditati spuria insequendi et exstirpandi, qua dici non potest quanto opere hi libri de officiis deformati sint. Quid enim? *Fabricio*ne copulare *Aristidem*, Romano Graecum, non licuisse? cum tamen eodem tenore post Catonem et Laelium, quos negat sapientes fuisse, addit *ne illi quidem septem*, qui, putamus, Graeci fuerunt: qui quidem illis eadem forma et brevitate adnectuntur qua l. c. ad haec Romana *hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica, contraque patrem eius nullam comitatem habuisse sermonis*, adiiciuntur illa *ne Xenocratem quidem severissimum philosophorum* scil. *ullam habuisse comitatem sermonis*. Et nos negamus Xenocratem, quem Cicero et hoc loco *severissimum philosophorum* et in Tusculanis disputationibus v 18, 51 *illum gravissimum philosophorum* appellat, ut Graecum hoc loco memorari potuisse, in ea videlicet disputatione in qua ab initio ad finem cum Romanis Graeci componuntur et contenduntur? Sed nos Xenocratis causam non persequimur, quae valde perturbata est a doctis ut breviter disceptari non possit. Argumentum quidem quo tamquam fortissimo *Aristidem* relegarunt, nihili esse et hoc exemplo firmatur et multis velut Tusc. disp. v 17, 49.

Sed quoniam quae damnarunt non induxerunt stilo verso, ut ea legi possint quamvis nota insignita, ne animadvertisse quidem videntur, quam ineptam ex perapta orationem delendo effecerint, *aut cum Fabricius iustus nominatur:* nam Fabricii iustitia quidem praedicari potuit, iustus ille nominari non solebat; id quod in unum Aristidem cecidisse notum est, de quo Cornelius Nepos ita loquitur, *ut unus post hominum memoriam, quem quidem nos audierimus, cognomine iustus sit appellatus*, Cicero autem ipse haec memoravit, pro Sestio 67, 141 *Aristides qui unus omnium iustissimus fuisse traditur*, Tuscul. disp. v 36, 105 *Aristides (malo enim Graecorum quam nostra proferre) nonne ob eam causam expulsus est patria quod praeter modum iustus esset?* Quare in iustitiae laude cum Fabricius exemplo esset, ultro Aristidis memoria occurrebat, et iam optima forma de duobus dici poterat *cum Fabricius aut Aristides iustus nominatur*. Quos ambos Cicero infra in his ipsis libris (III 22, 87) posteaquam Fabricii Pyrrhi bello probatam fidem laudavit, hac comparatione coniunxit: *utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe qualis Aristides Athenis fuit, vel senatui nostro, qui numquam utilitatem a dignitate seiunxit, armis cum hoste certare an venenis?* Quo magis cavendum est, ne a Fabricio

Aristidem revellentes cum illo aptissime consociatum Ciceronis orationi et sententiae officiamus ultro cum adiuvare velimus. Sed ex ista comparatione perfacile erat opinari Ciceronem non *Fabricius aut Aristides* scripsisse sed *aut cum Fabricius ut Aristides iustus nominatur;* quae etsi denuo reperta, non nova est opinatio sed olim a Gernhardo proposita sciteque comprobata. Cuius rei memor non erat Baiterus cum idem afferret ut suum in praefatione; nam textui constituendo non adhibuit. Recentiores autem critici cum multa inutilia afferant nec Gernhardi nec Baiteri mentionem faciunt, sive ignorarunt coniecturam sive illa fiducia freti qua tollere malunt emblemata spreverunt. Neque tamen indignum est 13 inventum quod attendatur et consideretur; quippe lenissimo remedio (et saepius *ut* et *aut* particulas permutari in codicibus nota res est, de qua post Wesenbergium agit Muellerus ipse ad Tusc. 314, 12) iusta sententiae forma paratur: qua recepta et, quod tum opus est, *ab hoc* scriptura ex Lactantii libris restituta orationis incommoda, quae docti putabant, nos quidem nulla habebamus, removentur. Sed coniecturam dum laudamus, fidem librorum nondum destituimus, non superstitione, ne qua littera scripta pereat, sed quia sensum nostrum consulentes penitusque excutientes cum utramque probamus ambigimus utram altera potiorem ducamus: illud non ambigimus pravo ac pernicioso consilio *Aristidis* commemorationem, qua nihil aptius esse aut magis necessarium potuit, a Ciceronis oratione rescissam nescio cuius ineptae sedulitati attribui.

III. Praeclarum opus est Madvigii, quo Ciceronis de finibus ad fidem librorum ab ipso excussam et fundatam recensuit amplissimisque commentariis enarravit. Qui singulari qua pollebat doctrina adiutus plerumque eam viam et rationem secutus est, ut non multa sint, in quibus ab eruditissimi viri iudicio discedendum videatur. Eorum nos tria afferimus, non magna, quorum unum supra c. II cum de officiis ageretur expositum est, nunc adiicientur duo.

Libro I 6, 19 haec leguntur.

Sed hoc commune vitium; illae Epicuri propriae ruinae: censet enim eadem illa individua et solida corpora ferri deorsum suo pondere ad lineam, hunc naturalem esse omnium corporum motum. deinde ibidem homo acutus, cum illud occurreret, si omnia deorsus e regione ferrentur et ut dixi ac-

> *lineam, numquam fore ut atomus altera alteram posset attingere, itaque attulit rem commenticiam: declinare dixit atomum perpaulum, quo nihil posset fieri minus; ita effici complexiones et copulationes et adhaesiones atomorum inter se, ex quo efficeretur mundus omnesque partes mundi.*

Apparet quid legentem impediat: duae enim partes orationis cum optime coire possent, *deinde homo acutus, cum occurreret, haec et haec posse fieri, attulit rem commenticiam,* turbavit intimum conexum media interposita *itaque* particula; quae quam nullum locum haberet Madvigius patefecit: neque enim revocatur oratio quasi ultra finem evagata neque ei rei inservire *itaque* vox sed *igitur* solet. Quare multis ista particula suspecta fuit; sed eam quominus tollamus, prohibet quod unde eam advolasse dicamus aegre dispicitur. Non felicius si quid sentimus ii, qui non removendam sed emendandam vocem opinati aut *iterum* aut *ruit atque* scribi posse coniectarunt; quorum neutrum nec sententia nec orationis forma ferre nobis videtur. Fuit etiam qui non particulam sed totam istam sententiam exstirpandam instaret, ortam videlicet ex adnotatione interpretis ridentis Epicurum sua ipsius ratione confutari. Quem credimus et ipsum rem commenticiam afferre: certe quidem hoc genus omne adnotationum marginalium textu receptarum, quibus iudicium probantis vel reprobantis lectoris ex-
14 primeretur, quod credula levitas criticorum excogitavit ut se laqueis difficultatum expedirent, nullo probabili exemplo confirmari et olim posuimus neque nunc quidquid oblocuti sunt aliter sentimus. Probabilius Madvigius coniecit fortasse verbum alterum errore librarii omissum esse, cui *homo acutus* subiectum esset cuique illa recte adnecterentur *itaque attulit rem commenticiam.* Sed nec ipse indicavit verbum quod vellet, nec facile excogitari potest, si quidem ad illa *deinde homo acutus* quid desideretur cum quaeritur, non potest responderi nisi *attulit rem commenticiam.* Hoc ita esse confirmant ea, quae paene eandem in sententiam Cicero scribit de natura deorum I 25, 69 *velut Epicurus cum videret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus et necessarius, invenit, quo modo necessitatem effugeret: ait atomum cum pondere et gravitate deorsus feratur, declinare paululum;* quae est oratio pariter formata easdemque plane per partes distributa, unde intelligi potest, illo altero loco nihil requiri amplius, sed sententiae conforma-

tionem recte per eadem membra evolvi: *deinde homo acutus, cum occurreret, talia fieri, attulit rem commenticiam: dixit declinare atomum.* Qua comparatione confisi dubitamus etiam Useneri sententiae accedere, qui in nobilissimo Epicureorum libro, cum haec inter fragmenta afferret p. 199, *itaque* particula ad superiora relata post eam defectum orationis notavit, quid addi cuperet non indicavit. Nos quo magis intelligimus in illa sententia nihil desiderari nullamque vocem prave scriptam esse, unam *itaque* particulam officere et obstare scrupulosque ex se parere, eo proniores sumus in eam opinionem, ut peccatum non esse nisi a Cicerone ipso putemus, qui posteaquam exposuit plenius illa quae Epicuro occurrisse (h. e. in mentem venisse) dicit, si omnia deorsum e regione ferrentur, numquam fore ut atomus atomum attingeret, continuavit orationem verbis *itaque attulit rem commenticiam*, errore seductus, quasi non praemisisset, *homo acutus, cum occurreret,* sed illa potius *deinde ibidem homini acuto occurrit.*

Non quaerimus de anacoluthorum Ciceronianorum modis ac generibus, de quibus, post alios et inprimis G. Schuppium olim philologum nunc philosophum multis et magnis meritis clarum, diligenter exposuit F. Gustafssonus in libello *de primo Ciceronis de finibus* Helsingforsiae a. 1878 edito, qui quidem hoc probe ostendit, saepe multa non recte ad hunc numerum adscribi. Neque hoc adeo ad hanc rem quam agimus pertinere arbitramur, exstare alibi apud Ciceronem imperfectae orationis exempla aut posse hoc nostrum ad certum quoddam genus eorum referri. Sed illud potius indagandum esse dicimus, sicubi oratio non suo ordine procedit, quo errore quave socordia hoc fieri potuerit, ut coepta dicendi forma derelicta neque rite ad suum finem deducta sit. Quare quod coniicimus isto loco accidisse ne quis aspernetur propterea quod credibile non sit in tantulo intervallo sic aberratum esse, hoc respondemus, spatium non esse quod momentum faciat, sed explicatiorem istam et pluribus partibus distinctam sententiam quae media est interiecta fefellisse scriptorem ut inducente specie crederet se non quae praemisit praemisisse sed similia istis et quibus quae insequuntur adnecti possent. Quamobrem hoc genus erroris quod statuimus suapte natura probabile esse negari non posset, etiam si singulare esset in scriptis Tullianis: sed est in promptu exemplum, geminum quod nobis videtur, quod licet alium explicandi modum non recipiat, tamen nemini, quantum scimus,

suspicionem movit, ut intelligatur talia aciem mentis non solum scribentium sed etiam legentium effugere et ut scribi ita legi sine offensione posse. In oratione pro Balbo haec leguntur 14, 32

> *Etenim quaedam foedera exstant, ut Cenomanorum, Insubrium, Helvetiorum, Iapydum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in foederibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur. quodsi exceptio facit, ne liceat, ubi non sit exceptum, ibi necesse est licere.*

Memorabilis haud dubie est haec structura et in ambitu orationis minime prolixo. Nam in unum coire non possunt *quaedam foedera exstant, quorum in foederibus,* sed apparet pluribus populorum nominibus mediis intercedentibus factum esse ut ad haec applicarentur illa *quorum in foederibus exceptum est,* neglectis primis verbis *quaedam foedera exstant,* quae sic continuari orationem postulabant, *exstant foedera complurium populorum, in quibus exceptum est.* Non erit, opinamur, qui haec corrigendo in accuratiorem formam coercere cupiat, si possit, cum manifestum sit, quid de inita via oratorem deflexerit, quem ne nunc quidem longius intervallum impedivit sed interpositorum species decepit. Ut sperare liceat ex hoc exemplo fortasse fore ut aliquid subsidii redundet ad tutanda verba de finibus quae disceptanda sumpsimus.

In quinto de finibus quae leguntur 24, 69

> *Quo modo igitur, inquies, verum esse poterit omnia referri ad summum bonum, si amicitiae, si propinquitates, si reliqua externa summo bono non continentur? hac videlicet ratione, quod ea, quae externa sunt, iis tuemur officiis, quae oriuntur a suo cuiusque genere virtutis. nam et amici cultus et parentis ei qui officio fungitur, in eo ipso prodest, quod ita fungi officio in recte factis est, quae sunt orta a virtutibus. quae quidem sapientes utentes sequuntur duce natura tamquam; non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria, quae habet speciem honestatis et similitudinem*

multifariam ingenia criticorum exercuerunt. Sententiarum tenorem et argumentandi viam optime explanavit Madvigius neque est quod in ea re moremur diutius. Nobis agendum est de extrema parte sententiae et inprimis de verbis *quae quidem sapientes utentes sequuntur duce natura tamquam,* quae mirum et memorabilem ordinem habent, sed eum aut omnium aut meliorum codicum fide

stabilitum. Haec ut ad probabilem formam redigerentur, iam Goerenzius illa duo vocabula *utentes* et *tamquam* ut ex glossematis orta expungenda ratus est; quo facto tamquam Tulliana haec relinquerentur *quae quidem sapientes sequuntur duce natura*, in quibus nihil est profecto quod reprehendatur. Eandemque rationem fidentius exsecutus est Madvigius, qui in tribus suis editionibus haec ita exprimenda curavit *sapientes sequuntur [utentes tamquam] duce natura*, retinens eum ordinem verborum qui est in vetustis editionibus: nam in libris ea aliter ordinata esse diximus. Sed melius 16
et ad memoriam librorum accommodatius haec, ceteroquin Madvigii rationibus probatis, Muellerus edidit, cum ea sic notari mallet *sapientes [utentes] sequuntur duce natura [tamquam]*. Longius profectus Baiterus in utraque quam paravit editione, quo nitidior esset textus forma neve uncorum quadrata figura legentium oculos violaret, quae illi uncinata dederunt ut falsa, ne toleravit quidem in ordine: *quae quidem sapientes sequuntur duce natura*. Atqui in his ut nihil est nimirum offensionis, ita ne illud quidem perspicias, qui factum sit in hac simplicissima oratione ut aliena sedulitate illa duo vocabula et isto quidem ordine adderentur. Et haec deliberatio, qua nihil magis in promptu erat, tandem ipsum advertit Madvigium qui a. 1869 in altera editione adnotationi qua manifestam esse interpolationem affirmaverat haec adiecit: "verum unde haec ascribere ad *duce natura* cuiquam in mentem venit? et qui sic distracta et transposita verba sunt, alterum in omnibus, alterum in melioribus codicibus? latet aliquid huiusmodi, *quae quidem sapientes* v i d e n t e s *sequuntur duce natura* e a m v i a m." De emendandi conamine quid iudicandum sit postea videbimus. Sed illud verissime ut putamus negavit credibile esse illa duo vocabula, ita separata praesertim, suam glossematis originem debere. Sed hanc prudentissimi hominis animadversionem novissimus editor aut ignoravit aut contempsit, certe perrexit Baiteri vestigia legere. Sic enim solent praeclari critici, qui quia rescissis duobus vocabulis restat oratio non vituperabilis, in ea acquiescunt, nihil anxie quaerentes unde accessionem istam factam putemus, quam auferunt vel secludunt. Quasi vero ulla ratio constare posset, cuius pars altera in obscuro latet.

Nos ut penitus perspiciatur si fieri possit, quid tandem offensionis aut insolentiae habere dicamus istam quam excutimus orationem, omittimus paulisper traditam eius scripturam et proficisci-

mur ab ea forma quae olim vulgo inde a Manutio circumferri solebat. Haec igitur in istis vetustioribus editionibus leguntur: *quae quidem sapientes sequuntur, utentes tamquam duce natura.* Quae verba qui Ciceronis more loquendique usu aestimaverit, intelliget nihil habere quod hunc scriptorem dedeceat aut ullum dubium movere de sinceritate possit. Sic enim scribit Cicero in Tusculanis disputationibus III 17, 37 *ad haec bona me si revocas, Epicure, pareo, sequor, utor te ipso duce, obliviscor etiam malorum;* Academ. I 8, 32 *post argumentis quibusdam et rerum notis quasi ducibus utebantur ad probandum et ad concludendum id quod explanari volebant:* putamus enim ita recte scribi Davisio auctore pro eis quae libri tradunt *et quasi rerum notis ducibus;* denique Tuscul. disput. IV 30, 64 *alii metum praemolestiam appellabant, quod esset quasi dux consequentis molestiae;* quibus addita sint similia haec de natura deorum I 15, 40 *legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit**). His igitur tribus aut quatuor exemplis videmur tantum vicisse, primum ut *sequuntur utentes duce natura* recte ac de more dici intelligatur; secundo autem loco *utentes tamquam duce natura* ineptum non esse aut insolens; in qua re illud animadvertendum est, *ducem* et hoc loco et illis superioribus dici *ducem viae,* et in figurata oratione, qualis haec est, tam recte addi quam omitti par-
17 ticulas comparativas, *tamquam, quasi* potuisse, velut pari modo *homines in speculis sunt, observant,* et *in hac custodia et tamquam specula; ad aliquod tamquam adminiculum,* et *nullis adminiculis; frenos* et *tamquam frenos* dicere solebant.

Quae si recte exposuimus, consectarium fiet, ut neutrum probabile sit, nec ab interpolatore adscripta esse ista duo vocabula, *utentes* et *tamquam,* quae certissimus loquendi usus tuetur, neque ea per incuriam librarii deformata et corrupta esse ex iis quae scriptor posuerat. Ut nec illis assentiendum sit qui haec duo ut falsa additamenta excludunt neque ei si qui emendando ex iis suscitare cupiat quod verum sit. Quare ne Madvigii quidem quamvis subtiliter excogitata ratio *videntes* ex *utentes,* ex *tamquam* autem *eam viam* restituentis, probari potest, quia temptat quae vera esse intelleximus; neque probabiliora alii attulerunt.

---

*16) [De fin. III 15, 49 *divitias, non eam modo vim habere, ut quasi duces sint ad voluptatem.* Orat. 18, 58 *quo magis naturam ducem ad aurium voluptatem sequatur industria.*]

Haec nos disseruimus exorsi ex ista vulgata olim scriptura *quae quidem sapientes sequuntur, utentes tamquam duce natura*, quae si librorum fide niteretur, neminem putamus de insiticiis aut corruptis cogitaturum fuisse: adeo haec apte scripta et composita sunt. Sed codicum memoriam consulentibus, cum haec ita in omnibus aut melioribus libris exarata esse constet *quae quidem sapientes utentes sequuntur duce natura tamquam*, perspicuum fit, verba quidem scripta recte, sed miris modis esse traiecta nec primitivam seriem retinere. Nam haec *utentes sequuntur duce natura* si qui forte tutari velit vel iis quae leguntur Acad. II 14, 43 *similitudines dissimilitudinesque et earum tenuis et acuta distinctio fidentium est hominum illa vera et firma esse;* vel quae de off. III 26, 99 *dimicare melius fuit quam deserere consentientem Graeciam ad bellum barbaris inferendum*, intelligi oportet haec ex eo genere prompta esse quod late patuit et id proprii habet ut nominibus interpositis inter participium et quae a participio suspensa sunt diiungantur quae coniungenda erant; quod genus Madvigius cum alibi tum plenius Emendationibus Livianis ed. II p. 330 persecutus est (vide ad II de legib. 22, 56 adnotata). Sed illi exemplo quod compar sit nec allatum ab aliis vidimus nec nobis afferre contigit. Itaque hic primum aliquid turbatum esse in ordine agnoscitur. Non magis erit qui hunc positum foveat *duce natura tamquam;* nam quamquam notum est id genus particulas nonnumquam postponi iis quibus praeponi debebant, velut de off. II 8, 30 *aeque utrisque est propemodum comparanda*, vel ibid. I 30, 107 *intellegendum est duabus quasi nos a natura indutos esse personis;* Lael. 25, 92 *ut unus quasi animus fiat ex pluribus*, tamen illi quod aequum sit vix arbitramur inveniri; et hanc igitur collocationem turbis factis adscribimus. Itaque negari non potest, huius orationis membra nescio quo casu temere esse disiecta. Quoniamque verba ipsa integra esse nec vitiose scripta satis ut arbitramur probavimus, ho[illegible] unum agendum est, ut eorum ordo probe instauretur. Et cert[illegible] clementiorem iudicem habebimus eum qui nulla parte resecta, n[illegible] littera quidem aut syllaba mutata, seriem tantum eorum qua[illegible] scripta sunt recuperare studeat, quam qui curtatam et demutata[illegible] suo arbitrio orationem Ciceroni ut suam redhibeat. Sed ea seri[illegible] varia esse potuit, et illa quae olim circumferebatur, quamqua[illegible] vituperari non potest, cum librorum scriptura collata probabi[illegible] non est. Neque hoc satis esse dicas aliquem ordinem qui mo[illegible]

tolerabilis sit restituisse, sed si licet eum oportet assequamur qui simul turbarum factarum causam et principium aperiat. Id quod fieri posse opinabamur, si Ciceronem haec ita scripsisse statuerimus:

> *quae quidem sapientes natura tamquam duce utentes sequuntur; non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria.*

Quae ut simplex est et nativa verborum collocatio et qua *natura* plenam vim sententiae contrarii ratione poscente sustineat, ita ansam errori librarii dabat, qui similitudine terminationum deceptus cum a *sapientes* ad *utentes* aberraret, *sapientes sequuntur* continuavit, quae media erant *natura tamquam duce utentes* praetermisit; quae in margine adscripta non eo quo debebant ordine sed plane perverso contextu rursus recepta sunt h. e. ita ut unum *utentes*, fortasse nota indicante, suum locum recuperaret, cetera, quae ei praemittenda erant, postponerentur et ipsa ordine inverso, *sequuntur duce natura tamquam.* Non nescimus haec coniecturae successu pendere et nos narrare οἷα ἂν γένοιτο, sed pro certo asseveramus nihil nisi hoc unum, haec verba, nec aucta additamentis nec vitio scripturae depravata, nulla re alia laborare quam perturbato ordine; quem probum ac probabilem restituisse nobis videmur.

IV. In Tusculanis disputationibus toties tot virorum doctorum cura et opera tractatis, vix ut restare credas, quod in disceptationem vocari possit, sunt tamen, videntur quidem certe nobis esse, nonnulla, quae nondum ita profligata aut ad exitum adducta sint, ut acquiescere liceat. Cuius rei duo proponimus exempla: primum hoc V 40, 117

> *Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit, prematur etiam doloribus acerrumis corporis, qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem; sin forte longinquitate producti vehementius tamen torquent quam ut causa sit cur ferantur, quid est tandem di boni quod laboremus? portus enim praesto est, [quoniam mors ibidem est] aeternum nihil sentiendi receptaculum.*

Scripsimus haec ut a Muellero edita sunt. Ad verba, quibus uncos addidit, haec adnotavit Davisius: 'apertum glossema, quod sagacissimus Bentleius primus vidit,' nil praeterea. Et post Bentleium Davisiumque multi, Baiterus a. 1863, Sorofius quoque quamquam variavit, denique Muellerus eadem verba ut additicia segre-

garunt: quorum tamen nemo additamenti causam et consilium vel verbo declarare ausus est, sed auctoritate magni viri moti sustulerunt quae intelligi non poterant. Et sunt sane ista verba *quoniam mors ibidem est* valde obscura. Sed minusne obscura sunt si ab Cicerone abiudicantur? et qui ea praeter mentem Ciceronis adiecit, nihilne sensisse putabitur? Frustra quaerimus: nihil nos adiuvant interpretes. Nos vero cunctamur damnare quorum nec sensum nec rationem dispicimus. Accedit alterum: quae restant illis deletis *portus enim praesto est, aeternum nihil sentiendi re-* **19**
ceptaculum, possunt illa quidem intelligi nec vitiosa sunt, sed tamen non nimis scitum est hoc dicendi genus; quod quoniam non ita traditum est sed nostro decreto partum, dubites quam Ciceronem decere dicas. Quae cum ita sint, mirum non est fuisse qui in Bentleiana ratione non esse persistendum rati alios emendandi modos circumspicerent. Fuit qui *ibidem* delendum censeret, *quoniam mors est aeternum nihil sentiendi receptaculum*, haud inepta sententia, sed non apparet unde istam particulam accessisse dicamus. Alius non *ibidem* sed *mors* abesse maluit, qua dempta voce crescit non minuitur difficultas *ibidem* particulae explicandae: quo enim referimus? Itaque Wesenbergius (ut iam ante Nissenius) quoniam *ibidem* maxime obstare probabili sententiae et orationi videbatur, hanc particulam aggrediendam, verum non abiiciendam, sed corrigendam esse censuit: ex *ibidem* effecit *quidem*, *quoniam mors quidem est n. s. receptaculum*, sed quia *mors* non satis apte ea particula addita acui videbatur, transposuit *quidem* et scripsit *quoniam quidem mors est n. s. receptaculum*, et has duas particulas Ciceronem saepe copulare multis exemplis probavit. Atque haec emendatio multorum plausum tulit per multasque editiones recentiorum criticorum, Tischeri, Sorofii, Heinii, Meissneri, al. propagata est. Quorum consensui quominus accedamus multa nos retinent: ex *ibidem* efficere *quidem*, quo nihil opus erat, et hoc quia eo loco ineptum est transponere et scribere *quoniam quidem*, quod item inutile erat, quam tandem probabilitatem habere dicimus hanc emendandi rationem? ut mittamus, ne satis apte quidem mortem dici esse receptaculum nihil sentiendi; certe probabilius videtur quod Cicero de divinatione II 72, 150 ait *perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus* aut quod idem pro Cluent. 61, 171 *huic mortem maturabat inimicus, quod illi unum in malis erat perfugium calamitatis.* Sed editores gaudentes habere

quod edi possit et si dis placet conniventi probari, rem futilem tamquam certam vulgarunt eique quod falsum erat speciem veritatis induerunt. Quanto praestitisset, quae certa emendatione restitui non poterant intacta relinquere et quasi morbosum in publico exponere, ut praetereuntium misericordiam moveret et fortasse medelae particeps fieret.

Nos dum contemplamur illud ipsum *ibidem* quod tam multis offensioni fuit, et simul attendimus non plene satisfacere eam orationis formam qua mors dicitur esse nihil sentiendi receptaculum, inde nata est opinio non additamento auctam nec vitio infectam esse sed defectu laborare orationem, et vocem unam duasve errore interceptas esse, Ciceronem autem scripsisse

> *Portus enim praesto est, quoniam mors* [ubi est], *ibidem est aeternum nihil sentiendi receptaculum.*

Sic et *ibidem* habet quo referatur, et recte dicitur non mors esse receptaculum sed ubi mors sit ibidem esse nihil sentiendi receptaculum. Porro *ubi est* quam levi errore ante *ibidem* scribentis incuria neglexerit in aperto est, et quoniam quae facta sunt credibile fit fieri posse, afferimus pro Balbo 14, 32 *quod si exceptio facit ne liceat, ubi* [non sit exceptum, ibi] *necesse est licere* pridem
20 restituta esse quae simili errore praetermissa erant. Postremo quod ita loquitur *mors ubi est ibidem est n. s. receptaculum*, ut sententiae apprime conveniens est, ita usu dicendi Tulliano egregie confirmatur. Nam ut Plautus dicit (Trucul. IV 4, 32 cf. Quintilian. V 11, 41) *ubi amici, ibidem* (*sunt*) *opes*, ita saepe scribit Cicero; de re publica III 31, 43 *ergo ubi tyrannus est, ibi non vitiosam sed dicendum est plane nullam esse rem publicam;* de fin. V 32, 95 *ut, ubi virtus sit, ibi esse miseria et aerumna non possit;* in Pison 26, 62 *ut ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quaereret;* pro Milon. 37, 101 *exilium ibi esse putat, ubi virtuti non sit locus;* de lege agrar. II 33, 91 *ubi honos publice non est, ibi gloriae cupiditas esse non potest;* multaque alia, quae afferre longum est. Sed addimus de domo 46, 121 *ibi enim postis est, ubi templi aditus est,* non alia de causa quam ne cui offensioni sit duplex *est* in ista oratione *mors ubi est, ibidem est,* id quod si tanti sit etiam pluribus confirmare liceat.

Alterum exemplum petimus ex eodem libro 17, 51 ubi haec leguntur in Muelleri exemplari

> *Quo loco quaero, quam vim habeat libra illa Critolai, qui cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram cor-*

poris et externa, tantum propendere illam [boni lancem] putet ut terram et maria deprimat.

Ad quae verba haec est Bentleii apud Davisium adnotatio: "quid illud est quod *boni lancem* dicit? cum in utraque lance fuerint *bona*: in illa *bona animi*, in hac *bona corporis et externa.* hoccine a tot editoribus doctissimis tam patienter ferri? lege vero *tantum propendere illam* ANIMI *lancem putet.* vel dele *boni* et scribe *tantum propendere illam lancem putet:* illam, hoc est quam priorem nominavit. noster de fin. v 30, (91) *audebo igitur cetera quae secundum naturam sunt bona appellare: virtutis autem amplitudinem quasi in altera librae lance ponere: terram, mihi crede, ea lanx et maria deprimet* [cf. Acad. II 12, 38]. nota autem locutionis genus ἰδιωτικόν. nam in bilance quae lanx praeponderat, non *deprimit* oppositam, verum elevat. sed vulgaris sermonis errore labi etiam sapienti et diserto concessum est." Ex Bentleii coniecturis alteram, qua *animi* pro *boni* reponi voluit, praeter Davisium nemo editorum, quem quidem novimus, recipiendam duxit, non iniuria, quoniam haec scriptura licet explicari quodam modo possit, satisfacere non potest. Sed alteram, qua *boni* nomine deleto *illam lancem* retinetur, plures editores cum Orellio in prima Turicensi expresserunt; at ex quo Baiterus in altera Turicensi haec duo *boni lancem* reiicienda proposuit, retinendum unum *illam*, recentioris aetatis editores plerique omnes in hanc sententiam pedibus ierunt.

Utrumque recte scribi potuisse quis negabit, tam *illam*, quod quo referretur per se satis manifestum erat, quam *illam lancem*, quod certe illo deterius non erat, quandoquidem Ciceronem constat saepe pronomini nomen etiam praeter necessitatem addere solere, velut de officiis I 44, 158 *ergo omne officium quod ad coniunctionem hominum et ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio quod cognitione et scientia continetur*, et Tuscul. disp. v 34, 97 *nec esuriens Ptolomaeus ederat; cui cum peragranti Aegyptum comitibus non consecutis cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius;* id quod maxime cadit 21
in formas pronominis *is*, quode vide verba de finibus a Bentleio allata et a nobis adnotata ad haec de legibus II 6, 14 *prius quam ipsam legem recitem, de eius legis laude dicam.* Sed utrum eorum probaveris, de additamento quaerendum est: sive enim Cicero nihil scripsit nisi *illam*, quod plerisque probatur, quo consilio credimus ad pronomen a nescio quo adiecta esse verba *boni lancem*, sive

illam lancem maluit, qua re motum dicimus, quicumque fuit, ut illis *boni* interponeret. Talia, ut saepe dicimus, vulgo critici non curant, qui cum habeant quod cum aliqua specie edi possit, contenti sunt neque se vexant amplius. Et tamen ea non sine detrimento negliguntur. Velut hoc loco considerandum est *boni lancem* nec Ciceronem neque magis eum, quem haec sua sponte addidisse volunt, eam lancem appellare potuisse, in qua *animi bona* imposita sunt. Nam non de *bonis* agitur universe sed de certo quodam genere *bonorum* ex iis quae modo divisa sunt: in qua re ne is quidem facile aberrare potuit, quicumque primus hoc egit ut additamento facto definitius eius lancis onus significaret. Itaque *boni* cum neutra parte defendi possit, sive Tullianum esse sive spuria origine putatur, nonne multo credibilius est nihil hic alieni insertum sed quod positum erat ab auctore scribentis errore corruptum esse et obscuratum? Quodsi ex *boni* effici posset quod in hanc sententiam quadraret et certiorem huius lancis notationem afferret, hoc eo probabilius foret, quod, quamquam et *illam* et *illam lancem* satisfacere posse iure concessimus, tamen post illa quae praecedunt *cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa* nihil aptius, nihil magis appositum ad sententiam esse potuit, quam hanc lancem, in qua sola omnis vis est comparationis, expressius denotari. Haec dum reputamus eo devenimus ut suspicaremur Ciceronem scripsisse

> *libra illa Critolai, qui cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa, tantum propendere illam bonorum animi lancem putet ut terram et maria deprimat.*

Haec est enim recta et propria huius lancis appellatio, quae non sine grata varietate affertur, quod cum ante *animi bona* posuerit, nunc *bonorum animi lancem* dicit, ut v 25, 72 *gaudere talibus bonis animi*, et 41, 119 *tantam praestantiam in bonis animi*; et de genetivo *bonorum animi lancem* si qui forte ambigat, vel illa possunt fidem facere quae de fin. IV 27, 76 leguntur *si palearum navem evertit et si auri.* Denique haec plenior oratio *illam bonorum animi lancem,* quam sententiae ponderi egregie aptari diximus, nescio quo pacto Ciceronis morem vel maxime decere visa est; quod quale sit etsi exemplis declarari vix potest, tamen si quis vel ea temptaverit quae de legibus II 4, 8 (79, 2); 5, 11 (81, 10); I 6, 19 (20, 4) leguntur, percipiet, opinamur, quid sit quod in ista oratione verissimam manum Tullianam agnoscere videamur.

Haec aliquamdiu nova esse et a nobis primis inventa putabamus, dum nostrae aetatis editiones evolvimus, quas stulti credideramus utilia quidem quaeque ex superiorum libris excerpsisse. Sed cum F. A. Wolfii libellum, cuius raram virtutem et elegantiam admirari solemus, de his quoque verbis consuleremus, haec eadem totidem litteris expressa legimus, *illam [bonorum animi] lancem,* 22 hoc quoque intelleximus iam Ernestum ita edidisse, Wolfium tantum uncos addidisse. Ex Orelliana autem prima didicimus olim fuisse adeo qui hoc ipsum in optimo codice Regio legi crederent (quod nunc compertum est verum non esse), et eiusdem scripturae etiam alium librum testem citari. Haec dum colligimus, mirabamur neminem ex tot editoribus iam inde a Turicensi altera a. 1861 huius scripturae mentionem fecisse. Quam si non dicimus recepissent sed tantum memorassent, credibile est pridem exstitisse qui eam ceteris conaminibus esse praeferendam intelligeret. Quae licet nihil sit nisi docti hominis coniectura, sive ea reperta est in aliquo codice sive in nullo, tamen veram esse nobis persuasimus et Ciceroni postliminio restituendam· Quodsi quis tamen dubitet et se intelligere neget, ex *bonorum animi* qui fieri potuerit *boni*, hoc dicimus, in tabula quidem delineari non posse, qui factum sit ut ex *bonorum animi* (sive *amini*, quae saepe scribendi errore permutantur in libris) haustis mediis syllabis prima et extrema *bo* et *ni* relinquerentur, sed potuisse hoc fieri exemplo doceri ex his ipsis libris petito: v 24, 68 haec olim vulgabantur *unus* (*animi fetus*) *in cognitione rerum positus et in explicatione naturae, alter in descriptione expetendarum fugiendarumve rerum, tertius in iudicando quid cuique rei sit consequens,* sed posteaquam compertum est in optimo codice Gudiano haec scripta esse *fugiendarumque ue rerum ne uiuendi*, eademque in codice Regio exarata fuisse sed *ue* et *ne uiuendi* litura deleta esse, intellectum est a Wesenbergio in archetypo codice syllabas quasdam extritas esse, integram autem orationem hanc fuisse *expetendarum fugiendarumve rerum* [et in ratio]*ne vivendi*, neque postea dubitatum est. Itaque spes est fore ut illa quoque scriptura quam ex oblivione suscitatam defendimus, tandem se probet criticis, si quidem ab ea se avertere persuasione voluerint, qua credunt spongiam istam deletilem quasi quandam panaceam esse emendationis Tullianae. Scr. m. Maio a. MDCCCIC.

LI. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1900.

8 Lectionum academicarum quem proponimus indicem ne sua prolusione litteraria careret, observationes quasdam sermonis Graeci collegimus ad Platonem maximam partem pertinentes: cuius stilus et oratio, qua nihil potest esse urbanius, tot libris, qui non iniqua sorte traditi ac propagati sunt, exposita quamvis certa fide iudicari posse videatur, tamen dici vix potest, quam amplam quamque variam vituperandi corrigendi reiiciendi materiam nostra potissimum aetate doctis hominibus attulerit. In hac ubertate repugnantium opinionum nos idem quod saepe facere animum induximus, ut temptaremus ecquidnam eorum quae vulgo a peritis addubitari et in suspicionem vitii adduci solent observationibus nostris stabilire et a damnatione qua premuntur liberare possemus. In qua re subit mirari, quanto plus atramenti insumpserimus in paucos defendendos locos quam praeclari critici in multo plures quos ineptis additamentis auctos esse affirmant; qui saepe uncis additis sibi satisfecisse utpote in re certa videntur aut si tamen uno verbo subindicant si quid in oratione supervacaneum esse aut pravum censuerint: nos quanto opere laboramus ac sudamus ut in sua luce ponamus si quid forsitan totos libros peragrantes comparabile iis quae repudiantur expiscati simus, aut ut operosis colligendi concludendi anfractibus fulciamus et communiamus quae persuadere aliis cupimus, cum praesertim sint quibus ut ait poeta *οὐ πείσεις οὐδ' ἢν πείσῃς*. Sed natura hoc ita partum est ut qui neget verum esse quod vulgo creditur breviter ac paene imperiose iudicium interponat intelligentibus probari confisus; qui contra nititur, nisi libidini libidinem opponere sat habet, necesse sit multis argumentis et exemplis collectis factum esse demonstret quod illi fieri posse negitent; et qui nos olim contemptu exceperunt propter illa multa nostra exempla unde unde corrasa, quibus nihil aliud quam firmare nostra declarato scriptorum usu sicut licebat tendebamus,

ii nobis quidem quamvis sint clara nomina philologicae artis quam praedicant nihil perspexisse visi sunt nisi libidinem esse harum 4
rerum dominatricem et verum esse quod cuique placuerit et probatum fuerit. Sed esto: nos eundem quem adhuc tramitem grammaticae artis persequimur; proficiscimur autem nunc ab Hippia maiore h. e. maiore duorum dialogo, quibus Hippiae sophistae Elei nomen inscriptum est, qui liber, sive Platonis est, quod multa dissuadent ne credatur, sive non est Platonis, de oratione cum agitur, eodem plane modulo cum verissimis scriptis Platonicis metiendus est. Et nos hinc ordiri nostram observationem, non in eo se libro continere volumus, verum dum Platonicam potissimum consuetudinem scribendi sequimur et indagamus, ab illo principio *ἄνω καὶ κάτω* vagantes et in variis deverticulis itineris nostri insistentes cum varietate aliquid utilitatis iis qui Platonem diligunt afferre cupimus atque iis inprimis quorum studia ad has litteras collata adiuvare et incitare his nostris scriptionibus solemus.

I. In Hippia igitur maiore libri quorum fide M. Schanzius et hunc libellum et ceteros tetralogiae septimae a codice Oxoniensi alienae recensuit haec scripta exhibent non longe a principio (p. 1, 11 Sch.)

> *ΣΩ. Τοιοῦτον μέντοι, ὦ Ἱππία, ἔστιν τὸ τῇ ἀληθείᾳ σοφόν τε καὶ τέλειον ἄνδρα εἶναι. σὺ γὰρ καὶ ἰδίᾳ ἱκανὸς εἶ παρὰ τῶν νέων πολλὰ χρήματα λαμβάνων ἔτι πλείω ὠφελεῖν ὧν λαμβάνεις, καὶ αὖ δημοσίᾳ τὴν σαυτοῦ πόλιν ἱκανὸς εὐεργετεῖν, ὥσπερ χρὴ τὸν μέλλοντα μὴ καταφρονήσεσθαι ἀλλ' εὐδοκιμήσειν ἐν τοῖς πολλοῖς. ἀτάρ, ὦ Ἱππία, τί ποτε τὸ αἴτιον, ὅτι οἱ παλαιοὶ ἐκεῖνοι, ὧν ὀνόματα μεγάλα λέγεται ἐπὶ σοφίᾳ, Πιττακοῦ τε καὶ Βίαντος καὶ τῶν ἀμφὶ τὸν Μιλήσιον Θαλῆν καὶ ἔτι τῶν ὕστερον μέχρι Ἀναξαγόρου, ὡς ἢ πάντες ἢ οἱ πολλοὶ αὐτῶν φαίνονται ἀπεχόμενοι τῶν πολιτικῶν πράξεων;*
>
> *ΙΠ. Τί δ' οἴει, ὦ Σώκρατες, ἄλλο γε ἢ ἀδύνατοι ἦσαν καὶ οὐχ ἱκανοὶ ἐξικνεῖσθαι φρονήσει ἐπ' ἀμφότερα, τά τε κοινὰ καὶ τὰ ἴδια;*

In qua parte sermonis Socratem inter et Hippiam instituti nihil est quod aut vituperaverint alii aut nos vituperaturi simus, sed nonnulla insunt haud indigna quae acrius animadvertantur, propterea quod subvenire posse aliis videntur quae criticorum fastidium corrigendique cupiditatem moverunt. Primum haec (12—15)

σὺ γὰρ καὶ ἰδίᾳ ἱκανὸς εἶ παρὰ τῶν νέων πολλὰ χρήματα λαμβάνων ἔτι πλείω ὠφελεῖν ὧν λαμβάνεις, καὶ αὖ δημοσίᾳ τὴν σαυτοῦ πόλιν ἱκανὸς εὐεργετεῖν: in quibus bis positum est praedicati loco *ἱκανός*, quod semel posuisse satis erat. Eodemque genere in hoc dialogo (p. 29, 19) scribitur *παρὰ σοῦ ἤδη ἀνεδιδάχθημεν, ὅτι εἰ μὲν δύο ἀμφότεροί ἐσμεν, δύο καὶ ἑκάτερον ἡμῶν ἀνάγκη εἶναι, εἰ δὲ εἷς ἑκάτερος, ἕνα καὶ ἀμφοτέρους ἀνάγκη*, ubi *ἀνάγκη* iteratur, quamquam aut hoc abesse aut simul cum eo *εἶναι* iterari malis. Haec neglexerunt critici, qui alibi furca talia expellere ausi sunt. In Symposio (p. 17, 16) *ὑπὸ ταύτης τῆς αἰτίας πρῶτον μὲν τὸ ἁλίσκεσθαι ταχὺ αἰσχρὸν νενόμισται, ἵνα χρόνος ἐγγένηται ὃς δὴ δοκεῖ τὰ πολλὰ καλῶς βασανίζειν, ἔπειτα τὸ ὑπὸ χρημάτων καὶ ὑπὸ πολιτικῶν δυνάμεων ἁλῶναι αἰσχρόν*, hoc alterum *αἰσχρόν* supervacaneum erat et deletum est ab Hirschigio; in Euthydemo (p. 49, 4 Sch.) *ἐὰν μεν σοι φαίνηται φαῦλον ὄν, πάντ' ἄνδρα ἀπότρεπε, μὴ μόνον τοὺς υἱεῖς, ἐὰν δὲ φαίνηται οἷον οἶμαι αὐτὸ ἐγὼ εἶναι, θαρρῶν δίωκε* Badhami cura *φαίνηται* uncos fert altero loco; in Republica (x p. 511, 20 Bk.) *εἰπόντος δὲ ταῦτα τὸν πρῶτον λαχόντα ἔφη εὐθὺς ἐπιόντα τὴν μεγίστην τυραννίδα ἑλέσθαι, καὶ ὑπὸ ἀφροσύνης τε καὶ λαιμαργίας οὐ πάντα ἱκανῶς ἀνασκεψάμενον ἑλέσθαι* ut hanc incredibilem quam dicit balbutiem Platoni eximat Madvigius alterum utrum *ἑλέσθαι* cum particula tolli iubet (Adv. crit. I p. 435).

Erramusne, an aliquid cognationis inter haec tria et cum duobus supra positis agnoscitur? Quae tamen nemo criticorum in unum coegit, nedum studiose circumspexerint, quid maxime in hoc genere Platonis usui conveniat, caventes ne temptent hic, quod illic praetereunt securi. Pauca afferimus quae nobis non anxie quaerentibus in promptu sunt. In Republica cum scribit (x p. 468, 11) *ὁ αὐτὸς γὰρ οὗτος χειροτέχνης οὐ μόνον πάντα οἷός τε σκεύη ποιῆσαι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐκ τῆς γῆς φυόμενα ἅπαντα ποιεῖ καὶ ζῷα πάντα ἐργάζεται, τά τε ἄλλα καὶ ἑαυτόν, καὶ πρὸς τούτοις γῆν καὶ οὐρανὸν καὶ θεοὺς καὶ πάντα τὰ ἐν οὐρανῷ καὶ τὰ ἐν Ἅιδου ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἐργάζεται*, non admodum pepercisse verbis videtur poterantque critici duo certe eorum sine damno inducere. Ibid. (vi p. 308, 15) *ἐλέγομεν δ', εἰ μνημονεύεις, δεῖν αὐτοὺς φιλοπόλιδάς τε φαίνεσθαι βασανιζομένους ἐν ἡδοναῖς τε καὶ λύπαις, καὶ τὸ δόγμα τοῦτο μήτ' ἐν πόνοις μήτ' ἐν φόβοις μήτ' ἐν ἄλλῃ μηδεμιᾷ μεταβολῇ φαίνεσθαι ἐκβάλλοντας* alterum *φαίνεσθαι*

nemo desiderasset. Ibid. (III p. 135, 8) *καὶ ἡ μὲν ἀσχημοσύνη καὶ ἀρρυθμία καὶ ἀναρμοστία κακολογίας καὶ κακοηθείας ἀδελφά, τὰ δ' ἐναντία τοῦ ἐναντίου, σώφρονός τε καὶ ἀγαθοῦ ἤθους, ἀδελφά τε καὶ μιμήματα.* Addimus de Protagora, qui multa habet similia, haec saltem quae p. 92, 5 leguntur *ὥσπερ οὖν οὐ τὸν κείμενόν τις ἂν καταβάλοι, ἀλλὰ τὸν μὲν ἑστῶτά ποτε καταβάλοι ἄν τις, ὥστε κείμενον ποιῆσαι, τὸν δὲ κείμενον οὔ, οὕτω … τὸν κυβερνήτην μέγας χειμὼν ἐπιπεσὼν ἀμήχανον ἂν ποιήσειεν, καὶ γεωργὸν χαλεπὴ ὥρα ἐπελθοῦσα ἀμήχανον ἂν θείη.*

Quibus exemplis hoc fortasse vicimus ut illa tria supra a nobis proposita temere de corruptela argui intelligatur. Sed nos nihil antiquius habebamus quam ut verba Apologiae Socratis simili offensione vexata ab iniuriis criticorum si fieri posset defensitaremus. Haec dicit Socrates (p. 32, 1)

> *Χαιρεφῶντα γὰρ ἴστε που. οὗτος ἐμός τε ἑταῖρος ἦν ἐκ νέου καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ἑταῖρός τε καὶ ξυνέφυγε τὴν φυγὴν ταύτην καὶ μεθ' ὑμῶν κατῆλθε.*

Quae verba C. G. Cobetus primus, molestia ut videtur repetiti nominis ductus, reprehendit; qui in illis praeclaris Variis Lectionibus (a. 1854 p. 299), cum multa ex Apologia emblemata expelleret, haec seclusis spuriis ita notavit breviter *οὗτος ἐμός τε ἑταῖρος ἦν καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει [ἑταῖρός τε] καὶ ξυνέφυγε τὴν φυγὴν ταύτην.* Quo resecto nomine sententia non mutatur; nam *ἑταῖρος* si scriptum non est in altera parte, tamen necesse est audiatur, nec minus apte nunc quam ante haec tria in unum coeunt, *ἐμός τε ἑταῖρος ἦν καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει* (scil. *ἑταῖρος*) *καὶ ξυνέφυγε τ. φ. τ.* A Cobeto incitatus Schanzius olim a. 1875 primo Platonis volumine edito auctore A. Ludwigio non *ἑταῖρός τε* sed *ἑταῖρός τε καὶ* eiicienda et hanc esse sententiam censuit, *ἐμός τε ἑταῖρος ἦν* 6 *καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ξυνέφυγε τ. φ.* idque obtinuit nuper Apologia denuo edita et uberrimo commentario instructa, nisi quod *ἐμὸς ἑταῖρός τε ἦν ἐκ νέου* scribi quam *ἐμός τε ἑταῖρος* maluit, haec ut inter se responderent *ἐμὸς ἑταῖρός τε ἦν καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ξυνέφυγεν.* Idem studuit explicare ex hac scriptura quo errore orta sit ista quam scripti libri tenent, sed ut nobis videtur ea ratione quae artificiosior sit quam verisimilior. Sed hoc utut est, quam condidit orationem dubitamus quam recte condiderit. Neque enim nunc quae per particulas *τέ* et *καί* iunguntur curiosius rimanti satis apte comparari ut partes duae videntur: *ἐμὸς ἑταῖρός*

τε ἦν ἐκ νέου καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ξυνέφυγεν, *et meus amicus erat a pueris et vobiscum fugam petiit.* Itaque si quid mutandum est, Cobeti opinionem praeferimus, qui quod ἑταῖρός τε delevit sententiam quidem non corrupit; sed quod alterum ἑταῖρος abesse maluit, ut mittamus usum Platonis, quem monstravimus, ipsa nativa venustas dicendi renuit, quae in hac quamvis tenui differentia partium non tolerasse modo sed requisivisse nomen iteratum videtur, ἐμός τε ἑταῖρος ἦν ἐκ νέου καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ἑταῖρος. At Cobetum, putamus, non haec tantum offensio movit, sed idem haud dubie duritiem quandam orationis persensit in hac conformatione καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ἑταῖρός τε καὶ ξυνέφυγεν, quae pede claudo esse videatur utpote carens altero tamquam pede verbo; exspectatur enim καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ἑταῖρός τε ἦν καὶ ξυνέφυγε, quod verbum praecessit sed ex superiore parte suppleri non potest. Idem incommodum Schanzius percepit et aperte verbis significavit. Atqui ἦν si desideratur, quidni addimus vocem postulatam potius quam absentis in societatem abiiciamus alia, quod cum Cobeto Schanzius instituit. Haec qui reputaverit, intelliget novam nobis quaestionem subnatam esse, sed eam quae dirempta spem faciat diremptum iri totam causam. Etenim non ἑταῖρος est quod impediat sed τέ particula ei nomini adiecta; qua sublata tolli difficultas videatur, ἐμός τε ἑταῖρος ἦν ἐκ νέου καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ἑταῖρος καὶ ξυνέφυγε τ. φ. Hoc igitur exploratum oportet verumne sit quod illi sensu quodam, non observatione usus ducti iudicarunt, in oratione bimembri τέ particula inserta non posse verbum abesse in altera parte. Plato ita scribit in Phaedone (p. 106, 10) χωριζόμενα δὲ φρονήσεως ἀλλαττόμενα ἀντὶ ἀλλήλων μὴ σκιαγραφία τις ᾖ ἡ τοιαύτη ἀρετὴ καὶ τῷ ὄντι ἀνδραποδώδης τε καὶ οὐδὲν ὑγιὲς οὐδ' ἀληθὲς*) ἔχῃ, ubi ἀνδραποδώδης τε ᾖ intelligitur; et ineptus fuit qui ἔχουσα mallet. In Theaeteto plura etiam suppleri mente voluit (p. 23, 32) ὡς οἱ μαινόμενοι ἢ οἱ ὀνειρώττοντες οὐ ψευδῆ δοξάζουσιν, ὅταν οἱ μὲν θεοὶ αὐτῶν οἴωνται εἶναι, οἱ δὲ πτηνοί τε καὶ ὡς πετόμενοι ἐν τῷ ὕπνῳ διανοῶνται; dicit enim οἱ δὲ πτηνοί τε οἴωνται εἶναι καί. Atque haec quidem exempla habent ex superioribus quod addi ad τέ potuerit: sunt in quibus nihil sit unde repetatur quod requiritur; qualia haec dicit in

*29) οὐδὲν ὑγιὲς εἶναι οὐδ' ἀληθές libri, sed ut in nonnullis εἶναι deletum sit; quod unde natum dicas non apparet. Ceterum Phaedr. p. 22, 14 μηδὲν ὑγιὲς λέγοντε μηδὲ ἀληθές.

Phaedro (p. 36, 4) *ὅσοι δὲ Ἄρεώς τε θεραπευταὶ καὶ μετ' ἐκείνου περιεπόλουν, ὅταν ὑπ' Ἔρωτος ἁλῶσιν κτλ*; intelligit enim *Ἄρεώς τε θεραπευταὶ ἦσαν* neque hoc difficilius cogitatur quia non praecessit; neque in eodem Phaedro (p. 15, 13) *περὶ μὲν γὰρ* 7 *ἐδωδὴν κρατοῦσα τοῦ λόγου τοῦ ἀρίστου καὶ τῶν ἄλλων ἐπιθυμιῶν ἐπιθυμία γαστριμαργία τε καὶ τὸν ἔχοντα ταὐτὸν τοῦτο κεκλημένον παρέξεται* obscurum est quid addi sensu oporteat. Non omittimus Theaeteti verba (p. 29, 15) *τί δή ποτε Πρωταγόρας μὲν σοφός, ὥστε καὶ ἄλλων διδάσκαλος ἀξιοῦσθαι, ἡμεῖς δὲ ἀμαθέστεροί τε καὶ φοιτητέον ἡμῖν ἦν παρ' ἐκεῖνον*, ubi in contrariam partem peccavit qui *ἦν* tolli vellet. Sed graviora illis et fortasse magis etiam ad persuadendum apposita sunt quae leguntur in Phaedro (p. 25, 13) *ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἠφανίσθη*. Quid enim haec distare dicimus ab illis de Apologia verbis, quae nobis cordi erat quovis pacto tutari, *καὶ ὑμῶν τῷ πλήθει ἑταῖρός τε καὶ ξυνέφυγε τὴν φυγὴν ταύτην*.

Sed ad haec verba Phaedri quando nos disputandi via detulit, non possumus facere quin quibus ea offensionibus variis gravibusque obnoxia fuerint cum cura perpendamus. Plena haec est oratio

> *ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη.*

Quae verba insiticiis secretis ita scripsit Cobetus (Mnemos. n. s. II 1874 p. 259) *ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ* [*ποιητικῆς*] *θύρας ἀφίκηται* [*πεισθεὶς*] *ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος*, cum haec adnotaret '*coniungenda sunt ἐπὶ Μουσῶν θύρας, itaque ποιητικῆς locum in quo consistat nullum habet; soloecum est deinde πεισθεὶς ὡς ἐσόμενος pro ὡς ἔσται, sed solum ὡς ἐσόμενος eo sensu ponitur ut sit* "opinatus se bonum poetam futurum", *itaque molestum πεισθείς resecabimus.*' Cobeto nuper in utraque parte adstipulatus est I. I. Hartmanus in libello perutili, quo quaecumque in Platonis scriptis emblemata aut ipse sibi aut alii detexisse visi sunt uno conspectu proposuit (a. 1898). Qui praemissis verbis a Cobeto notatis haec subiicit (p. 94) '*quod inepte isto πεισθείς significare voluit interpolator, id ipsum venuste particulis ὡς ἄρα significatur; puerile additamentum ποιητικάς* (*ante θύρας*) *idem Cobetus sustulit, cuius inventum hic ut semper cetero-*

rum conatibus praelucet.' *Μουσῶν θύρας* dici Cobetus posuit: quo facto *ποιητικῆς*, ut ille legit, locum non habet. Sed repugnat Plato, quem et quae proxime praecedunt (6) *τρίτη δὲ ἀπὸ Μουσῶν κατακωχή τε καὶ μανία λαβοῦσα κτλ* et quae huc respiciens Socrates postea (p. 54, 20) exponit *τῆς δὲ θείας* (*μανίας* scilicet quod e vicinia intelligitur) *τέτταρα μέρη διελόμενοι μαντικὴν μὲν ἐπίπνοιαν Ἀπόλλωνος θέντες, Διονύσου δὲ τελεστικήν, Μουσῶν δ' αὖ ποιητικήν, τετάρτην δὲ Ἀφροδίτης καὶ Ἔρωτος ἐρωτικὴν μανίαν ἐφήσαμεν ἀρίστην εἶναι*, non *Μουσῶν θύρας* sed *μανίαν Μουσῶν* voluisse persuadent: quod si est ad *θύρας* necesse est sive *ποιητικῆς*, quod olim nonnulli praeferebant, sive *ποιητικὰς* adiiciatur. Hoc verum esse et Platonem scripsisse quod librorum memoria testatur *ὃς ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται*, eo confirmari M. Hauptius docuit (opp. III 320) quod eadem et Seneca legerit et quidam scriptores Graeci posterioris aetatis cognita habuerint et imitati sint. Quo magis par est in iis acquiescere, etiamsi cui hae poeticae fores, quas Seneca dicit, minus placiturae sint quam Musarum ianuae. *Πεισθείς* autem quis non
8 Cobeto Hartmanoque concesserit potuisse abesse, ut haec coniungerentur *ἀφίκηται ὡς ἄρα ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος*, in eum modum quem in Protagora scribitur *σὺ ἑκάστην οὐκ ἐπὶ τέχνῃ ἔμαθες ὡς δημιουργὸς ἐσόμενος* (p. 54, 3) et *καὶ ἐπὶ τέχνῃ μανθάνει ὡς σοφιστὴς ἐσόμενος* (57, 20), quamquam haec duo enuntiata utpote supervacanea post *ἐπὶ τέχνῃ* deleverunt. Sed ut recte nec occupata mente iudicetur distinguendum est. Cobetus enim 'soloecum esse' ait '*πεισθεὶς ὡς ἐσόμενος* pro *ὡς ἔσται*'. Quod fortasse ita redargui non potest, ut gemellum expromas exemplum verbi *πεισθείς* cum *ὡς* et participio iuncti; quod tamen ne ideo festinantius reprobemus prohibet analogia similium, cuius magnam vim esse in rebus grammaticis notum est. In Phaedro haec sunt (p. 3, 15) *ἐκκέκρουκάς με ἐλπίδος ἣν εἶχον ἐν σοὶ ὡς ἐγγυμνασόμενος*, at in Euthyphrone in sententia persimili (p. 25, 11) *ἀπ' ἐλπίδος με καταβαλὼν μεγάλης ἀπέρχει ἣν εἶχον ὡς παρὰ σοῦ μαθὼν τά τε ὅσια καὶ μὴ καὶ τῆς πρὸς Μέλητον γραφῆς ἀπαλλάξομαι*; idem Lucianus in Somnio 2 *χρηστὰς εἶχον ἐπ' ἐμοὶ τὰς ἐλπίδας ὡς ἐν βραχεῖ μαθήσομαι τὴν τέχνην.* Unde intelligitur pariter utrumque licuisse nec rectius scriptum iri *ἐλπίδος ἣν εἶχον ἐν σοὶ ὡς ἐγγυμνάσομαι* quam quod Plato praetulit *ὡς ἐγγυμνασόμενος*. Menexenus haec habet (p. 74, 31) *ὃ δὴ*

καὶ ἡ ἡμετέρα γῆ τε καὶ μήτηρ ἱκανὸν τεκμήριον παρέχεται ὡς ἀνθρώπους γεννησαμένη, quae redeunt ad ea quae proxime ante (26) elata sunt hoc modo *μέγα τεκμήριον τούτῳ τῷ λόγῳ ὅτι ἥδε ἔτεκεν ἡ γῆ τοὺς τῶνδέ τε καὶ ἡμετέρους προγόνους*. In Legibus ne talia quidem respuit Plato (p. 7, 24 Sch.) *εἴρηκας γοῦν ὧδε ἐν τοῖς ποιήμασιν, ὡς οὐδαμῶς τοὺς τοιούτους ἀνεχόμενος οἳ μὴ τολμήσωσιν ὁρᾶν φόνον αἱματόεντα*. Sed inprimis dignum est quod consideretur verbum *διανοεῖσθαι*, quod quidem etiam cum infinitivo iungitur velut apud Thucydidem (I 52, 2) *ἡσύχαζον ναυμαχίας οὐ διανοούμενοι ἄρχειν ἑκόντες*, sed saepius cum *ὡς* et participio, ut idem scribit VII 5, 4 *διανοεῖσθαι οὕτως ἐκέλευεν αὐτοὺς ὡς τῇ μὲν παρασκευῇ οὐκ ἔλασσον ἕξοντας, τῇ δὲ γνώμῃ οὐκ ἀνεκτὸν ἐσόμενον κτλ*; Lysias 32, 23 *νῦν δέ μοι δοκεῖ οὐδεπώποτε διανοηθῆναι ὡς φανερὰν καταστήσων τὴν οὐσίαν, ἀλλ' ὡς αὐτὸς ἕξων τὰ τούτων*; Plato in Theaeteto p. 24, 1 *οἱ μὲν θεοὶ αὐτῶν οἴωνται εἶναι, οἱ δὲ πτηνοί τε καὶ ὡς πετόμενοι ἐν τῷ ὕπνῳ διανοῶνται*. In Menexeno haec tradita sunt (p. 79, 7) *αὐτὸς δὲ ἠγγέλλετο βασιλεὺς διανοεῖσθαι ὡς ἐπιχειρήσων πάλιν ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας*, in quibus, ut hoc in transcursu moneamus, verbum desiderari Cobetus intellexit (nam *ἐπιχειρήσων ἐπὶ τ. Ἑ.* nihili est), qui *πάλιν [ἰέναι] ἐπὶ* scribendum proposuit, melius Schanzius [*ἐπιστρατεῦσαι*] *ἐπιχειρήσων*, quo verbo orator saepius utitur (p. 76, 21; 80, 2), nisi quod fortasse paulo etiam commodius in hunc modum verba ordinantur, *ὡς ἐπιχειρήσων πάλιν [ἐπιστρατεῦσαι] ἐπὶ τ. Ἑ.* Saepe autem *ἐπιχειρεῖν* adiuncto infinitivo poni notum est, velut in Hippia utroque, *οἱ ἐπιχειροῦντες τοὺς νόμους τιθέναι* (5, 36), *ἐπιχειρήσας καθέλκειν τὰς ναῦς* (44, 24); quae vero ibidem (10, 23 et 13, 1) leguntur *ἐπιχειρήσειν σε ἐλέγχειν*, et *ἀπορήσει καὶ οὐκ ἐπιχειρήσει σε ἐλέγχειν*, ea fidem faciunt in Theaeteto (p. 29, 22) rectius scribi *τὸ γὰρ ἐπισκοπεῖν καὶ ἐπιχειρεῖν ἐλέγχειν τὰς ἀλλήλων φαντασίας τε καὶ δόξας* quod olim vulgabatur et codicis Veneti testimonio confirmatur quam quod est in Oxoniensi *τὸ γὰρ ἐπισκοπεῖν καὶ ἐλέγχειν* a Schanzio receptum. Sed haec obiter. Et hoc exemplum et quae reliqua allata sunt hoc videntur probare quod scriptum est *πεισθεὶς ὡς π. ἐσόμενος* pro eo quod potuit scribi *ὡς π. ἔσται* ab usu Graecorum et ipsius Platonis minime abhorrere, et quod cumulantur participia non offendet nisi qui Platonem ignorat.

At supervacaneum est *πεισθείς*, quod erat alterum Cobeti

argumentum, et omisso eo idem valent verba ὡς π. ἐσόμενος. Est vero supervacaneum nec desiderabatur ad sustentandum enuntiatum participiale. Sed Platonem videmus non ita astringere orationem solere, ut non hic illic quo rotundior ac mollior evadat conformatio participium immisceat quod sententia quidem non poscebat. Haec sunto exempla, pauca de pluribus. In Phaedro (p. 11, 8) καὶ ἐφαίνετο δή μοι νεανιεύεσθαι ἐπιδεικνύμενος ὡς οἷός τε ὢν ταὐτὰ ἑτέρως τε καὶ ἑτέρως λέγων ἀμφοτέρως εἰπεῖν ἄριστα. Quis hic geminatis praesertim participiis ἐπιδεικνύμενος desiderabat, cum sine eo apte coniungi νεανιεύεσθαι ὡς οἷός τε ὢν appareat, ut in Gorgia (p. 114, 22) αἰσχρὸν νεανιεύεσθαι ὡς τὶ ὄντας, aut in Phaedro (p. 22, 14) τὸ μηδὲν ὑγιὲς λέγοντε σεμνύνεσθαι ὡς τὶ ὄντε. In principio Critonis ἀλλὰ καὶ σοῦ πάλαι θαυμάζω αἰσθανόμενος ὡς ἡδέως καθεύδεις falso esse αἰσθανόμενος adscriptum (a quo aut quo consilio?) cum Hirschigio Hartmanus (p. 92) statuerunt, quod quidem sententia flagitari non dicimus sed tamen venusta quadam simplicitate loquendi valde commendari existimamus. Inprimis respicienda sunt Legum verba (VII p. 56, 11 Bk.) πολλὰ μὲν δὴ τοίνυν ἄλλα ἡμῖν τῶν παλαιῶν ὀνομάτων ὡς εὖ καὶ κατὰ φύσιν κείμενα δεῖ διανοούμενον ἐπαινεῖν. Putamusne διανοούμενον, unde pendet alterum participium ὡς εὖ καὶ κατὰ φύσιν κείμενα, quod eo adminiculo non indigebat, orationis forma requiri? quod nobis etsi minime deleri velimus non magis necessarium videtur quam vel πείθοντες in Republica (VIII p. 407, 12) σωφροσύνην δὲ ἀνανδρίαν καλοῦντές τε καὶ προπηλακίζοντες ἐκβάλλουσι, μετριότητα δὲ καὶ κοσμίαν δαπάνην ὡς ἀγροικίαν καὶ ἀνελευθερίαν οὖσαν πείθοντες ὑπερορίζουσι μετὰ πολλῶν ἐπιθυμιῶν, quo participio item enuntiatum participiale regitur, quod sine eo non minus recte constabat. Haec si immunia sunt, tamenne instamus πεισθεὶς esse removendum? quod eidem usui accommodatum orationis causa potuisse abesse concessimus h. e. sublatum non dissolvere orationem, tamen nec sine consilio adiectum nec sine damno posse demi nobis persuasimus qui ita sentiamus opinandi significationem quae inest in verbis ὡς ἄρα.. ἐσόμενος superaddito πεισθεὶς accendi et perapte ad sententiam in vim persuasionis augeri.

Ad Hippiam redimus, ut quae porro animadversione digna visa sint in verbis quae huic capiti praescripsimus indicemus no-

vamque inde telam sed exiguam texamus. Nam critici, qui si quando quid laxius quam astrictius elatum est labem olfaciunt et quidquid ultra angustam necessitatem trahi videtur recidi cupiunt, non frustra, putamus, attendent quae Socrates dicit *δημοσίᾳ τὴν σαυτοῦ πόλιν ἱκανὸς εὐεργετεῖν ὥσπερ χρὴ τὸν μέλλοντα μὴ καταφρονήσεσθαι ἀλλ' εὐδοκιμήσειν ἐν τοῖς πολλοῖς* et quae illi Hippias respondet *ἄλλο γε ἢ ἀδύνατοι ἦσαν καὶ οὐχ ἱκανοὶ ἐξικνεῖσθαι ἐπ' ἀμφότερα*. Quae sunt genera duo abundantis orationis inter se similia. Quorum illud, quamquam non inconsulto afferimus, nunc dedita opera persequi nolumus, alterum habemus quo declarare liceat. Etenim haec est ratio dicendi plurimi usus, cuius exempla multa et insignia tam Graeca quam Romanensia Immanuelis Bekkeri schedae Homericae (II 222) recensent; pauca e Thucydide deprompsit Meinekius (Herm. III 348); nos quoque quaedam ad Aristotelis Poeticam (p. 88) adscripsimus; cuius quae sunt

ἑτέρως καὶ μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον
ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα
ἄλλως διατίθεσθαι καὶ μὴ τὸν αὐτὸν ἔχειν τρόπον

qui propius perspexerit, intelliget non agi de nescio qua ubertate poetica sed de vulgari more loquendi; ut aegre aliis persuasuri sint Cobetus Hartmanusque (p. 80) in Symposio (p. 19, 5) *εἰ γάρ τις ἐραστῇ ὡς πλουσίῳ πλούτου ἕνεκα χαρισάμενος ἐξαπατηθείη καὶ μὴ λάβοι χρήματα ἀναφανέντος τοῦ ἐραστοῦ πένητος οὐδὲν ἧττον αἰσχρόν* verba *καὶ μὴ λάβοι χρήματα* ut aliena resecantes: quae vera esse nec scriptorem dedecere, vel haec de eodem Symposio (p. 40, 8) *τὸ ἐνδεὲς κάλλους καὶ μηδαμῇ κεκτημένον κάλλος* et quae comparia praecedunt, vel illa de Thucydide II 13, 1 *μὴ τοὺς ἀγροὺς αὐτοῦ παραλίπῃ καὶ μὴ δῃώσῃ* satis probare putes; quibus addas in eandem formam haec ex Hippia minore (p. 47, 9) *σὺ οὖν χάρισαι καὶ μὴ φθονήσῃς ἰάσασθαι τὴν ψυχήν μου*. Sed quo magis fundemus id quod demonstratum imus, nunc quoque nova quaedam eius generis exempla proponimus.

μένος ἐστὶν ἀάσχετον, οὐκ ἐπιεικτόν Ilias
αὐτίκα δ', οὐ μετὰ δηρὸν ἐνὶ μέσσοις ἀγόρευσεν Apollonius
νέον γε μέν, οὐδ' ἀποτηλοῦ idem
ἥδε γὰρ ψυχὴ πάρα 'Εκοῦσα κοὐκ ἄκουσα Eur. Heraclid. 530, cf. Orest. 613
αὐτὴ δ' ἄπαις ᾖ καὶ λελειμμένη τέκνων Ion. 680
ὅτι οἷος παρρησιάζεσθαι καὶ μὴ αἰσχύνεσθαι Plato Gorg.

ψεύδεται καὶ οὐκ ἀληθῆ λέγει Lysias
φράσω καὶ οὐκ ἀποκρύψομαι Dionysius Hal.

Πρὸς τί οὖν δὴ λέγομεν ταῦτα; Volumus si fieri potest Menexeni verba vindicare, quae sunt (p. 82, 1)

> *Μετὰ δὲ τοῦτο παντελοῦς εἰρήνης ἡμῖν γενομένης, ἡσυχίαν ἦγεν ἡ πόλις, τοῖς μὲν βαρβάροις συγγιγνώσκουσα ὅτι παθόντες ὑπ' αὐτῆς κακῶς ἱκανῶς οὐκ ἐνδεῶς ἠμύναντο, τοῖς δὲ Ἕλλησιν ἀγανακτοῦσα μεμνημένη ὡς εὖ παθόντες ὑπ' αὐτῆς οἵαν χάριν ἀπέδοσαν.*

In quibus verbis primum Cobetus (Mnemos. n. s. II 1874 p. 244) *ὅσα* restituit pro *ὡς*, deinde idem ut multa in hac oratione interpolata esse sibi persuasit, ita *ἱκανῶς* iam a Bekkero inclusum ut alienum additamentum notavit habuitque sponsorem Hartmanum ita disserentem (p. 95) *nemo obloquetur* (Cobeto) *nisi cui nefas videatur unquam quidquam in tradita lectione mutare. is enim fortasse contendat istud ἱκανῶς cum παθόντες κακῶς esse iungendum. tam invenustum nimirum nihil est quod non venustissimis obtrudant scriptoribus ii, quibus sola manuscriptorum fides sacrosancta est.* Quae verba viri humanissimi deterrere possint eum si qui
11 forte contra ire audentior animum inducat. Nos nulla superstitione aut veneratione chartarum tenemur neque umquam ita ratiocinati sumus ut quae tradita sint ob eam causam quia tradita sunt pro veris habenda esse aiamus. Sed quae fide librorum propagantur, ea ut recte iudicentur neve indicta causa damnentur, quo modo accipi aut possint aut debeant inquirimus. Velut hoc loco nos verba ista non eo modo interpretamur quem Hartmanus vituperavit, quo modo alios videmus interpretari, qui haec *παθόντες ὑπ' αὐτῆς κακῶς ἱκανῶς* et ex altera parte *οὐκ ἐνδεῶς ἠμύναντο* inter se opponi volunt; quod etsi per sermonis leges fieri poterat, ut in Symposio (p. 20, 10) *ὁρμήσας ἐπὶ τὸν λόγον καλῶς οὐχ ἱκανῶς ἀπετέλεσεν*, aut in Menexeno ipso (p. 84, 29) *ἡμῖν δὲ ἐξὸν ζῆν μὴ καλῶς, καλῶς αἱρούμεθα μᾶλλον τελευτᾶν*, tamen sententia aliud videtur suadere: si enim recte scriptum est quod nemo dubitat *οὐκ ἐνδεῶς ἠμύναντο*, cur negamus huic alterum illud quod est *ἱκανῶς* ita addi potuisse ut contraria in unam notionem coirent eo usu videlicet quem latissime patere vidimus; nam *ἱκανῶς* et *οὐκ ἐνδεῶς* accurate inter se opponuntur, quod si opus est vel Phaedo (p. 132, 17. 19) patefaciat. Qua in re utrumque videndum est et ne nimia vis copulatis adverbiis tribuatur, quod ab usu ab-

horret, et ne nihil haec coniuncta valere in sententiam dicantur; hoc enim nisi fallimur orator persensit, hostes quidem *ἱκανῶς οὐκ ἐνδεῶς* quae mala perpessi essent *ἀμύνασθαι*, amicos autem tantum abesse ut *ἱκανῶς* quae bene passi sunt, ut *ὡς ἐνδεέστατα* ea *ἀμύνασθαι* viderentur: in utramque enim partem *ἀμύνασθαι* valere notum est. Quod vero *ἱκανῶς οὐκ ἐνδεῶς* nulla adiecta particula scribitur, cum posset *ἱκανῶς καὶ οὐκ ἐνδεῶς*, id cum pluribus exemplis ex istis quae supra attulimus, tum his quae in ipsa oratione leguntur (p. 83, 23) *ἀλλ' αὐτοέλληνες, οὐ μιξοβάρβαροι οἰκοῦμεν* comprobatur.

II. Hippiae verba, a quibus caput I initium cepit, Socrates excipit his quae p. 2, 1 insequuntur.

> *Ἆρ' οὖν πρὸς Διός, ὥσπερ αἱ ἄλλαι τέχναι ἐπιδεδώκασι καὶ εἰσὶ παρὰ τοὺς νῦν δημιουργοὺς οἱ παλαιοὶ φαῦλοι, οὕτω καὶ τὴν ὑμετέραν τὴν τῶν σοφιστῶν τέχνην ἐπιδεδωκέναι φῶμεν καὶ εἶναι τῶν ἀρχαίων τοὺς περὶ τὴν σοφίαν φαύλους πρὸς ὑμᾶς;*

Haec quae ita scripta librorum memoria tradidit varie temptata sunt a doctis Immanuele Bekkero principe, qui *τὴν* ante *τῶν* abiecit ab uno et altero suorum codicum omissum. 'Gravius ulcus' esse ratus Cobetus (Mnemos. n. s. II 1874 p. 250) non articulum tantum sed quattuor ista verba *τὴν τῶν σοφιστῶν τέχνην* resecanda censuit. Similiterque iam ante Cobetum Naberus iudicarat (observ. crit. in Platonem a. 1862 p. 14) non quattuor quidem sed tribus tamen verbis seclusis *τὴν ὑμετέραν [τὴν τῶν σοφιστῶν] τέχνην*. Hunc secutus Schanzius non recepit nisi haec *καὶ τὴν ὑμετέραν τέχνην ἐπιδεδωκέναι*, eamque scripturam nuper sua sententia Hartmanus probavit (p. 81). Nobis si optio esset eligendi utrum eorum inventum alteri praeferremus, haud cunctaremur Cobeto *ψῆφον προστίθεσθαι* et haec scriptori reddere *ὥσπερ αἱ ἄλλαι τέχναι ἐπιδεδώκασιν, οὕτω καὶ τὴν ὑμετέραν ἐπιδεδωκέναι φῶμεν*, quibus id quoque largimur potuisse fieri ut illa *τὴν τῶν σοφιστῶν τέχνην* pronominis explicandi causa adscriberentur. Sed quid maxime moverit criticos, ut partem huius orationis tam- 12
quam subditiciam expungerent, nec Cobetus verbo dixit neque Hartmanus. Unus Naberus, argumentando aliquid efficere conatus, exposuit *σοφιστῶν* olim apud antiquos honestum nomen fuisse, apud Platonem nisi cum contemptu non usurpari. Quare Socratem

cum Hippia colloquentem eius artem sophistarum artem nominare non potuisse, potuisse sapientum, quemadmodum ipsum initio *σοφὸν* appellasset. Qua de causa verba a se reiecta eo certius pro alienis habenda esse, quia otiosa essent ac per se 'glossae' notam prae se ferrent. De sophistarum moribus ac studiis severius nonnumquam a Platone sive a Socrate iudicari nemo ignorat, qui vel Menonis memor est (p. 145 Sch.) aut Protagorae (p. 53). Sed licet semper cavendum sit Socrati ne plus aequo *εἰρωνευομένῳ* fidem habeamus, tamen, ut hoc exemplo utamur, quae sunt in Lyside (p. 62), cum Miccum familiarem suum perbonum *σοφιστὴν* appellat, aut illa de se quae narrat in Lachete (p. 41), non ea certe tincta sunt acerbitate, ut dubitatio sit, satisne decenter Socrates Hippiam coram ipso sophistarum numero adscripserit. At in Hippia dialogo quid Socratem decuerit ex Hippia diiudicandum est. Ubi cum ita pergat paulo post (p. 2, 21) *Γοργίας τε γὰρ οὗτος ὁ Λεοντῖνος σοφιστὴς δεῦρο ἀφίκετο δημοσίᾳ οἴκοθεν πρεσβεύων, ὡς ἱκανώτατος ὢν Λεοντίνων τὰ κοινὰ πράττειν, καὶ ἔν τε τῷ δήμῳ ἔδοξεν ἄριστα εἰπεῖν καὶ ἰδίᾳ ἐπιδείξεις ποιούμενος καὶ συνὼν τοῖς νέοις χρήματα πολλὰ εἰργάσατο καὶ ἔλαβεν ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως*, de sophistis quid sentiat declarat ut vix potuerit luculentius. Non fugit Naberum quanto opere haec suis rationibus officiant, quae ne corruerent, non dubitavit Gorgiae appictum nomen *σοφιστής* ad interpolatorem reiicere, eundem, credas, qui superiora ista adleverit, neque eum retinuit, quod tam nullo intervallo bis ascita interpolatoris opera coniecturae probabilitatem non adiuvet sed elevet. Sed de Gorgia quod ita disputat non sophistam eum sed rhetorem fuisse et se rhetorem maluisse appellari, quamquam ea vera sunt, tamen negligit in Hippia non hoc agi, sed illud potius, Gorgiam fuisse ex iis, qui ut Hippias ipse cum *δημόσια* peragenda sustinerent, simul *ἰδίᾳ συνουσίας* cum adulescentibus facientes multas sibi pecunias parasse dicerentur. Quae propria esse sophistarum instituta, ex quibus maxime iis nomen ac fama accesserit, cum vel illa testentur quae ex Menone attulimus aut quae de Lachete, quid miramur Gorgiam sophistam appellari? Neque aliter Hippias ipse sensit; qui de summis a se reportatis cum haec gloriabundus iactet (p. 3, 15) *σχεδόν τι οἶμαι ἐμὲ πλείω χρήματα εἰργάσθαι ἢ ἄλλους σύνδυο οὕστινας βούλει τῶν σοφιστῶν*, quid aliud quam se sophistam esse profitetur? Quae verba Naberus praeteriit. Haec autem qui scripsit dubium non

est quin idem et Gorgiam sophistam appellare et Hippiae artem sophistarum artem potuerit: adeo haec tria inter se conspirant, ut semet invicem tutari videantur. Quibus etiam quartum in eandem sententiam addi licet, si quidem credibile est Socratem quae de Anaxagorae incuria divitiarum dicit (p. 3, 24), *οὕτως αὐτὸν ἀνόητα σοφίζεσθαι*, non immemorem sophistarum usus dixisse. Neque nostrae sententiae repugnare dixeris, quod Socrates, quos sophistas esse voluit, nonnumquam *σοφούς* eorumque artem *σοφίαν* appellat, velut p. 8, 21 *ὁπότε πρῶτον ὑμῶν τῳ τῶν σοφῶν ἐντύχοιμι*, p. 33, 19 *ὑμῖν τοῖς σοφοῖς*. Quippe vetustos illos sapientes et hos posteriores quos sophistas dicit uno genere amplectitur cunctorumque artem 18
σοφίας nomine ab artibus *δημιουργῶν* segregandam indicat. Quamobrem si quis verba *τὴν τῶν σοφιστῶν τέχνην* tamen exulare cupit, omisso sophistarum nomine, quo nihil probatur, eo argumento utatur quo usus est ipse Naberus, et quo ceteros quamvis tacite duci verisimile est, ut haec esse supervacanea affirmet, quoniam quae ars dicatur pronomen ipsum (*τὴν ὑμετέραν*) satis significet. Quae nobis debilis esse admodum argumentatio videtur, tolli quaedam ut spuria non alia de causa quam quod iis oratio sententiave carere potuerit. Et hoc loco quamquam obscurum non erat quo tenderet pronomen (*τὴν ὑμετέραν*), tamen et hoc reputandum est, cum haec ars cum aliis artibus contendatur, non ineptum fuisse eam apertius significari, neque nihili esse aequabilitatem orationis, quam addita verba non leviter adiuvare apparet: *οὕτω καὶ τὴν ὑμετέραν τὴν τῶν σοφιστῶν τέχνην ἐπιδεδωκέναι καὶ εἶναι τῶν ἀρχαίων τοὺς περὶ τὴν σοφίαν φαύλους πρὸς ὑμᾶς*. Quibus praemissis paulo post (19) satis erat dici *ὑμῶν ἐπιδέδωκεν ἡ τέχνη*.

Sed diiudicatio si qua est causae non potest pendere nisi ab explorato usu scriptoris: qua in re cavendum est ne quae similia sunt dissimili metiamur mensura, neque illud negligendum, dialogorum scriptores non solum curare, quod sermocinantium vices poscunt aut suadent, sed etiam legentium commodum spectare ut recte et facile intelligantur quae volunt. Sed videamus exempla.

Hipp. mai. p. 8, 21 *ὁπότε πρῶτον ὑμῶν τῳ τῶν σοφῶν ἐντύχοιμι* inquit Socrates

Ibid. p. 33, 18 *ἐπιδεικνὺς δὲ τὴν ἐμαυτοῦ ἀπορίαν ὑμῖν τοῖς σοφοῖς λόγῳ αὖ ὑπὸ ὑμῶν προπηλακίζομαι, ἐπειδὰν ἐπιδείξω**)

*38) In repetita sententia ne quis haereat, contendat haec in eodem

Hipp. min. p. 46, 21 *ἐπειδὰν συγγένωμαί τῳ ὑμῶν τῶν εὐδοκιμούντων ἐπὶ σοφίᾳ*

Ibid. p. 52, 31 *ἐμὲ μὲν οὐδὲν θαυμαστὸν πλανᾶσθαι οὐδὲ ἄλλον ἰδιώτην· εἰ δὲ καὶ ὑμεῖς πλανήσεσθε οἱ σοφοί —*

Ion. p. 57, 7 *ἀκούων ὑμῶν τῶν σοφῶν*, infra allatum

Phaedr. p. 68, 20 *τοῖς τότε ἅτε οὐκ οὖσι σοφοῖς ὥσπερ ὑμεῖς οἱ νέοι* inquit Socrates Phaedro

Leg. p. 1, 13 Sch. *φαῖμεν ἂν ἡμεῖς γε οἱ Κρῆτες* ait Clinias Cres et quem Cretem esse iam apparuit.

Quorum fortasse nullum est quod per se solum probandi vim habeat, coniuncta iam indicant in quam partem se scriptoris consuetudo converterit, qui si parcere volebat verbis, pronomen facilius quam quod pronomini adiecit relinquere poterat.

Plus ponderis habebunt haec quae leguntur in Ione (p. 53, 14)

Καὶ μὴν πολλάκις γε ἐζήλωσα ὑμᾶς τοὺς ῥαψῳδούς, ὦ Ἴων, τῆς τέχνης· τὸ γὰρ ἅμα μὲν τὸ σῶμα κεκοσμῆσθαι
14 *ἀεὶ πρέπον ὑμῶν εἶναι τῇ τέχνῃ καὶ ὡς καλλίστους φαίνεσθαι, ἅμα δὲ ἀναγκαῖον εἶναι ἔν τε ἄλλοις ποιηταῖς διατρίβειν καὶ . . . ζηλωτόν ἐστιν.*

De quibus, usi hac libertate disserendi, hoc primum monemus, Schanzium videri non recte *κεκοσμῆσθαι* delevisse, quo facto quae restant parum apte coniungerentur, *τὸ γὰρ τὸ σῶμα ἀεὶ πρέπον ὑμῶν εἶναι τῇ τέχνῃ καὶ ὡς καλλίστους φαίνεσθαι*, sed orationem, quam Stallbaumius prave accepit, in hunc modum esse evolvendam *τὸ πρέπον εἶναι ὑμῶν τῇ τέχνῃ τὸ σῶμα κεκοσμῆσθαι ἀεὶ καὶ ὡς καλλίστους φαίνεσθαι*, et *πρέπον εἶναι* dici quemadmodum p. 67 tam *οἷα γυναικὶ πρέποντά ἐστιν εἰπεῖν* quam *οἷα ἀνδρὶ πρέπει εἰπεῖν* dicitur. Deinde nobis cum Nabero rursus res est, qui sibi constans ut ante *τὴν τῶν σοφιστῶν*, sic nunc *τοὺς ῥαψῳδοὺς* eximendum statuit (obs. crit. p. 14) nobisque unum ex iis exemplis eripuit quibus usuri eramus illa ut vindicaremus. Sed licet apertum sit Socrates quos dicat *ὑμᾶς*, tamen pronomini addi *τοὺς ῥαψῳδούς* in ea praecipue sententia quae rhapsodorum vitam habitumque describat, cum iis exemplis quae supra attulimus defenditur tum his quae proxime ad illam similitudinem accedunt (p. 57, 6)

---

dialogo p. 18, 1 *ἴσμεν γάρ που πάντες, ὅτι ὅπου ἂν τοῦτο (ὁ χρυσός) προσγένηται, κἂν πρότερον αἰσχρὸν φαίνηται, καλὸν φανεῖται χρυσῷ γε κοσμηθέν.*

ΙΩΝ. *Ναὶ μὰ τὸν Δία, ὦ Σώκρατες, ἔγωγε· χαίρω γὰρ ἀκούων ὑμῶν τῶν σοφῶν.*

ΣΩ. *Βουλοίμην ἄν σε ἀληθῆ λέγειν, ὦ Ἴων· ἀλλὰ σοφοὶ μέν πού ἐστε ὑμεῖς οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ ὑποκριταὶ καὶ ὧν ὑμεῖς ᾄδετε τὰ ποιήματα, ἐγὼ δὲ οὐδὲν ἄλλο ἢ τἀληθῆ λέγω οἷον εἰκὸς ἰδιώτην ἄνθρωπον.*

Totum paene comma adscripsimus quia in his quoque est quod *ὡς πάρεργον ὁδοῦ* profligare cupimus: quae enim Socrates dicit *οὐδὲν ἄλλο ἢ τἀληθῆ λέγω* inepta esse iudicantes Madvigius (Adv. crit. I 415) *ἢ τὰ πλήθη* '*quam vulgus*', probabilius Schanzius *ἢ εὐήθη* rescribendum proposuerunt. Sed ea verba nobis in eandem sententiam dici videntur, quam Hipp. mai. (p. 11, 15) his verbis expressit *τοιοῦτός τις, οὐ κομψὸς ἀλλὰ συρφετός, οὐδὲν ἄλλο φροντίζων ἢ τὸ ἀληθές.* Ut intelligas, Socratem simplicem nudamque veritatem nullo fuco aut fallaci specie indutam dicere, quali homines de plebe utuntur, quos *συρφετόν* appellat et hoc loco et in Theaeteto (p. 15, 14) *τοῦτο ἡμῖν μὲν ᾐνίξατο τῷ πολλῷ συρφετῷ, τοῖς δὲ μαθηταῖς ἐν ἀπορρήτῳ τὴν ἀλήθειαν ἔλεγεν.* Sed quod istam orationem attinet quam disceptamus, nemo erit qui ad *ὑμεῖς* adiecta nomina *οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ ὑποκριταί* avelli velit, non magis quam in iis quae proxime praecedunt ad *ὑμῶν* addita *τῶν σοφῶν.* Quibus tertium addas licet (p. 60, 17) *οὐκοῦν ὑμεῖς αὖ οἱ ῥαψῳδοὶ τὰ τῶν ποιητῶν ἑρμηνεύετε.* Quae omnia si eandem manifesto scriptoris manum prae se ferunt, tamen affirmamus p. 53 *τοὺς ῥαψῳδούς* esse exstirpandos? Sed quod supra diximus pronomen in hoc genere facilius quam nomen pronomini adiectum desiderari posse, id cum in alia tum in haec maxime cadere videtur quae in eadem de rhapsodis disputatione (p. 61, 20) dicuntur

οἶσθα οὖν ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ θεατὴς τῶν δακτυλίων ὁ ἔσχατος, ὧν ἐγὼ ἔλεγον ὑπὸ τῆς Ἡρακλειώτιδος λίθου ἀπ' ἀλλήλων τὴν δύναμιν λαμβάνειν, ὁ δὲ μέσος σὺ ὁ ῥαψῳδὸς καὶ ὑποκριτής, ὁ δὲ πρῶτος αὐτὸς ὁ ποιητής, ὁ δὲ θεὸς διὰ πάντων τούτων ἕλκει τὴν ψυχὴν ὅποι ἂν βούληται τῶν ἀνθρώπων κτλ.

An dubium est *σὺ* potuisse abesse, non potuisse *ὁ ῥαψῳδὸς καὶ ὑποκριτής*? Quae quoniam coniuncta dantur nulla cum necessitate, novo hoc testimonio patefieri putamus, ceteris locis quid scriptori libuerit. Sed his quae adhuc exposita sunt, etsi nonnihil

in ea causa quam agimus effecisse nobis videmur, tamen verbis a quibus profecti sumus τὴν ὑμετέραν τὴν τῶν σοφιστῶν τέχνην nondum esse satisfactum arbitramur. Cum enim haec quae artis significationem habent incerta origine orta esse statuant, rediit in memoriam, eosdem qui haec induxerunt saepius alibi in simili forma sedulitatis interpolatricis vestigia indagasse. Quae singillatim inspicienda sunt, ne forte hinc nascatur quod nostras rationes labefactet aut corruat. In Symposio (p. 20, 17) haec dicit Eryximachus medicus καθεωρακέναι μοι δοκῶ ἐκ τῆς ἰατρικῆς, τῆς ἡμετέρας τέχνης, ὡς μέγας καὶ θαυμαστὸς καὶ ἐπὶ πᾶν ὁ θεὸς τείνει, et deinceps ἄρξομαι δὲ ἀπὸ τῆς ἰατρικῆς λέγων, ἵνα καὶ πρεσβεύωμεν τὴν τέχνην. Ex his Hirschigius τῆς ἰατρικῆς (priore loco) expellit, ut haec dicat Eryximachus ἐκ τῆς ἡμετέρας τέχνης. Nos, si quid abundare videretur, facilius τῆς ἡμετέρας τέχνης auferri daremus, nunc ut Eryximachus ita loqueretur quemadmodum supra locutus est (p. 7, 12) ἐμοὶ τοῦτό γε οἶμαι κατάδηλον γεγονέναι ἐκ τῆς ἰατρικῆς; medicinam enim artem dici utroque loco e re erat. Sed cum conferimus Agathonem (p. 34, 17) ita dicentem ἵν' αὖ καὶ ἐγὼ τὴν ἡμετέραν τέχνην τιμήσω ὥσπερ Ἐρυξίμαχος τὴν αὑτοῦ, ποιητὴς ὁ θεός κτλ, quae redeunt ad p. 20, 18 sq., intelligere videmur, quamvis aliter sentiat Hirschigius, Eryximachum utrumque posuisse. Qui quod paulo post p. 21, 18 ita dicit τούτοις ἐπιστηθεὶς ἔρωτα ἐμποιῆσαι ὁ ἡμέτερος πρόγονος Ἀσκληπιὸς .. συνέστησεν τὴν ἡμετέραν τέχνην. ἥ τε οὖν ἰατρικὴ ὥσπερ λέγω πᾶσα διὰ τοῦ θεοῦ τούτου κυβερνᾶται κτλ, haec scite variata oratio certe non impedit quominus illo loco quo haec tendunt ἐκ τῆς ἰατρικῆς, τῆς ἡμετέρας τέχνης coniunctim dixerit. Plato autem cum p. 19, 28 τὸν ἰατρὸν Ἐρυξίμαχον scribit, ubi nec nomen nec artis significatio abesse potest, non immemor est Eryximachum medicum esse iam ante (p. 7, 12. 18) indicari. Sed nos scriptores libertate gaudentes invitos in angustissimum gyrum compellere non desistimus. Nam vide quid agant docti in Theaeteto. Quae p. 29, 20 Socrates dicit τὸ δὲ δὴ ἐμόν τε καὶ τῆς ἐμῆς τέχνης [τῆς μαιευτικῆς] σιγῶ ὅσον γέλωτα ὀφλισκάνομεν, οἶμαι δὲ καὶ ξύμπασα ἡ τοῦ διαλέγεσθαι πραγματεία, ex iis Naberus (obs. crit. p. 5) τῆς μαιευτικῆς sustulit; quae idem p. 12, 9 τῇ ἐμῇ τέχνῃ [τῆς μαιεύσεως] τὰ μὲν ἄλλα ὑπάρχει ὅσα ἐκείναις, διαφέρει δὲ τῷ τε ἄνδρας ἀλλὰ μὴ γυναῖκας μαιεύεσθαι καὶ τῷ τὰς ψυχὰς αὐτῶν τικτούσας ἐπισκοπεῖν ἀλλὰ μὴ τὰ σώματα,

in iis Hartmanus (nam Naberus praetermisit), *τῆς μαιεύσεως* non concoquendum duxit (p. 82). Quorum cum alterum nobis alteri succurrere videatur, tum ipsum sibi utrumque satis firmamenti praebet. Nam primum ad *τῆς ἐμῆς τέχνης* quid aptius quam addi *τῆς μαιευτικῆς*, quippe cui statim adnectatur *ἡ τοῦ διαλέγεσθαι πραγματεία*, altero autem loco cum hoc agatur ut Socratis *μαίευσις* quid differat ab alia aliarumque *μαιεύσει* significetur, nomen artis vix potuit abesse, potuit *τέχνῃ* ut ita diceret *τῇ ἐμῇ μαιεύσει*, nisi illud elegantia praestaret *τῇ ἐμῇ τέχνῃ τῆς μαιεύσεως*. Sed Naberus l. c. quod etiam initium Politici quasi argumentum ex contrario attulit quia ad haec *τὴν ἀναλογίαν τὴν τῆς ὑμετέρας τέχνης* nihil additamenti factum sit, oratio ipsa explicata testis est ibi ad *τῆς ὑμετέρας τέχνης* nisi insulsissime nomen artis adiici non potuisse. Hoc enim lepidissimum est sermonis principium (nam chartis parcendum non est, ut oculis subiiciantur si qua persuaderi aliis velis)

ΣΩ. *Ἦ πολλὴν χάριν ὀφείλω σοι τῆς Θεαιτήτου γνωρίσεως, ὦ Θεόδωρε, ἅμα καὶ τῆς τοῦ ξένου.*

ΘΕΟ. *Τάχα δέ γε, ὦ Σώκρατες, ὀφειλήσεις ταύτης τριπλασίαν, ἐπειδὰν τόν τε πολιτικὸν ἀπεργάσωνταί σοι καὶ τὸν φιλόσοφον;*

ΣΩ. *Εἶεν· οὕτω τοῦτο, ὦ φίλε Θεόδωρε, φήσομεν ἀκηκοότες εἶναι τοῦ περὶ λογισμοὺς καὶ τὰ γεωμετρικὰ κρατίστου;*

ΘΕΟ. *Πῶς, ὦ Σώκρατες;*

ΣΩ. *Τῶν ἀνδρῶν ἕκαστον θέντος τῆς ἴσης ἀξίας, οἳ τῇ τιμῇ πλέον ἀλλήλων ἀφεστᾶσιν ἢ κατὰ τὴν ἀναλογίαν τὴν τῆς ὑμετέρας τέχνης.*

ΘΕΟ. *Εὖ γε νὴ τὸν ἡμέτερον θεόν, ὦ Σώκρατες, τὸν Ἄμμωνα.*

Ne quis ex hac integerrima oratione colligat, ne illis quidem locis artis significationem, quam aptissimam esse ostendimus, tolerari posse. Denique idem vir doctus eodem loco tamquam certissimo exemplo additamenti aliena manu facti Gorgiae verbis utitur (p. 8, 13) *καὶ εἴποι πρῶτον μὲν ὁ ἰατρὸς ὅτι ὦ Σώκρατες, ἐξαπατᾷ σε Γοργίας· οὐ γάρ ἐστιν ἡ τούτου τέχνη περὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλ' ἡ ἐμή. εἰ οὖν αὐτὸν ἐγὼ ἐροίμην· σὺ δὲ τίς ὢν ταῦτα λέγεις; εἴποι ἂν ἴσως ὅτι ἰατρός. τί οὖν λέγεις; ἢ τὸ τῆς σῆς τέχνης ἔργον μέγιστόν ἐστιν ἀγαθόν; πῶς γὰρ οὔ, φαίη ἂν ἴσως,*

ὦ Σώκρατες, ὑγίεια; τί δ' ἐστὶν μεῖζον ἀγαθὸν ἀνθρώποις ὑγιείας; In quibus ὑγίεια nomen ut spurium expungendum esse, inde ab Heindorfio et post Hirschigium Naberumque plerique omnes censuerunt, nuper etiam Iohannes Kvičala in adnotationibus criticis et exegeticis ad Platonis Phaedrum et Gorgiam a. 1896 Pragae editis p. 320, cum aliud vitium orationis patefaceret. Non assentimur, et quoniam nec unde ὑγίεια vox advolaverit intelligitur nec sententia satis recte aut satis plene explicatur, nihil interpolati agnoscimus, sed putamus deesse, quo adiecto orationis forma librarii errore obscurata integretur. Sic enim addita vocula, quae eo loco facile praeteriri potuit, scribimus ἦ τὸ τῆς σῆς τέχνης ἔργον μέγιστόν ἐστιν ἀγαθόν; πῶς γὰρ οὔ, φαίη ἂν ἴσως, ὦ Σώκρατες, [ἧς γ'] ὑγίεια· τί δ' ἐστὶν μεῖζον ἀγαθὸν ἀνθρώποις ὑγιείας; Quibus ubi addideris quae cogitantur, πῶς γὰρ οὐ μέγιστον ἀγαθόν ἐστιν ἔργον τῆς ἐμῆς τέχνης, ἧς γε ἔργον ἐστὶν ὑγίεια· τί δὲ μεῖζον κτλ planam esse nec Platone indignam orationem intelligas.

Sed redimus in viam, ut nostram controversiam persequamur ad finem. Videmur autem κολοφῶνα ἐπιτιθέναι disputationi verbis Symposii propositis, quibus prope a principio (p. 2, 24) Apollodorus eos invehitur, qui ab eo ut orationes narraret in convivio Agathonis habitas poposcerant.

17 εἰ οὖν δεῖ καὶ ὑμῖν διηγήσασθαι, ταῦτα χρὴ ποιεῖν. καὶ γὰρ ἔγωγε καὶ ἄλλως, ὅταν μέν τινας περὶ φιλοσοφίας λόγους ἢ αὐτὸς ποιῶμαι ἢ ἄλλων ἀκούω, χωρὶς τοῦ οἴεσθαι ὠφελεῖσθαι ὑπερφυῶς ὡς χαίρω· ὅταν δὲ ἄλλους τινάς, ἄλλως τε καὶ τοὺς ὑμετέρους τοὺς τῶν πλουσίων καὶ χρηματιστικῶν, αὐτός τε ἄχθομαι ὑμᾶς τε τοὺς ἑταίρους ἐλεῶ, ὅτι οἴεσθέ τι ποιεῖν οὐδὲν ποιοῦντες.

Apparet criticos etiam acutos nonnumquam dormitare nec semper vigilare. Cur enim ὑμᾶς τοὺς ἑταίρους praeterierunt inoffensi, qui ὑμᾶς τοὺς ῥαψῳδούς (p. 371) radicitus exstirpandos censuerunt? Sed plus utilitatis redundat ex iis quae praecedunt τοὺς ὑμετέρους τοὺς τῶν πλουσίων καὶ χρηματιστικῶν (λόγους). Quae certe ii tolerare non debebant, qui ita existimant, ferenda non esse si quae colloquentes ultro intelligant ut memorari inter eos opus non sit. Nam Apollodorus cognitos habet τοὺς ἑταίρους, quibus se gratificari velle profitetur, neque sua aut eorum causa erat quod ad τοὺς ὑμετέρους (λόγους) adderet illa τοὺς τῶν πλουσίων καὶ χρηματιστικῶν. Eo magis legentium intererat haec adiici, ut peni-

tus mentem loquentis scriptorisque consilia perspicerent. Haec igitur, ex quibus nihil demutari aut adimi potest, *ἄλλως τε καὶ τοὺς ὑμετέρους τοὺς τῶν πλουσίων καὶ χρηματιστικῶν* (*λόγους*), vel maxime opinamur subsidio esse verbis quae sunt in principio Hippiae, ex quibus nostrae disputationis iter orsi sumus, *οὕτω καὶ τὴν ὑμετέραν τὴν τῶν σοφιστῶν τέχνην*. In hac autem insigni eorum similitudine, quae est utrisque firmissimum adminiculum, non negligenda est ne articulorum quidem ratio, quae utrobique eadem est:

τ ὴ ν ὑμετέραν τ ὴ ν τῶν σοφιστῶν τέχνην
τ ο ὺ ς ὑμετέρους τ ο ὺ ς τῶν πλουσίων (*λόγους*).

Unde intelligitur quid fuerit quod supra scripturam parum idonea fide a Bekkero receptam *τὴν ὑμετέραν τ ῶ ν σοφιστῶν τέχνην* reiectaneam esse duxerimus; et licet hoc nemo aperte dixerit, tamen eum articulorum usum probabile est nonnihil certe ad opinionem falsi additamenti contulisse. De quo genere geminati articuli ab interpretibus fere neglecto alibi [Op. P. I p. 193] verba fecimus, nunc satis erit exempla pauca ponere.

Leg. VII p. 48, 25 Bk. *ἔφαμεν τ ο ὺ ς τοῦ Διονύσου τ ο ὺ ς ἑξηκοντούτας ᾠδοὺς διαφερόντως εὐαισθήτους δεῖν γεγονέναι*

Ibid. p. 58, 4 *τ ῶ ν δὲ σπουδαίων, ὥς φασι, τ ῶ ν περὶ τραγῳδίαν ἡμῖν ποιητῶν, ἐάν ποτέ τινες αὐτῶν ἡμᾶς ἐλθόντες ἐπανερωτήσωσιν*

Republ. III p. 146, 12 *ἥ γε περαιτέρω γυμναστικῆς ἡ περιττὴ αὕτη ἐπιμέλεια τοῦ σώματος*

Ibid. VIII p. 417, 3 *ἐν τῷ μύθῳ ὃς περὶ τὸ ἐν Ἀρκαδίᾳ τ ὸ τοῦ Διὸς τοῦ Λυκαίου ἱερὸν λέγεται*

Gorg. p. 80, 11 Schz. *τί δὲ δὴ ἡ σεμνὴ αὕτη καὶ θαυμαστὴ ἡ τῆς τραγῳδίας ποίησις ἐφ' ᾧ ἐσπούδακεν*;

quae quamquam perspicua sunt structura, tamen criticorum ingenia exercuerunt.

Quodsi igitur Hippiae verba quae prima sunt in hoc capite 18
cum aliis exemplis tum maxime Symposii testimonio confisi et confirmati iure vindicavimus, consequens erit, ut quidquid in hoc genere novatum est a criticis pravo consilio novatum esse existimetur.

Subsistimus inviti, sed temporum angustiis coacti praetermittimus quae praeterea in promptu erant ad Hippiam pertinentia aut ex Hippia deducta. Quae si tanti est in aliam occasionem si qua erit reponemus. Scr. m. Decembri a. MDCCCIC.

LII. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1900/1901.

3 Repetimus prooemiandi causa quae ante hos sex menses eodem loco imperfecta destituimus. Restabat enim in Hippia maiore, a quo dialogo tum disserendi materiam duximus, locus unus et alter, de quibus utiliter posse disputari nobis videbatur, maxime ut ad Platonis orationem recte aestimandam, id quod tum quoque agebamus, nonnihil conferremus. Quae si cui nimis minuta videbuntur, et sunt sane minuta admodum et exigua, is secum reputet, stili naturam cuiusvis scriptoris non posse penitus perspici et explanari nisi multis minutis rebus collectis et recte iudicatis suoque loco positis, et illud quoque sibi dicat, cum magni critici tot veterum scriptorum loca suo arbitratu non sine plausu depravarint, non esse quod nobis invideatur si contigerit perpauca eaque levidensia ab illorum decretis liberata argumentandi ambagibus ad suam sinceritatem revocare.

I. In Hippia maiore p. 2, 24 Schz. haec olim in libris editis vulgabantur

καὶ ἰδίᾳ ἐπιδείξεις ποιούμενος καὶ συνὼν τοῖς νέοις χρήματα πολλὰ εἰργάσατο καὶ ἔλαβεν ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως.

In quibus primus offendit Cobetus, qui in Mnemosyn. nov. ser. II 1874 p. 250 loco sic descripto

χρήματα πολλὰ εἰργάσατο   *ἔλαβεν*
ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως

haec subiicit (nos enim qui discentibus scribimus rationes quoque quibus usi sunt docti examinandas ducimus): *Plato εἰργάσατο dixerat noto usu. Graeculus in margine ἔλαβεν adscripsit. nunc legitur εἰργάσατο καὶ ἔλαβεν. quid notius quam ἐργάζεσθαι χρήματα? Herod.* I 24 *Ἀρίονα .. ἐργασάμενον χρήματα μεγάλα κτλ et passim in hoc ipso Platonis loco, veluti πλέον ἀργύριον ἀπὸ σοφίας εἴργασαι, et ὅσον ἀργύριον εἴργασμαι ἐγώ, et πλεῖν ἢ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν*
4 *μνᾶς εἰργασάμην, et οἶμαι ἐμὲ πλείω χρήματα εἰργάσθαι ἢ ἄλλους*

σύνδυο οὕστινας βούλει τῶν σοφιστῶν *et saepius alibi. lepidissime pag.* 300 *D.*' Quis non ita ratiocinanti manus dederit? Idem eandem opinionem exposuerat iam a. 1858 in Novis Lectionibus p. 646 cum haec scriberet: *Dici potest quis* ποιεῖν ἀργύριον πολύ, *quemadmodum et* ἐργάζεσθαι χρήματα πολλά *et* πλέον ἀργύριον ἀπὸ σοφίας εἴργασται (*Plat. Hipp. Mai. p.* 282 *D*) *et* πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μνᾶς εἰργασάμην (*p.* 282 *E*) *et multa similia: unde cuivis facile est mendo liberare locum in vicinia p.* 282 *B* ἰδίᾳ ἐπιδείξεις ποιούμενος . . χρήματα πολλὰ εἰργάσατο [καὶ ἔλαβεν] ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως. *si quis scire volet unde importuna verba huc invecta sint perlegat modo locum.* Nuper I. I. Hartmanus de emblematis in Platonis textu obviis (1898) p. 96 Cobeti sententiam his verbis confirmare studuit *recte eleganterque aliquis qui arte sua atque labore* rem fecit πολλὰ χρήματα ἐργάσασθαι *dicitur. falsum ergo et ab hoc loco alienum illud* καὶ ἔλαβε, *quod aut de eo dici potest qui rapuit furatusve est* ('*sumpsit*') *aut de eo cui gratis dona dantur* ('*accepit*'). Postremo Schanzius Cobeti auctoritate motus (nam Hartmani libellus posterior est) omisso verbo suspecto haec ita edidit:

> ἐπιδείξεις ποιούμενος . . χρήματα πολλὰ εἰργάσατο ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως.

Operaene pretium est inquirere, quo iure quave fide viri docti alterum ex duobus verbis proscripserint proturbaverintque, cum praesertim ista iactura ne noceat quidem orationis formae? Nemo enim qui Schanzii libellum terit quicquam desiderabit: nisi forte adnotatione admonitus intelligit duo verba comparia fuisse ex iisque alterum editoris cura ademptum. Quo facto, nisi plane incuriosus quis est, cogitare et secum deliberare incipiet, quid tandem ex verbis geminis peccasse alterum credatur, ut criticis iudicantibus condemnatum ex pristina sua sede in infimum locum relegatum sit. De qua re quid nobis sentiendum videatur explanabimus paucis, hinc exorsi. Χρήματα ἐργάζεσθαι quid significaret Cobetus in Mnem. l. c. monstravit exemplis ex Hippia petitis, quibus si tanti est addi potuit p. 5, 11 πλεῖστα ἐργάσεται χρήματα, alterum autem λαμβάνειν χρήματα quid sibi vellet et quo usu poneretur, reliquit; eandem causam agens in Nov. Lect. l. c. hoc tantum, si qui scire cuperet, unde importunum verbum (ἔλαβεν) invectum esset, locum perlegere iussit. Quem quidem nos afferimus totum, quod Cobetus omisit. Sunt enim haec, ut saepe dicimus, ne decipiamur, oculis subiicienda. Haec igitur Socrates:

Γοργίας τε γὰρ οὗτος ὁ Λεοντῖνος σοφιστὴς δεῦρο ἀφίκετο δημοσίᾳ οἴκοθεν πρεσβεύων, ὡς ἱκανώτατος ὢν Λεοντίνων τὰ κοινὰ πράττειν καὶ ἔν τε τῷ δήμῳ ἔδοξεν ἄριστα εἰπεῖν, καὶ ἰδίᾳ ἐπιδείξεις ποιούμενος καὶ συνὼν τοῖς νέοις χρήματα πολλὰ εἰργάσατο καὶ ἔλαβεν ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως· εἰ δὲ βούλει, ὁ ἡμέτερος ἑταῖρος Πρόδικος οὗτος πολλάκις μὲν καὶ ἄλλοτε δημοσίᾳ ἀφίκετο, ἀτὰρ τὰ τελευταῖα ἔναγχος ἀφικόμενος δημοσίᾳ ἐκ Κέω λέγων τ' ἐν τῇ βουλῇ πάνυ ηὐδοκίμησεν καὶ ἰδίᾳ ἐπιδείξεις ποιούμενος καὶ τοῖς νέοις συνὼν χρήματα ἔλαβεν θαυμαστὰ ὅσα.

Unde primum perspicuum fit, Hartmanum fefellisse opinionem cum certo discrimine duo verba diiungi vellet, ut nisi ἐργάζεσθαι χρήματα locum habere in hac sententia non posset: videmus enim, ut mittamus interim sortem eiecti verbi, utrumque et χρήματα εἰργάσατο et ἔλαβε χρήματα indifferenter in eadem oratione poni. Neque Cobeto concedendum est subindicanti λαβεῖν χρήματα hoc uno loco legi, quod nec insolens est nec infrequentius altero, sed est consuetum verbum quo sophistarum mores et instituta definiri solent; quod et in Hippia minore p. 36, 34 αἰσχρὸν ἂν εἴη εἰ ἄλλους μὲν αὐτὰ ταῦτα παιδεύω καὶ ἀξιῶ διὰ ταῦτα χρήματα λαμβάνειν, αὐτὸς δὲ ὑπὸ σοῦ ἐρωτώμενος μὴ συγγνώμην ἔχοιμι et in Ione p. 61, 16 occurrit ὡς ἐὰν μὲν κλάοντας αὐτοὺς καθίσω, αὐτὸς γελάσομαι ἀργύριον λαμβάνων, ἐὰν δὲ γελῶντας, αὐτὸς κλαύσομαι ἀργύριον ἀπολλύς, atque in ipso principio Hippiae maioris legitur p. 1, 12 σὺ γὰρ καὶ ἰδίᾳ ἱκανὸς εἶ παρὰ τῶν νέων πολλὰ χρήματα λαμβάνων ἔτι πλείω ὠφελεῖν ὧν λαμβάνεις, eodemque utitur Hippias p. 5, 24 εὖ ἴσθι, εἴπερ τις ἄλλος ἐκεῖθεν χρήματα ἔλαβεν πώποτε ἐπὶ παιδεύσει, καὶ ἐμὲ ἂν λαβεῖν πολὺ μάλιστα. Quae vero eadem pagina (5, 6 et 11) Socrates dicit ὁ οὖν κάλλιστ' ἐπιστάμενος ἱππικὴν παραδιδόναι ἆρ' οὐκ ἂν ἐν Θετταλίᾳ τῆς Ἑλλάδος μάλιστα τιμῷτο καὶ πλεῖστα χρήματα λαμβάνοι — — ὁ δὴ δυνάμενος παραδιδόναι τὰ πλείστου ἄξια μαθήματα εἰς ἀρετὴν οὐκ ἐν Λακεδαίμονι μάλιστα τιμήσεται καὶ πλεῖστα ἐργάσεται χρήματα, ἂν βούληται, ea qui attentius perspexerit, fatebitur, opinamur, promiscuo ea verba usu fuisse, ut inter se permutare variandae orationis causa liceret. Quod si recte statuimus, erunt fortasse qui nobiscum ita existiment, quae seorsum recte scribi potuerint, ea nihil prohibere quominus eadem oratio ferat coniuncta, nec esse quod ex his quae scripti libri

tenent *χρήματα πολλὰ εἰργάσατο καὶ ἔλαβεν ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως* verbum alterum nostro fastidio repudiemus.

Sed ut penitus, si fieri possit, hunc evellamus errorem, quo critici saepe duci videntur, ut cognominatorum paria respuentes alterum ex iis, sive nomen est sive verbum, tamquam spuria origine natum rescindi iubeant, non satis est in uno loco subsistere sed circumspicienda plura sunt, quibus forsitan patefiat quid scriptoribus placuerit, criticos autem appareat libidine magis quam ratione ac iudicio agere, quippe qui quaedam coniectura temptent, alia illis plane similia intemptata relinquant.

Ut primum hoc de vicinia promamus exemplum, quos vetustae aetatis sapientes Hippias sive Socrates varie modo *ἀρχαίους* modo *παλαιούς* modo *προτέρους* appellavit, velut p. 3, 19 *τῶν νῦν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ἀρχαίους . . τῶν γὰρ προτέρων*, ibid. 2[illegible] *περὶ ἄλλων τῶν παλαιῶν*, 27 *τῶν νῦν πρὸς τοὺς προτέρους* p. 2, 2 *παρὰ τοὺς νῦν δημιουργοὺς οἱ παλαιοί*, ibid. 4 *τῶν ἀρχαίων*, ibid. 31 *τῶν δὲ παλαιῶν ἐκείνων*, et 1, 17 *οἱ παλαιοὶ ἐκεῖνοι*, eosdem semel pleniore oratione p. 2, 13 ita designavit *εἴωθα μέντοι ἔγωγε τοὺς παλαιούς τε καὶ προτέρους ἡμῶν πρότερόν τε καὶ μᾶλλον ἐγκωμιάζειν ἢ τοὺς νῦν εὐλαβούμενος μὲν φθόνον τῶν ζώντων, φοβούμενος δὲ μῆνιν τῶν τετελευτηκότων*, copulatis scilicet per *τέ-καί*, quae singula satis erant et alibi singula sunt posita. Sed licet haec idem genus prae se ferant, quod verba attemptata a nobis autem defensitata, *χρήματα πολλὰ εἰργάσατο καὶ ἔλαβεν ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως*, tamen qui in haec invecti sunt critici illa praetermiserunt, incuriane incertum an quia nihil vituperabile sentiebant. Quae ne frustra attulisse plenius videamur, hoc addimus usi hac libertate disserendi, Socratem cum ad illa Hippiae verba respondeat *Καλῶς γε σύ, ὦ Ἱππία, ὀνομάζων τε καὶ διανοούμενος, ὡς ἐμοὶ δοκεῖς* fucatam sophistae orationem irridere ut utrumque dilaudet et nomina et sententiam, h. e. *ὀνόματά τε καὶ διάνοιαν*, quae nomina quo modo saepius copulantur et opponuntur, eo modo eodemque sensu nunc verborum participia *ὀνομάζων τε καὶ διανοούμενος* iuncta sunt: ne quis pro *ὀνομάζων* codicis alicuius indicio cum Schanzio *νομίζων* restituendum putet, quod quomodo intelligatur parum perspicuum est.

Sed redeamus in viam. Quid potest similius esse quam verba *πυνθάνεσθαι* et *ἐρωτᾶν*, quae plerumque seiuncta ponuntur, nec numquam ita ut nisi varietati orationis inservire non videantur

veluti in Hippia nostro p. 9, 33 ὁ τοῦτο ἐρωτῶν δεῖται πυθέσθαι τί ἐστι καλόν; p. 18, 3 αὐτός μοι προβάλλει ἐρωτῶν, εἰ τοιόνδε μοι δοκεῖ εἶναι τὸ καλόν, ἢ καὶ περὶ ἄλλου ὅτου ἂν τύχῃ πυνθανόμενος, et in minore Hippia in eodem cursu orationis p. 35, 7 ἡδέως ἂν πυθοίμην Ἱππίου, 13 ἡδέως ἂν.. ἀναπυθοίμην, 18 ἐάν τι αὐτὸν ἐρωτᾷς, 19 ἐάν τι ἐρωτᾷ σε Σωκράτης, ἀποκρινεῖ, p. 36, 2 ἀποκρινόμενον τῷ βουλομένῳ ὅ τι ἄν τις ἐρωτᾷ, νῦν δὲ τὴν Σωκράτους ἐρώτησιν φύγοιμι et p. 43, 28 ἐπιθυμῶν μαθεῖν ὅ τι λέγει διαπυνθάνομαι καὶ ἐπαναςκοπῶ ... 31 οὔτε ἐπανερωτῶ οὔτε μοι μέλει ὧν λέγει ... 34 πυνθανόμενον παρ' αὐτοῦ. Verum tamen haec eadem geminata leguntur in Hippia minore p. 46, 27 οὐ γὰρ αἰσχύνομαι μανθάνων ἀλλὰ πυνθάνομαι καὶ ἐρωτῶ καὶ χάριν πολλὴν ἔχω τῷ ἀποκρινομένῳ, quorum alterum utrum satis erat, sed ut sunt sane probe copulata ita criticorum superbiam evitarunt.

Alterum par cognatorum verborum est ἐργάζεσθαι et ποιεῖν, quae quidem quid differant Hippias minor inde a p. 48 exponit, sed tamen ea verba quoniam συνώνυμα sunt et in illo dialogo et alibi saepe nullo cum discrimine poni et inter se misceri solent, velut ut pauca afferamus, p. 46, 9 οἱ ἑκόντες ἀδικοῦντες καὶ ἑκόντες ἐπιβουλεύσαντες καὶ κακὰ ἐργασάμενοι βελτίους ἂν εἶεν τῶν ἀκόντων οἷς πολλὴ δοκεῖ συγγνώμη εἶναι ἐὰν μή εἰδώς τις ἀδικήσῃ ἢ ψεύσηται ἢ ἄλλο τι κακὸν ποιήσῃ; καὶ οἱ νόμοι πολὺ χαλεπώτεροί εἰσι τοῖς ἑκοῦσι κακὰ ἐργαζομένοις et p. 47, 8 ὥστε φαίνεσθαι.. τοὺς ἄκοντας τούτων ἕκαστα ποιοῦντας πονηροτέρους; cf. ibid. 11; p. 52, 5 ἀμφότερα μᾶλλον δυναμένη ποιεῖν καὶ τὰ καλὰ καὶ τὰ αἰσχρὰ περὶ πᾶσαν ἐργασίαν .. 8 ὅταν τὰ αἰσχρὰ ἐργάζηται, ἑκοῦσα ἐργάζεται .. 12 τὸ μὲν ἀδικεῖν κακὰ ποιεῖν ἐστιν, et in Hippia maiore p. 22, 13 ἐπὶ τὸ κακόν τι ἐργάζεσθαι χρήσιμα .. 23 τὸ χρήσιμόν τε καὶ τὸ δυνατὸν ἐπὶ τὸ ἀγαθόν τι ποιῆσαι .. 35. Sed eadem rursus copulata legimus in Hippia maiore p. 21, 33 cum haec dicat Socrates οἱ οὖν ἐξαμαρτάνοντες καὶ κακὰ ἐργαζόμενοί τε καὶ ποιοῦντες ἄκοντες, ἄλλο τι οὗτοι, εἰ μὴ ἐδύναντο ταῦτα ποιεῖν, οὐκ ἄν ποτε ἐποίουν; oratione post geminata verba altero ex iis solo continuata, non secus atque verba quae nos disceptamus χρήματα πολλὰ εἰργάσατο καὶ ἔλαβεν deinceps ab uno ex duobus excipiuntur χρήματα ἔλαβεν. Qua re hoc, putamus, docetur, cavendum esse ne nimiam vim isti consimilium iuncturae tribuamus, sed nihil tamen magis quam hoc

quidquid est ubertatis scriptores decere. Itaque Lysias in oratione ab Athenaeo servata lib. XIII p. 611 e scribit *οὐκ ἄν ποτ' ᾠήθην Αἰσχίνην τολμῆσαι οὕτως αἰσχρὰν δίκην δικάσασθαι*, dein 612 b 7
οἰόμενος τοῦτον Σωκράτους γεγονότα μαθητὴν . . οὐκ ἄν ποτε ἐπιχειρῆσαι οὐδὲ τολμῆσαι ἅπερ οἱ πονηρότατοι . . ἐπιχειροῦσι πράττειν. Et saepe similiter Plato, in Apologia Socratis p. 29, 20 Schz. *ἀξιῶ ὑμᾶς ἀλλήλους διδάσκειν τε καὶ φράζειν, ὅσοι ἐμοῦ πώποτε ἀκηκόατε διαλεγομένου· φράζετε οὖν ἀλλήλοις, εἰ πώποτε κτλ.*, vel in contrariam partem in Phaedro p. 72, 25 *οἷον ἐγώ τε καὶ σὺ εὐξαίμεθ' ἂν σέ τε καὶ ἐμὲ γενέσθαι. Φαιδρ. Παντάπασι μὲν οὖν ἔγωγε βούλομαί τε καὶ εὔχομαι ἃ λέγεις*. In Hippia autem minore p. 36, 32 *ἀλλά μοι πειρῶ πρᾴως τε καὶ εὐκόλως ἀποκρίνεσθαι* — 37, 2 *ἐρωτώμενος μὴ συγγνώμην τ' ἔχοιμι καὶ πρᾴως ἀποκρινοίμην*. Quid quod Plato in Legibus quem p. 5, 24 *πόλεμον τὸν ἔξωθεν* appellat et 33 *τοὺς ἔξωθεν πολεμίους*, eundem eosdemque paulo post p. 7, 18 uberiore oratione *πολέμου γένος ᾧ πρὸς τοὺς ἐκτός τε καὶ ἀλλοφύλους χρώμεθα* et 30 *τοὺς πρὸς τὸν ὀθνεῖόν τε καὶ ἔξωθεν πόλεμον γιγνομένους ἐπιφανεῖς* dicit. Quae si non sunt vituperanda, quid iudicabimus de his quae in Republica leguntur p. 254, 15 Bekk.

> *Φαίνεταί μοι, ὥσπερ καὶ ὀνομάζεται δύο ταῦτα ὀνόματα, πόλεμός τε καὶ στάσις, οὕτω καὶ εἶναι δύο, ὄντα ἐπὶ δυεῖν τινοῖν διαφοραῖν· λέγω δὲ τὰ δύο, τὸ μὲν οἰκεῖον καὶ ξυγγενές, τὸ δὲ ἀλλότριον καὶ ὀθνεῖον· ἐπὶ μὲν οὖν τῇ τοῦ οἰκείου ἔχθρᾳ στάσις κέκληται, ἐπὶ δὲ τῇ τοῦ ἀλλοτρίου πόλεμος . . . Φημὶ γὰρ τὸ μὲν Ἑλληνικὸν γένος αὐτὸ αὐτῷ οἰκεῖον εἶναι καὶ ξυγγενές, τῷ δὲ βαρβαρικῷ ὀθνεῖόν τε καὶ ἀλλότριον.*

Quae nobis mira esse elegantia sermonis videtur et Platone inprimis digna, qui nativa libertate et copulat cognata, vel hoc ordine vel illo, et ex cognatis utitur altero ad eum modum quem exemplis pluribus, postremo Legum verbis declaravimus. Sed longe aliter iudicans Hartmanus in Emblem. p. 110 haec ita describenda curavit

> *λέγω δὲ τὰ δύο τὸ μὲν οἰκεῖον [καὶ ξυγγενές], τὸ δὲ [ἀλλότριον καὶ] ὀθνεῖον . . . . οἰκεῖον εἶναι [καὶ ξυγγενές] . . . ὀθνεῖον [τε καὶ ἀλλότριον]*

subiecta ratione: *quid prodest reconditioribus uti vocabulis si statim adest qui addat vulgaria?* Et est profecto quod admiremur hanc

sedulitatem interpretis, qui non sat habuit semel exquisitis vulgaria adpinxisse, sed luxurians addendo alienam orationem retractavit ut suam. Hartmanus media verba praetermisit, quae nobis tantum probare videbantur ἀλλότριον quidem non fuisse alienum. Sed omnino nos ita sentimus exempta parte verborum huius venustatem orationis non leviter deminui.

Idem vir doctus in eodem libello p. 102 quae in Menexeno leguntur p. 74, 21, quae nos paulo plenius illo afferimus,

δεύτερος δὲ ἔπαινος δικαίως ἂν αὐτῆς (τῆς χώρας) εἴη,
ὅτι ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ, ἐν ᾧ ἡ πᾶσα γῆ ἀνεδίδου καὶ
ἔφυε ζῷα παντοδαπά, θηρία τε καὶ βοτά, ἐν τούτῳ ἡ
ἡμετέρα θηρίων μὲν ἀγρίων ἄγονος καὶ καθαρὰ ἐφάνη,
ἐξελέξατο δὲ τῶν ζῴων καὶ ἐγέννησεν ἄνθρωπον

sic signavit ἀνεδίδου [καὶ ἔφυε] utpote alterum ex duobus verbis spurium esse ratus. Cui iudicio veremur ne haec oratio ipsa parum faveat, quae ne ceteris quidem est ita parca verborum ut haec similia duo iungi displiceat. Ac nobis aliunde occurrebant his quae suspecta habentur comparabilia, quae nemo addubitavit, in Phaedro p. 34, 20 ζεῖ οὖν ἐν τούτῳ ὅλη καὶ ἀνακηκίει, quae licet origine sua distent, nunc pari vi praedita sunt, ibidem p. 70, 23 ὅταν τις . . λαβὼν ψυχὴν προσήκουσαν φυτεύῃ τε καὶ σπείρῃ μετ' ἐπιστήμης λόγους, in Republica VI p. 288, 15 ἂν μὲν μαθήσεως προσηκούσης τύχῃ, εἰς πᾶσαν ἀρετὴν ἀνάγκη αὐξανομένην ἀφικνεῖσθαι, ἐὰν δὲ μὴ ἐν προσηκούσῃ σπαρεῖσά τε καὶ φυτευθεῖσα τρέφηται, εἰς πάντα τἀναντία, in Symposio p. 34, 26 μὴ οὐχὶ Ἔρωτος εἶναι σοφίαν, ᾗ γίγνεταί τε καὶ φύεται πάντα τὰ ζῷα, alia multa, quae si nihil aliud hoc certe probant pravum esse, ubi duo verba leguntur, quorum unum sententiae sufficiebat, alienae manus operam suspicari.

Sed ad Hippiam maiorem, a quo egressi sumus et devertimus, ut tandem revertamur, quae p. 33, 37 leguntur συμβέβηκε δή μοι, ὅπερ λέγω, κακῶς μὲν ὑπὸ ὑμῶν ἀκούειν καὶ ὀνειδίζεσθαι, κακῶς δὲ ὑπ' ἐκείνου, in iis ὀνειδίζεσθαι additicium esse Cobetus affirmavit (in Mnem. n. s. II 1874 p. 251) qui quo magis interpolatae vocis originem patefaceret, verba ita adornavit

Συμβέβηκε δή μοι κακῶς
μὲν ὑφ' ὑμῶν ἀκούειν   ὀνειδίζεσθαι
κακῶς δὲ ὑπ' ἐκείνου

simul haec ratiocinatus, *Manifestam tenemus fraudem, namque*

κακῶς μέν-κακῶς δέ respuit additamentum ab hac compositione alienum. deinde planissime idem est κακῶς ἀκούειν et ὀνειδίζεσθαι. quis autem Platonem legens nescire poterat quid esset κακῶς ἀκούειν? sed propter adiectum ὑφ' ὑμῶν admonuit sciolus κακῶς ἀκούειν passivam notionem continere et perinde esse ac si ὀνειδίζεσθαι esset dictum. Idemque iudicium Variis Lectionibus a. 1854 exsecutus p. 55 docuit, quod notum est, *κακῶς ἀκούειν ὑπό τινος* idem valere quod *λοιδορεῖσθαι ὑπό τινος* et illud recte per se solum cum a Plutarcho scriptum esse in vita Catonis mai. c. 20, 4 *οὐκ ἠξίου τὸν υἱὸν ὑπὸ δούλου κακῶς ἀκούειν ἢ τοῦ ὠτὸς ἀνατείνεσθαι μανθάνοντα βράδιον*, tum in Platonis Critone p. 79, 3 *πρὸς μὲν ἄρα σοι τὸν πατέρα οὐκ ἐξ ἴσου ἦν τὸ δίκαιον, ὥστε ἅπερ πάσχοις ταῦτα καὶ ἀντιποιεῖν οὔτε κακῶς ἀκούοντα ἀντιλέγειν οὔτε τυπτόμενον ἀντιτύπτειν*, similiterque in Hippia maiore p. 33, 25 *ὑπό τε ἄλλων τινῶν τῶν ἐνθάδε καὶ ὑπὸ τούτου τοῦ ἀνθρώπου τοῦ ἀεί με ἐλέγχοντος πάντα κακὰ ἀκούω*, sed nonnumquam propter ignoratam notionem passivam quam haberet *κακῶς ἀκούειν* similis significationis verbum a Graeculis esse adscriptum; itaque spuriam vocem tolli iussit in Plutarchi Theseo c. 16 *ὁ Μίνως ἀεὶ διετέλει κακῶς ἀκούων [καὶ λοιδορούμενος] ἐν τοῖς Ἀττικοῖς θεάτροις*, in Theophrasti Characterum libello c. 6 *ὀμόσαι ταχύ, κακῶς ἀκοῦσαι [καὶ λοιδορηθῆναι] δυνάμενος*, denique in Hippia maiore eo loco quem supra praescripsimus. Et de hoc quidem Cobeto assensus Hartmanus Emblem. p. 96 'ineptam esse scribit locutionis usitatissimae interpretationem, qua praeterea tollatur vis anaphorae *κακῶς μὲν . . . κακῶς δέ*'. Schanzius vero eidem magni critici iudicio subscribens voce falsa uncis inclusa edidit *κακῶς μὲν ὑπὸ ὑμῶν ἀκούειν [καὶ ὀνειδίζεσθαι], κακῶς δὲ ὑπ' ἐκείνου.*

Haec satis scite a Cobeto composita sunt, sed ne specie inducamur, singula necesse est propius aspiciamus. Atque in Theo- 9
phrasti verbis, quae Lipsiensium editorum studia acerrima nondum ut nobis videtur profligarunt, haeret aliquid dubitationis de verbis *οἷος ὀμόσαι ταχύ*, quae tenuiora videntur, cum potius exspectares dici *οἷος ἐπιορκῆσαι ταχύ*, quemadmodum Balliones, qui non inepte cum *ἀπονενοημένοις* collati sunt *periuros* se appellari superbe patiuntur, sed illa si probe scripta sunt, neque quemquam addubitare vidimus, et ad vim periurii accedere recte putantur, quoniam qui celeriter iurat, facile creditur securus esse, verene an falso iuraturus sit, reliqua non nimis difficile adornantur ita ut *καὶ* parti-

cula quae desideratur in libris interposita omnia una sententia amplectatur, ὁ ἀπονενοημένος τοιοῦτός τις οἷος ὀμόσαι ταχύ, κακῶς ἀκοῦσαι ⟨καὶ⟩ λοιδορηθῆναι δυνάμενος h. e. ἀπονενοημένος is est qui (negligens ut est sacramenti) iuret celeriter, utpote qui mala fama vexari et conviciis peti possit. Qua in re quamquam ab hoc scriptore fere alienum est geminare similia, tamen hoc loco alteri alterum ex paribus et gravius haud inconsulto adnexum videatur; interpolatorem vero hic quid movisse dicimus, ut addito verbo vim passivam verbi κακῶς ἀκοῦσαι declararet, cum praesertim λοιδορηθῆναι δυνάμενος quam apte dicatur, vel Philemonis versus indicio sint (Meinekii Com. Graec. IV p. 9)

ἥδιον οὐδὲν οὐδὲ μουσικώτερον
ἔστ' ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν·
ὁ λοιδορῶν γάρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται λοιδορῶν.

Sed haec utut iudicantur, certiora, nisi fallimur, licet de Plutarcho ratiocinando et exemplis efficere. Quem κακῶς ἀκούειν ea vi quam Cobetus explicuit scripsisse, id quod ille exemplo firmavit, potest autem permultis probari, nihil miri, si quidem haec est communis dicendi ratio, qua saepe multi, velut, hunc ut supra allatis addamus, Lysias (8, 3. 15; 10, 11. 13), usi sunt. Verum tamen Plutarchum in vita Thesei non scripsisse quae libris traduntur et adhuc vulgabantur καὶ γὰρ ὁ Μίνως ἀεὶ διετέλει κακῶς ἀκούων καὶ λοιδορούμενος ἐν τοῖς Ἀττικοῖς θεάτροις sed tantum διετέλει κακῶς ἀκούων ἐν τοῖς Ἀ. θεάτροις, illius autem explicandi causa λοιδορούμενος ab interpolatore adiectum, Cobetus aegre fidem faciet consideranti et haec duo usu synonyma esse et Plutarchum nihil magis in deliciis habuisse quam cumulatis geminis orationi pondus addere, qui, ne longius abeamus, in uno capite 17 eiusdem Vitae scribit ὀδυρομένους καὶ ἀγανακτοῦντας, γνησίων ἐρήμους καὶ ἄπαιδας ἀπολειπομένους, ἐπεὶ δεόμενος καὶ καθικετεύων ἀμετάπειστον ἑώρα καὶ ἀμετάτρεπτον, quibus ex c. 13 ἔπηλυς ὢν καὶ ξένος, c. 14 τοῦ ξενισμοῦ καὶ τῆς ὑποδοχῆς addita sint. Ei vero cui haec placuerunt adimentes illa διετέλει κακῶς ἀκούων καὶ λοιδορούμενος, verendum est ne sua scriptori auferamus. Sed quid nos haec colligendo ex aliis effici volumus? Ipsius orationis in promptu sunt exempla; quod genus in vita Periclis c. 5 scribitur λοιδορούμενος γοῦν ποτε καὶ κακῶς ἀκούων ὑπό τινος τῶν βδελυρῶν καὶ ἀκολάστων κτλ; quae coniuncta qui ferri posse negat,

haud scias an eo adducatur, non ut *λοιδορούμενος* ad *κακῶς ἀκούων* sed contra *κακῶς ἀκούων* ad *λοιδορούμενος* prave assutum esse fateatur. Sed nos cum contendimus quae in eadem vita leguntur **10** c. 12 *τοῦτο μάλιστα τῶν πολιτευμάτων τοῦ Περικλέους ἐβάσκαινον οἱ ἐχθροὶ καὶ διέβαλλον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις βοῶντες ὡς ὁ μὲν δῆμος ἀδοξεῖ καὶ κακῶς ἀκούει τὰ κοινὰ τῶν Ἑλλήνων χρήματα πρὸς αὑτὸν ἐκ Δήλου μεταγαγών* aut illa in Fabio Maximo c. 7 *τότε δὴ μάλιστα κακῶς ἀκοῦσαι καὶ καταφρονηθῆναι συνέβη τὸν Φάβιον* (cf. c. 5, 2), utrumque intelligimus, et quantopere Plutarcho gratum fuerit cognominata verba consociare et *κακῶς ἀκούειν* per se solum ei tam non satisfecisse ut non libenter cum eo alterum et simile verbum coniungeret. Idem agnoscitur tam illis quae scribit in libello *An seni respublica gerenda sit* c. 23 (v 53 Bern.) *εἰ δέ τι σφαλείη, μὴ περιορῶν ἐξαθυμοῦντα τὸν νέον ἀλλ' ἀνιστὰς καὶ παραμυθούμενος, ὡς Ἀριστείδης Κίμωνα καὶ Μνησίφιλος Θεμιστοκλέα, δυσχεραινομένους καὶ κακῶς ἀκούοντας ἐν τῇ πόλει τὸ πρῶτον ὡς ἰταμοὺς καὶ ἀκολάστους, ἐπῆραν καὶ ἀνεθάρρυναν*, quam his quae paulo plura ex libello *de inimicorum utilitate*, in quo multa est *λοιδορία* et *λοιδορεῖσθαι*, excerpsimus c. 5 (I p. 214 sq. Bern.) *οἱ μὲν οὖν πολλοὶ γελῶσιν ἄν τις ὢν φαλακρὸς ἢ κυρτὸς ἑτέρους εἰς ταῦτα λοιδορῇ καὶ σκώπτῃ· γελοῖον δ' ὅλως ἐστὶ τὸ λοιδορεῖν καὶ σκώπτειν ὁτιοῦν ἀντιλοιδορηθῆναι δυνάμενον* — — c. 6 (p. 215) *τουτὶ μὲν οὖν ἔνεστι τῷ λοιδορεῖν τὸν ἐχθρὸν ὠφέλιμον καὶ χρήσιμον· οὐκ ἔλαττον δ' ἕτερον, τὸ λοιδορεῖσθαι καὶ κακῶς ἀκούειν αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν*, in quibus cum multa sint non indigna quae attendantur, tum illud inprimis *λοιδορεῖσθαι καὶ κακῶς ἀκούειν* quemadmodum in vita Periclis hoc ordine legi ut cum hoc verbo *ὑπὸ* praepositio iungatur.

Quae qui reputarit, cunctabitur in vita Thesei ex verbis *διετέλει κακῶς ἀκούων καὶ λοιδορούμενος* hoc alterum, ipso renuente ac tutante Plutarcho, rescindere, apud Theophrastum autem fidentius fortasse affirmabit haec *κακῶς ἀκοῦσαι ⟨καὶ⟩ λοιδορηθῆναι δυνάμενος* addita particula iungenda esse neque licere ea altera parte truncare.

Restant verba Hippiae maioris, quae nos in hanc disputationem traxerunt, *συμβέβηκε δή μοι ὅπερ λέγω κακῶς μὲν ὑπὸ ὑμῶν ἀκούειν καὶ ὀνειδίζεσθαι, κακῶς δὲ ὑπ' ἐκείνου*, quae, si quid exemplis tribuendum est, eorum subsidio freta non tam facile sibi

partem eripi patientur, cum praesertim sententia ipsa gravius quiddam quam simplex *κακῶς ἀκούειν* poscere videatur. Sic enim redit Socrates ad ea quae singillatim ante exposuit p. 33, 18 *πλανῶμαι μὲν καὶ ἀπορῶ ἀεί, ἐπιδεικνὺς δὲ τὴν ἐμαυτοῦ ἀπορίαν ὑμῖν τοῖς σοφοῖς λόγῳ αὖ ὑπὸ ὑμῶν προπηλακίζομαι, ἐπειδὰν ἐπιδείξω*, et rursus 25 *ὑπό τε ἄλλων τινῶν τῶν ἐνθάδε καὶ ὑπὸ τούτου τοῦ ἀνθρώπου τοῦ ἀεί με ἐλέγχοντος πάντα κακὰ ἀκούω.* Quae quoniam nunc complectitur Socrates, quis non sentit, nihil aptius fuisse quam, quo acrior esset maledicentiae et contumeliae significatio, illa duo verba *κακῶς ἀκούειν καὶ ὀνειδίζεσθαι* in unum coniungere? At Cobetus Hartmanusque anaphoram quam scriptor voluerit in his *κακῶς μὲν* — *κακῶς δὲ* addito altero verbo corrumpi affirmant eoque maxime originem interpolatae vocis patefieri. Qua in re nos longe ab illorum mente discedimus. Suadente enim collocatione verborum *κακῶς μὲν ὑπὸ ὑμῶν ἀκούειν κ. ὀ.* orationis formam sic esse evolvendam statuimus *κακῶς μὲν ὑπὸ ὑμῶν ἀκούειν καὶ ὀνειδίζεσθαι, κακῶς δὲ ὑπ' ἐκείνου* (*ἀκούειν*
11 *καὶ ὀνειδίζεσθαι*). Ut adiectum verbum, quod non potest non et ipsum bis intelligi, concinnitati detrimentum afferre non possit. Atque omnino ne nimis anxie consulamus concinnitati, admonent vel ea quae leguntur in Menexeno p. 80, 7 *ἡγούμενοι πρὸς μὲν τὸ ὁμόφυλον μέχρι νίκης δεῖν πολεμεῖν, καὶ μὴ δι' ὀργὴν ἰδίαν πόλεως τὸ κοινὸν τῶν Ἑλλήνων διολλύναι, πρὸς δὲ τοὺς βαρβάρους μέχρι διαφθορᾶς*, ubi in simili conformatione quae media interposita sunt anaphoram et aequabilitatem partium non perturbarunt.

II. In altero eodemque ultimo huius scriptionis capite adnotationes quasdam nostras applicabimus ad verba Hippiae maioris quae p. 3, 18 leguntur.

> *Καλόν γε, ὦ Ἱππία*, inquit Socrates, *λέγεις καὶ μέγα τεκμήριον σοφίας τῆς τε σεαυτοῦ καὶ τῶν νῦν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ἀρχαίους ὅσον διαφέρουσι. τῶν γὰρ προτέρων πολλὴ ἀμαθία κατὰ τὸν σὸν λόγον· τοὐναντίον γὰρ Ἀναξαγόρᾳ φασὶν συμβῆναι ἢ ὑμῖν· καταλειφθέντων γὰρ αὐτῷ πολλῶν χρημάτων καταμελῆσαι καὶ ἀπολέσαι πάντα· οὕτως αὐτὸν ἀνόητα σοφίζεσθαι. λέγουσι δὲ καὶ περὶ ἄλλων τῶν παλαιῶν ἕτερα τοιαῦτα. τοῦτο μὲν οὖν μοι δοκεῖς καλὸν τεκμήριον ἀποφαίνειν περὶ σοφίας τῶν νῦν πρὸς τοὺς προτέρους, καὶ πολλοῖς συνδοκεῖ, ὅτι τὸν σο-*

φὸν αὐτὸν αὑτῷ μάλιστα δεῖ σοφὸν εἶναι. τούτου δ' ὅρος ἐστὶν ἄρα, ὃς ἂν πλεῖστον ἀργύριον ἐργάσηται.

Primum de verbis (3) *τῶν γὰρ προτέρων πολλὴ ἀμαθία κατὰ τὸν σὸν λόγον*, quae sic uti supra scripsimus a Schanzio edita sunt; nam libri scripti haec hoc modo exarata exhibent *τῶν γὰρ προτέρων περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται πολλὴ ἀμαθία κατὰ τὸν σὸν λόγον*. Ex quibus verba *περὶ Ἀναξαγόρου* primus Immanuel Bekkerus repudiavit ut ne recipienda quidem duceret. Cui ceteri assensi sunt ita ut Stallbaumio auctore in eiusdem damnationis societatem *λέγεται* verbum adiungerent. Stallbaumium valde laudavit Cobetus Nov. Lect. p. 646 ad eiusdemque mentem Schanzius edidit ea quae supra posita sunt. Ergo haec est integra sententiola, *περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται*, quae in marginem reiiciatur oportet utpote adnotatio argumentum sermonis brevi complexa.

τῶν γὰρ προτέρων πολλὴ ἀμαθία κατὰ τὸν σὸν λόγον· τοὐναντίον γὰρ Ἀναξαγόρᾳ φασὶν συμβῆναι ἢ ὑμῖν. *περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται*

Habemusque exemplar additamenti ex margine in textum translati, cuius similia viri docti saepe statuerunt, nos saepe dubitavimus quam recte. Haec dum reputamus et in eam nos deliberationem demittimus quae consectaria fieri necesse sit, si hoc ita factum esse pro certo habeatur, interim nos advertit Stallbaumii adnotatio, qua *λέγεται* non magis quam *περὶ Ἀναξαγόρου* tolerandum esse et haec tria coniuncta glossematis speciem prae se ferre probare sibi visus est. Qui postquam Heindorfii *Ἀναξαγόρου*, Bekkeri *περὶ Ἀναξαγόρου* delentis rationes quamvis probabiles satisfacere negavit, haec addit *nimirum ne λέγεται quidem molestia vacat quum deinceps adiiciatur κατὰ τὸν σὸν λόγον. itaque ego totum hoc περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται glossema esse puto quod quam facile e nota margini adscripta oriri potuerit, neminem praeteribit.* Atqui hoc nobis aspersit aquam: ac mirari coepimus tam futilem rationem movisse doctos homines, ut *λέγεται* simul cum isto nomine exterminarent. Quid enim *λέγεται* ad verba *κατὰ τὸν σὸν* 12 *λόγον*? quae non rara sunt in Hippia et libris aliis, velut p. 17, 23, et p. 47, 26. Quorum usum qui cognitum habet aut attenderit, intelliget, iis verbis non tam quae quis dixerit quam quae consectaria fiunt ex iis quae dixit significari. Quare Socrates si dixit, *τῶν προτέρων λέγεται πολλὴ ἀμαθία κατὰ τὸν σὸν λόγον*, recte dixit, non ea mente, quasi Hippias affirmasset vetustorum multam

esse insipientiam, sed quia hoc consequitur ex eius rationibus quibus tam ante quam postea exposuit, nihil magis decere sapientes quam magna lucra facere ex sapientia (vide p. 388, 1 allata). Hac enim opinione imbuto veterum quae refertur vivendi ratio, qua negligere potius quam conservare et augere possessiones solent, non potest nisi multa ἀμαθία videri. Itaque putamus recte scribi τῶν προτέρων λέγεται πολλὴ ἀμαθία κατὰ τὸν σὸν λόγον h. e. de veteribus traditur quae est magna insipientia ex tua ratione. Et hoc aptius erat cum ipsa forma tum propter ea quae insequuntur, λέγουσι δὲ καὶ περὶ ἄλλων τῶν παλαιῶν ἕτερα τοιαῦτα.

Λέγεται tutati sumus: quid verba περὶ Ἀναξαγόρου? eane putabimus in margine apposita fuisse, ut nota esset ibi de Anaxagora agi? Quod si statuimus, nonne mirum videri debet, illum nescio quem hoc uno loco argumenti indicium fecisse, non περὶ Γοργίου aut περὶ Προδίκου (p. 2, 21. 26), nec περὶ Νεοπτολέμου καὶ Νέστορος (p. 8, 2) neque adeo περὶ Φειδίου (p. 13, 12) adscripsisse, verum unum περὶ Ἀναξαγόρου Socratis sententiae adlevisse? Sed videamus quibus causis illa duo verba de suo loco deiicienda censeant. Qua de re Heindorfius ita disserit, ut 'ferri posse neget duplicem genitivum τῶν προτέρων et Ἀναξαγόρου et molestissimam mox nominis iterationem esse affirmet Ἀναξαγόρᾳ pro αὐτῷ vel τούτῳ.' Quare Sydenhamum probat qui deleto Ἀναξαγόρου nomine προτέρων πέρι reposuit: τῶν γὰρ προτέρων πέρι λέγεται π. ἀ. Quae conformatio etsi hoc boni habet, ut in ista ambiguitate περὶ (πέρι) praepositionis facile intelligatur, Ἀναξαγόρου nomen unde natum et huc illatum sit, tamen isti orationi, quae Heindorfio perplacuit*), dubites an non praeferenda sit Bekkeri ratio, non Ἀναξαγόρου sed περὶ Ἀναξαγόρου eiicientis. Sed hoc utut est, nobis expendenda sunt Heindorfii argumenta, qui primum geminatos genetivos accusavit. Qui tamen adeo diversa sunt causa et condicione, ut aegre intelligas in iis coniunctis quae esse offensio possit. Etenim de veteris aetatis sapientibus ita agit Socrates ut Anaxagoram ex iis exempli causa eligat, in quo illorum perversitatem vivendi ostendat et carpat. Nisi quis forte haeret in eo quod genetivus iste partitivus praemittatur sententiae, τῶν προτέρων περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται κτλ. Sed id ut vix aliter institui potuit, ita exemplorum fide comprobatur, Hippiae maioris p. 2, 4

*27) Neque ea vituperabilis est, velut in Lyside legitur p. 64, 20 περὶ Δημοκράτους καὶ Λύσιδος τοῦ πάππου καὶ πάντων πέρι τῶν προγόνων.

καὶ εἶναι τῶν ἀρχαίων τοὺς περὶ τὴν σοφίαν φαύλους; p. 17, 23 *οὐκοῦν κατὰ τὸν σὸν αὖ λόγον ὡς φαίνεται τῶν ἡρώων τῷ μὲν Ταντάλῳ καὶ τῷ Δαρδάνῳ καὶ τῷ Ζήθῳ δεινὸν κτλ**); Ionis p. 62, 21 *ὧν Ὅμηρος λέγει περὶ τίνος εὖ λέγεις*. Similiter Lysias 31, 11 *ἔθος δίκαιον ἀνθρώποις τῶν αὐτῶν ἀδικημάτων μά-* 18 *λιστα ὀργίζεσθαι τοῖς μάλιστα δυναμένοις μὴ ἀδικεῖν*. Praemisso autem hoc genetivo cum utrumque recte dici potuerit et *Ἀναξαγόρου* et *περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται πολλὴ ἀμαθία*, velut in hac ipsa parte quam tractamus p. 3, 19 *καλὸν καὶ μέγα τεκμήριον σοφίας τῆς τε σεαυτοῦ καὶ τῶν νῦν ἀνθρώπων*, ibid. 26 *δοκεῖς καλὸν τεκμήριον ἀποφαίνειν περὶ σοφίας τῶν νῦν* vel Ione p. 63, 27 *ὅταν ἡ μὲν ἑτέρων πραγμάτων ᾖ ἐπιστήμη*, 64, 21 *εἰ ἑτέρα, περὶ ἑτέρων καὶ ἐπιστήμη πραγμάτων ἐστί*, quod scriptor maluit *τῶν προτέρων περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται π. α.*, praetulit quod et ipsa sententiae forma suadebat et quae paulo post in eadem oratione insequuntur (p. 3, 25) *λέγουσι δὲ καὶ περὶ ἄλλων τῶν παλαιῶν ἕτερα τοιαῦτα*.

Καὶ ταῦτα μὲν ἱκανῶς ἐχέτω, inquit Socrates. Sed superest ut molestissimam, quam Heindorfius dixit, iterationem nominis perpendamus, quae est in eo quod quae vera esse arbitramur *τῶν γὰρ προτέρων περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται πολλὴ ἀμαθία* excipiuntur ab his *τοὐναντίον γὰρ Ἀναξαγόρᾳ φασὶν συμβῆναι*. Qua re maxime ceteri quoque adducti videntur, ut addendo peccatum esse arguerent. Neque negamus potuisse apte scribi *τοὐναντίον γὰρ αὐτῷ φασιν συμβῆναι*, quamquam id quoque dandum est, si ante nullum erat Anaxagorae nomen et haec tantum praecedebant *τῶν γὰρ προτέρων λέγεται πολλὴ ἀμαθία*, ordinem invertendum et Anaxagorae nomini primum locum in altera sententia dandum fuisse, *Ἀναξαγόρᾳ γὰρ τοὐναντίον*, quod nomen nunc sine pondere et sine vi ulla interpositum est. Sed de nominibus propriis positis aut omissis magna diiudicatio est, quam ii non satis recte taxant qui non explorato scriptorum usu suo qualicumque sensu veterum mores regere cupiunt. Velut in his

*8) De genetivo partitivo cum dicatur, quid vetat verbo defendere quae leguntur in Hipp. mai. p. 2, 21 *Γοργίας τε γὰρ οὗτος ὁ Λεοντῖνος σοφιστὴς δεῦρο ἀφίκετο δημοσίᾳ οἴκοθεν πρεσβεύων, ὡς ἱκανώτατος ὢν Λεοντίνων τὰ κοινὰ πράττειν*, ex quibus Schanzius *Λεοντίνων* exclusit: quo nomine nihil aptius erat, si quidem Gorgias non peritissimus universe sed Leontinorum popularium suorum peritissimus rei publicae gerendae dicitur.

quae sunt in Hippia maiore p. 13, 15 ἐπειδὰν ἐγὼ ὁμολογῶ ἀγαθὸν εἶναι δημιουργὸν τὸν Φειδίαν, εἶτα, φήσει, οἴει, τοῦτο τὸ καλὸν ὃ σὺ λέγεις, ἠγνόει Φειδίας*), nonne apertum est, alterum Φειδίαν nec ipsum desiderari nec eius loco pronomen? Vel in altero Hippia cum haec legantur (p. 45, 5) de Achille Homerico, ὃς ἦν οὕτω γόης καὶ ἐπίβουλος, ὥστε καὶ τοῦ Ὀδυσσέως τοσοῦτον φαίνεται φρονεῖν πλέον πρὸς τὸ ῥᾳδίως λανθάνειν αὐτὸν ἀλαζονευόμενος ὥστε ἐναντίον αὐτοῦ αὐτὸς ἑαυτῷ ἐτόλμα ἐναντία λέγειν καὶ ἐλάνθανεν τὸν Ὀδυσσέα quid est quod Socrates quem bis ante pronominibus designarat αὐτόν, αὐτοῦ, denique eadem sententia appellet nomine τὸν Ὀδυσσέα? Adde illud p. 47, 16 σὺ γάρ με ἐπῆρας Ἱππίᾳ διαλέγεσθαι, καὶ νῦν ἐὰν μή μοι ἐθέλῃ
14 Ἱππίας ἀποκρίνεσθαι, δέον αὐτοῦ ὑπὲρ ἐμοῦ. Non nos id sequimur nunc, ut dedita opera hanc causam nominum excutiamus sed fortasse non est inutile raptim exempla nonnulla colligere, quae qui hoc agant impensius examinare possint. Itaque Plato scribit in Phaedro p. 65, 19 Ἀλλὰ μὴν τόν γε Τισίαν αὐτὸν πεπάτηκας ἀκριβῶς· εἰπέτω τοίνυν καὶ τόδε ἡμῖν ὁ Τισίας. Sympos p. 8, 1 οὐ γὰρ ἐμὸς ὁ μῦθος ἀλλὰ Φαίδρου τοῦδε, ὃν μέλλω λέγειν. Φαῖδρος γὰρ ἑκάστοτε πρός με ἀγανακτῶν λέγει. Euthydem. p. 32, 15 καθ' ἓν ἕκαστον ἐρωτώμενοι ὑπὸ Κτησίππου. ὁ γὰρ Κτήσιππος πάνυ ἀπαρακαλύπτως .. ἠρώτα. Lysid. p. 64, 23 τὸν γὰρ τοῦ Ἡρακλέους ξενισμὸν πρῴην ἡμῖν ἐν ποιήματί τινι διῄειν, ὡς διὰ τὴν τοῦ Ἡρακλέους ξυγγένειαν ὁ πρόγονος αὐτῶν ὑποδέξαιτο τὸν Ἡρακλέα, ex quibus Hartmanum videmus (Emblem. p. 129) τοῦ Ἡρακλέους expellere; sed hoc vix est probabile; contra paulo post pro nomine uti licebat pronomine, ὑποδέξαιτο αὐτόν, verum Socrates opinamur maluit nomen iterare. Lysias 13, 55 Ἀκούω δὲ αὐτὸν καὶ εἰς Μενέστρατον ἀναφέρειν τι περὶ τῶν

*3) In adnotatione ponimus quae illa proxime insequuntur ὅτι, ἐρεῖ, τῆς Ἀθηνᾶς τοὺς ὀφθαλμοὺς οὐ χρυσοῦς ἐποίησεν οὐδὲ τὸ ἄλλο πρόσωπον οὐδὲ τοὺς πόδας οὐδὲ τὰς χεῖρας, εἴπερ χρυσοῦν γε δὴ ὂν κάλλιστον ἔμελλε φαίνεσθαι, ἀλλ' ἐλεφάντινον, δῆλον ὅτι τοῦτο ὑπὸ ἀμαθίας [ἐξήμαρτεν] ἀγνοῶν, ὅτι χρυσὸς ἄρ' ἐστὶν ὁ πάντα καλὰ ποιῶν, ὅπου ἂν προσγένηται. Sic haec edidit incluso verbo ἐξήμαρτεν Schanzius; qui apertum est quid assequi voluerit; haec enim omnia in unam sententiam coire voluit οὐ χρυσοῦς ἐποίησεν, δηλονότι ἀγνοῶν ὅτι χρυσός κτλ. Quod ut ferri possit, ita parum commode iungi videntur ὑπὸ ἀμαθίας ἀγνοῶν, perbene quae scripta sunt in libris τοῦτο ὑπὸ ἀμαθίας ἐξήμαρτεν ἀγνοῶν, ὅτι. Itaque sic statuendum est, a δῆλον ὅτι novam incipere sententiam ἀσυνδέτως superioribus adnexam.

γραφῶν τούτων· τὸ δὲ τοῦ Μενεστράτου πρᾶγμα τοιοῦτον ἐγένετο. ὁ Μενέστρατος οὗτος ἀπεγράφη κτλ, quae est inimitabilis huius oratoris *ἀφέλεια*, nec multum dissimilia sunt quae in eadem oratione 19 et 71 leguntur.

Satis demonstrasse nobis videmur, neque cumulatos genetivos neque vero iteratum nomen obesse quominus emendate scripta habeantur quae exstant in libris *τῶν γὰρ προτέρων περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται πολλὴ ἀμαθία κατὰ τὸν σὸν λόγον· τοὐναντίον γὰρ Ἀναξαγόρᾳ φασὶν συμβῆναι ἢ ὑμῖν*. Quae si verum fateri volumus adeo integritatis nota insignia sunt, ut quae nos argumentis et exemplis allatis stabilire studuimus, sine exemplis et sine argumentis ullis vera et integra existimari debuerint.

Alteram quaestionem petimus ex iisdem verbis Hippiae maioris quae huic capiti praescripsimus. Quorum prima sententia haec est

> *καλόν γε, ὦ Ἱππία, λέγεις καὶ μέγα τεκμήριον σοφίας τῆς τε σεαυτοῦ καὶ τῶν νῦν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ἀρχαίους ὅσον διαφέρουσιν.*

In quibus primum apparet ultima verba *ὅσον διαφέρουσιν*, quae nemo attemptavit, fortasse nemo attendit, ad sententiam non requiri, quae sine iis constabat tam recte quam infra (p. 3, 26) eadem sententia *δοκεῖς καλὸν τεκμήριον ἀποφαίνειν περὶ σοφίας τῶν νῦν πρὸς τοὺς προτέρους* (h. e. si comparantur cum superioribus). Dein intelligitur haec satis libere subiici orationi, quae facile ipsi includi sententiae poterant, velut hoc modo *τεκμήριον ὅσον ἡ τῶν νῦν σοφία διαφέρει πρὸς τοὺς ἀρχαίους*, ad exemplum eorum quae leguntur in Legibus I p. 34, 1 *οὐδένας οἰόμεθα ἀμφισβητῆσαι, μὴ οὐ πεῖράν τε ἀλλήλων ἐπιεικῆ ταύτην εἶναι, τό τε τῆς εὐτελείας καὶ ἀσφαλείας καὶ τάχους διαφέρειν πρὸς τὰς ἄλλας βασάνους*. Hoc genus dicendi late patet multaque habet exempla, partim simplicia et quae neminem impediant, alia eiusdem farinae tamen ita comparata ut emunctis naribus fastidiri non desinant. Quid veteribus in ea re probatum fuerit, Platoni maxime et Aristoteli, olim in mantissa ad Aristotelis Poeticam (ed. III p. 126 sq.) exemplis selectis docere studuimus, aliis et multorum postea in Herm. vol. XXX p. 364, cum Dionis Prusaei usum explicaremus, quem nuper etiam G. Kaibelius in erudito commentario Electrae Sophocleae tetigit p. 127. Non redibimus illuc, quamquam pervelimus ea accurate recognosci ab iis si qui recte iudicare cupiunt de his quae nunc in contro-

versiam vocamus. Quo magis autem genus ipsum patefiat, primum **haec** afferimus.

Legum I p. 10, 28 *ἀνάγκη τὸν νομοθέτην τὰς κτήσεις τῶν πολιτῶν καὶ τὰ ἀναλώματα φυλάττειν, ὅντιν' ἂν γίγνηται τρόπον κτλ.*

Sympos. p. 1, 8 *ἔναγχός σε ἐζήτουν βουλόμενος διαπυθέσθαι τὴν Ἀγάθωνος συνουσίαν καὶ Σωκράτους καὶ Ἀλκιβιάδου καὶ τῶν ἄλλων τῶν τότε ἐν τῷ συνδείπνῳ παραγενομένων περὶ τῶν ἐρωτικῶν λόγων, τίνες ἦσαν.*

Ione p. 55, 37 *ὅταν πολλῶν λεγόντων περὶ ὑγιεινῶν σιτίων, ὁποῖά ἐστιν, εἷς τις ἄριστα λέγῃ.*

Euthydem. p. 32, 1 *ἢ καὶ τὰ τοιαῦτα (ἐπίστασθον), τοὺς ἀστέρας, ὁπόσοι εἰσί, καὶ τὴν ἄμμον.*

Lysiae 31, 3 *ἐγὼ τοῦτον ἐλέγξω οἷός ἐστι;* 4 *δεῖ ὑμᾶς περὶ αὐτοῦ ὁποῖός ἐστι σκέψασθαι.* cf. 30, 6.

Legum I p. 18, 21 *οἷον εἴ τις ἐπαινέσαντός τινος τυρούς, βρῶμα ὡς ἀγαθόν, εὐθὺς ψέγοι μὴ διαπυθόμενος αὐτοῦ μήτε τὴν ἐργασίαν μήτε τὴν προσφοράν, ὅντινα τρόπον καὶ οἷστισι καὶ μεθ' ὧν καὶ ὅπως ἔχοντα καὶ ὅπως προσφέρειν ἔχουσιν,*

h. e. *τὴν προσφοράν, ὅντινα τρόπον προσφέρειν (ἐστί)*; neque enim Madvigio accedendum *προσφέρειν* delenti, quod vix desiderari posse in hac oratione credas, neque vero eo loco positum impedire quominus recte intelligatur *ὅπως ἔχοντα καὶ ὅπως ἔχουσιν.*

Gorgia p. 5, 1 *νὴ τὴν Ἥραν, ὦ Γοργία, ἄγαμαί γε τὰς ἀποκρίσεις, ὅτι ἀποκρίνει ὡς οἷόν τε διὰ βραχυτάτων.*

In his quoque quod superesse videbatur non tolerarunt docti: expulso interpretamento cum Hirschigio Hartmanus (Emblem. p. 94) sic scribi iussit *ἄγαμαί γέ σου ὅτι ἀποκρίνει κτλ.* Certe eo modo locutus est Socrates in Hippia maiore p. 15, 24 *νὴ τὴν Ἥραν ἄγαμαί σου ὅτι μοι δοκεῖς εὐνοικῶς βοηθεῖν.* Sed idem quod ita dicit in Apologia p. 59, 2 *ὁρᾶτε γὰρ δὴ τὴν ἡλικίαν, ὅτι πόρρω ἤδη ἐστὶ τοῦ βίου*, tutari traditam formam videatur.

Hippia mai. p. 7, 16 *περὶ τῶν γενῶν τῶν τε ἡρώων καὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν κατοικίσεων, ὡς τὸ ἀρχαῖον ἐκτίσθησαν αἱ πόλεις.*

Haec praemisimus si forte contigerit vindicare quae scripta sunt in Ione p. 55, 11

οὐ περὶ πολέμου τε τὰ πολλὰ διελήλυθεν (Ὅμηρος) καὶ

> *περὶ ὁμιλιῶν πρὸς ἀλλήλους ἀνθρώπων ἀγαθῶν τε καὶ κακῶν καὶ ἰδιωτῶν καὶ δημιουργῶν καὶ περὶ θεῶν πρὸς ἀλλήλους καὶ πρὸς ἀνθρώπους ὁμιλούντων ὡς ὁμιλοῦσι καὶ περὶ τῶν οὐρανίων παθημάτων κτλ.*

Cobeto enim assentiens Schanzius verba *ὡς ὁμιλοῦσι* tamquam falso adscripta uncis inclusit. Quae si abessent nemo desideraret, nunc cum adsint, ut mittamus parum probabile esse haec a nescio quo potius quam ab ipso auctore libelli esse adiecta, intelligimus ea plane eandem rationem sequi, quam aut quae olim congessimus aut quae supra allata sunt exempla expressam tenent. Inprimis haec qui delent velimus secum deliberent, quid de illis verbis a **16** quibus profecti sumus *λέγεις τεκμήριον σοφίας τῆς τε σεαυτοῦ καὶ τῶν νῦν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ἀρχαίους ὅσον διαφέρουσιν* iudicandum censeant aut de his, quae esse instar omnium possunt, a quibus Thucydides opus suum exorsus est

> *Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους.*

Sed nimis saepe critici subitas cogitationes ex singulis locis oriundas nulla adhibita observatione quae scriptoris unius aut plurium usum amplectatur sequi solent fidenter.

Idemque postremo cadere in Lysiae verba putabamus, quae nobis redire ad eandem dicendi consuetudinem visa sunt, a criticis autem plerisque omnibus condemnata et reiecta. In Lysiae enim oratione in Aeschinem Socraticum acriter invehenti, cuius bonam partem Athenaeus servavit lib. XIII, haec habentur verba p. 612 f.

> *οὕτως ἐρωτικῶς τὸ κόριον μετεχειρίζετο τῆς ἡλικίας αὐτῆς ἀπολαύων, ἧς ῥᾷον τοὺς ὀδόντας ἀριθμῆσαι ὅσον ἐλάττους ἦσαν ἢ τῆς χειρὸς τοὺς δακτύλους.*

Quis non videt verba *ὅσον ἐλάττους ἦσαν* abesse potuisse sine detrimento? Itaque inde a Casaubono vulgo sic existimant ea a Lysia abhorrere et e margine in eius orationis contextum irrepsisse; quae Cobetus in Lysia ne recepit quidem, Kaibelius in Athenaeo recepit sed uncinata. Tantoque certius haec reiectanea esse affirmant quia quam sublesta sit eorum fides alia quaedam testimonia coarguant. Etenim primum Demetrius de elocutione haec citavit c. CXXVIII

> *τῶν δὲ χαρίτων αἱ μέν εἰσι μείζονες καὶ σεμνότεραι, αἱ τῶν ποιητῶν, αἱ δὲ εὐτελεῖς μᾶλλον καὶ κωμικώτεραι*

σκώμμασιν ἐοικυῖαι, οἷον αἱ Ἀριστοτέλους χάριτες καὶ Σώφρονος καὶ Λυσίου· τὸ γὰρ ἧς ῥᾷον ἄν τις ἀριθμήσειε τοὺς ὀδόντας ἢ τοὺς δακτύλους, τὸ ἐπὶ τῆς πρεσβύτιδος, καὶ τὸ ὅσας ἄξιος ἦν λαβεῖν πληγὰς τοσαύτας εἴληφε δραχμάς, οἱ τοιοῦτοι ἀστεισμοὶ οὐδὲν διαφέρουσι σκωμμάτων.

Idem c. CCLXII

χρήσονται δ' αὐτῷ (τῷ κυνικῷ τρόπῳ) καὶ οἱ ῥήτορές ποτε, καὶ ἐχρήσαντο, Λυσίας μὲν πρὸς τὸν ἐρῶντα τῆς γραὸς λέγων ὅτι ἧς ῥᾷον (ῥᾴδιον) ἦν ἀριθμῆσαι τοὺς ὀδόντας ἢ τοὺς δακτύλους· καὶ γὰρ δεινότατον ἅμα καὶ γελοιότατον ἐνέφηνε τὴν γραῦν.

Sed his testimoniis ne nimium tribuas, nec inter se conspirant et in nonnullis ab Athenaei memoria discedunt, in quibus nemo criticorum Demetrii fidem maluit quam Athenaei codices sequi. Neque Demetrii qui multus est in citandis scriptoribus omnino ea diligentia est, cui facile cedas in omnibus; denique quantum attulit satis erat ad declarandum id quod voluit, χάριτες Λυσίου quae essent et quod δεινότατον ἅμα καὶ γελοιότατον haberetur. Ut liceret ei abstinere ab iis verbis quorum ambiguitas nos nunc exercet.

Eadem sententia et apud Photium Lex. II p. 129 Naberi legitur

ῥᾷον ἄν τις τοὺς ὀδόντας ἠρίθμησεν ἢ τοὺς δακτύλους

17 et apud Suidam

ῥᾷόν τις τοὺς ὀδόντας ἠρίθμησεν ἢ τοὺς δακτύλους. ἐπὶ γερόντων.

Qui quae afferunt, proverbialem esse locutionem apparet, natam illam quidem ex Lysiae oratione sed solita libertate redactam in brevius. Ab his igitur testibus disci vix possit quid Lysiam scripsisse probabile sit. Neque Demetrio, qui quod affert certo consilio afferri vidimus et tantum quantum huic consilio conveniens erat, posthabendum ducemus Athenaeum cuius studio magnae partes huius orationis acceptae feruntur non alia de causa excerptae quam quod Aeschinis Socratici moribus depingendis prodessent. Certe τῆς χειρός, quod abest a Demetrio et ceteris testibus sed quo nihil aptius erat, praeter Naberum nemo quod sciamus ab Athenaeo et a Lysia abiudicavit. Quare omissis testibus alienis, qui nihil nos docere possunt quod ad rem pertineat, ad Lysiam nos convertamus, ut quaeratur ipsum quid deceat dicere in ista sen-

tentia, quam Athenaei libri hunc in modum scriptam exhibent *ἧς ῥᾷον τοὺς ὀδόντας ἀριθμῆσαι ὅσον ἐλάττους ἦσαν* (*ἐλαττούσης ἄν*) *ἢ τῆς χειρὸς τοὺς δακτύλους*. In quibus *ὅσον* aut non intelligimus aut prave scriptum est: intelligi potest *ὅσῳ* quod olim correctum est. Sententiam ipsam putamus Toupium qui Lysiae vindicat non recte accepisse cum ita interpretatur *τοσούτῳ ῥᾷον ὅσῳ ἐλάττους ἦσαν*. Immo ut recte dici potest ex illa consuetudine quam explicabamus *ὀδόντας ἀριθμῆσαι ὁπόσοι ἦσαν*, sic nunc institutae comparationis causa scribitur *ἧς ῥᾷον ἦν ὀδόντας ἀριθμῆσαι, ὅσῳ ἐλάττους ἦσαν, ἢ τῆς χειρὸς τοὺς δακτύλους* (*ἀριθμῆσαι*), ut liberius de more adnexa verba *ὅσῳ ἐλάττους ἦσαν* ei parti adhaerescant cui declarandae apta et accommodata sunt. Quam sententiam nos et probam esse nec inutilem arbitramur quamvis eam abesse potuisse nemo negaturus sit. Sed quae vulgatum usum sermonis sequi videmus, ea cur malumus Lysiae adimere et ad Graeculum, ut illi loquuntur, ablegare, qui si ea scripta non erant quo consilio motus addiderit aegre dispicias. Scr. m. Maio a. MDCCCC.

LIII. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1901.

3 Non libellos tantum sua fata habere sed et sententias et verba quis hoc nescit? Nota sunt quae Accius poeta tragicus de comoediis Plautinis scripsit a Gellio in tertio Noctium Atticarum c. 3 relata. Cuius verba quae olim varie depravata circumferebantur postremo Hertzius ad librorum memoriam exacta in hunc modum edenda curavit

M. tamen Varro in libro de comoediis Plautinis primo Accii verba haec ponit: 'nam nec Gemini lenones nec Condalium nec Anus Plauti, nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit, neque adeo Agroecus neque Commorientes Macci Titi.'

Accii verba a Gellio ut scribit non ex ipsius aliquo libro sed ex Varronis de comoediis Plautinis excerpta identidem a doctis hominibus tractata et retractata sunt, sed ea ne nunc quidem ita sunt profligata, ut iam nihil sit quod utiliter adnotari possit, immo orationis formam, qua recte accepta continentur omnia, videmur nobis, si non totam, aliqua certe ex parte melius quam adhuc factum est declarare ac tutari posse. Id igitur hac scribendi occasione persequi volumus, si forte contigerit ut aliquid ad recte percipiendum usum consuetudinemque sermonis Latini conferamus.

Ergo Accii verba, quae ex quo libro Accii sumpta sint nec Gellius neque quem is citavit Varro indicat, in libris eius DIDASCALICON posita fuisse rei et sententiae causa probabiliter post alios statuit Madvigius, is qui (a. 1831) primus horum librorum originem et naturam luculenta disputatione explanavit reliquiasque eorum a grammaticis allatas collegit et emendavit, in quibus nostra illa verba sic perscripsit (Opp. I p. 94)

nam nec Gemini nec Leones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit, neque adeo Ἄγροικος *neque Commorientes, sed M. Aquilii,*

nisi quod de extremi nominis veritate se valde dubitare profitetur.

Madvigiana commentatione excitatus G. Hermannus a. 1841 quos ille libros prosa oratione exaratos cum vulgo crediderat cum aliis rationibus tum reliquiis ipsis certa metrorum vestigia prodentibus versibus esse compositos argumentatus trochaicum numerum restituit verbaque illa quae sunt de Plauti comoediis, quae ad DIDASCALICON libros recte referri concessit, hoc modo descripsit (Opp. VIII p. 392)

Namque nec Gemini lenones, nec Condalium, non Anus
Plauti, nec Bis compressa aut Boeotia eius umquam fuit,
Neque adeo Agroecus, neque Commorientes sed Marci Titi,

sed ut is quoque ultimi nominis scripturam in ambiguo relinqueret.

Hermanni sententia Ritschelius excepta et hos versus esse et trochaicum numerum instaurandum probavit. Qui cum ea de re ageret in dissertatione de Plauti nominibus a. 1841 edita, repetita autem in Parergon Plautinorum volumine I, felici ingenio contigit ut quae in extremis verbis versibusve Accianis dubia et incerta cum Madvigio Hermannus destituerat obscuritate sublata in clara luce reponeret. Memor enim vestigiorum Plautini nominis a vulgato diversi a se in codice Ambrosiano repertorum *T. Maccium* potius quam *M. Accium* indicantium scripturisque Gellianis quae essent in versibus Accianis accuratissime excussis eo devenit ut in extrema parte verborum Accii non alius cuiusdam poetae nomen sed ipsius Plauti restituendum intelligeret splendidoque acumine paene ultro ex ipsis codicum scripturis prosilientem formam nominis *Macci Titi* suscitaret: in cuius rei fidem addidit idem nomen eandemque eius formam ex simillima specie scripturae in versu prologi Mercatoris Plautinae (10) recuperari, quem versum ita scribendum docuit

Eadem Latine Mercator Macci Titi.

Versuum autem Accianorum tertius utpote iam exitu eius restituto necesse erat seorsum ab Hermanni ratione emendaretur: id quod Ritschelius ita temptavit ut tria proponeret exempla; sic enim ambigebat ipse propter renuentium verborum asperitatem; posse autem scribi putavit

vel *Nec fuit adeo Agroecus neque Commorientes Macci Titi*
vel *Neque Agroecus neque adeo Commorientes fuit Macci Titi*
vel *Neque adeo fuit Commorientes neque Agroecus Macci Titi.*

Ad eandem causam disceptandam post Ritschelium accessit Lachmannus qui in prooemio a. 1849 (Opp. p. 67) ita disseruit,

ut a Ritschelio restitutum Plauti nomen et eius nominis formam Accii versibus redditam vehementer probaret, sed Sotadeorum versuum naturam et usum subtiliter perscrutatus de Acci DIDASCALICON libris ita sentiret, versibus illos quidem compositos fuisse sed non quibus Hermannus et Ritschelius voluerunt trochaicis, sed ionicis illis a Sotade poeta denominatis, quorum normas modo descripserat. Itaque, ut mittamus reliqua, illos tres versus, qui nobis sunt in manibus, hoc modo dimensus est

Nám nec Geminéi Leones nec Condaliúm nec
Plaúti Anus, nec Bís compressa néc Boeotia éius
Úmquam fuit, neque ádeo Agroecus néque Commoriéntes
Mácci Titi.

Et haec, ut sunt sagaciter commenta, non paucos nacta sunt sponsores, in quibus Hertzium et Fleckeisenum. Ritschelius vero a Lachmanni sententia quam sibi quoque primitus probatam fuisse dixit paulatim deflexit, qui fragmentis Plautinis tractatis ad hanc causam reversus (in Opp. vol. III p. 182) et quibus incommodis ista conformatio laboraret perspicue explicuit et pristinam suam opinionem repetiit, qua credidit trochaicum numerum, non quem ille suasit Sotadeum agnoscendum esse, nisi quod tertium ex iis versum paulo aliter nunc quam antea scribendum esse coniecit. Atque hos tres tetrametros ab Hermanno Ritschelioque constitutos

Namque nec Geminei lenones nec Condalium, non Anus
Plauti, nec Bis compressa aut Boeotia eius umquam fuit,
Nèque Agroecus neque Commorientes adeo fuit Macci Titi

qui contulerit cum Lachmanni Sotadeis, facile, opinamur, intelliget, multo hos esse quam illos probabiliores. At certi tamen in iis nihil est nisi a Ritschelio inventum nomen *Macci Titi*, quod in utroque genere metrorum suam sedem obtinuit. Verum *eius* post *Boeotia* iam ab Hermanno de coniectura inculcatum et a reliquis servatum quam Ritschelius putabat fidem habere a quorundam codicum infimae sortis testimoniis (Parerg. p. 13 n.), eam nullam esse Hertzii adnotatio ad Gellium evicit; neque hoc neque *fuit* in altera parte adiectum aut *adeo* suo loco motum multum ad orationis formam aut elegantiam facere, quicumque non occupata mente verba ipsa examinabit, haud difficulter persentiet. Quibus omissis apparet de versibus tantum non actum esse.

Denique Buechelerus a Sotadeis Varronianis profectus cum in eorum versuum condicionem et usum denuo dedita opera in-

quireret, et quos Lachmannus Accii Sotadeos esse voluit nullos esse intellexit, et reliquias DIDASCALICON habere illas quidem etiam versiculos unum et alterum, sed alius generis, non ionicos, pleraque autem a doctis hominibus invita in versuum mensuram coacta pedestrem prae se ferre sermonem sibi persuasit: itaque Accium statuit hoc opus litterarium universe sermonem esse voluisse, non carmen, immixtis tamen hic illic versibus, alienis aut suis, ut ad saturae Varronianae naturam propius accedere videretur. Haec ille breviter, ut solet, sed liquido exposuit in mus. Rhen. vol. XXXV (1880) p. 401. Accii verba, quae nos disceptanda sumpsimus, non attigit, non quod negaret, opinamur, ea recte ad DIDASCALICON opus referri, sed quia noluit nisi de iis agere quae ad eos libros pertinere testimonio constaret, sed ea verba eum metro inclusa maluisse quam pedestria habere credibile non est. Cui opinioni nos favere cum supra iam significatum sit, tum ad eam defendendam fortasse disputatio nostra nonnihil conferet.

Ut Hermannum Ritschelius, ita Buechelerum excepit Leo, qui in illis egregiis Quaestionibus Plautinis (p. 32) hoc testimonium Accii de Plauti fabulis in transcursu magis quam tota causa exposita tractavit ita ut et Ritschelio versus obtinenti obviam iret et Buecheleri rationibus probatis hanc pedestrem esse orationem confirmaret, sed maxime ad explicandam orationis formam ver- 6
borumque sententiam aperiendam se daret. Is enim quoniam duplex Plauti nomen in superstitum fabularum prologis occurrit, in paucis *Plauti*, semel in Mercatore *Macci Titi*, hanc opinionem mente concepit, Accium, cuius verba eandem nominis discrepantiam habent, eas fabulas, quas negat Plautinas esse, prologorum earum ratione habita, aut *Plauti* esse aut *Macci Titi* negitavisse, utpote qui prologis, qui non sint Plautini, fidem non esse habendam sibi persuasisset; sed Accium non substitisse in discernendis duobus generibus fabularum falso ad Plautum relatarum sed tertium addidisse quod medium inter illa duo diverso Plauti nomine discreta intercedere voluisset, et hae quia fabulae essent origine non testata, ad eas nullo Plauti nomine adiecto verba *umquam fuit* adscripsisse*).

---

*34) In adnotatione ponimus verba ipsa eruditi viri, quae, quod ne ipsum quidem fugit, habent aliquid difficultatis intelligere cupienti, si forte invitis nobis acciderit ut de eius sententia non satis recte aut non satis plene referremus. Scribit igitur l. s. c. haec: *In den Prologen zu Gemini lenones, Condalium, Anus war der Genetiv des Dichternamens* **Plauti**, *zu*

Sed in his, quae non negamus scite esse excogitata, sunt tamen quae parum probabiliter disputari nobis videantur. Nam ut mittamus interim quae ille de prologis Plautinis magis sumpsit quam probavit, quam tertiam classem fabularum Plauto iniuria adscriptarum esse iussit, ea quomodo verbis distincta sit, ut a legente recte accipiatur, ambigimus nec satis certo dispicimus. Cuius rei causam quod Leo si recte intelligimus a genere loquendi artificiosiore repetendam duxit, de elocutione nos secus sentimus. Artificiosam enim hanc esse orationem aut insolita collocatione verborum insignem tantum abest ut concedamus ut nihil simplicius esse hac sententia posse affirmemus. Nam cum haec diceret Accius *nec Gemini lenones nec Condalium nec Anus nec Bis compressa nec Boeotia Plauti umquam fuit*, prolixam enumerationem fabularum in duas series disposuit paene pares, ut sua ad utramque seriem pars praedicati, quod unum est sed item in duas particulas distributum, aptaretur. Unde haec nata est oratio *nec Gemini lenones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit.* Eam autem orationis formam, qua Accium usum videmus, consuetam sermonis Latini structuram esse exemplorum fides quae mox afferentur probabit. Interim hoc dicimus
7 mirum esse neminem omnium, qui his verbis stabiliendis operam navarunt, genus structurae recte aestimasse, praeter unum fortasse Madvigium, qui certe abstinuit inepta interpunctione qua ceteri usi, cum post *Plauti* distinguerent, orationis formam quam

---

Agroecus und Commorientes Macci Titi. Es sind Kategorien, die Accius durch die Namen und ihre Stellung bezeichnet, etwas gesucht, wie man es von ihm erwarten muss. Er sagt damit: obgleich die 3 Stücke ausdrücklich des Plautus und die beiden andern des Maccus Titus heissen, sind sie doch nie von ihm gewesen; woraus folgt, dass er die Prologe für unplautinisch hielt. Dazwischen stehen ohne einen von Plautus Namen Bis compressa und Boeotia: nun wissen wir, dass die Boeotia einem anderen Dichter zugeschrieben wurde, und die Bis compressa erscheint nirgend wieder, es ist also nicht unwahrscheinlich, dass sie unter den unbezeugten war. So scheidet er die dritte Kategorie der dem Plautus willkürlich zugeschriebenen und setzt das umquam zu diesen, wie adeo zu Agroecus und Commorientes; und man muss gestehen, dass er durch eine ungemein künstliche Wortstellung für den Leser, der im Zusammenhang war, die Scheidung deutlich gemacht hat. Mir scheint dies völlig beweisend, und es ergibt sich daraus einmal, dass der Agroecus echt war wie die durch Terenz bezeugten Commorientes . .; zum andern, dass Plauti weder umgestellt noch sonst corrigiert werden darf; endlich dass von Versen hier keine Rede mehr sein kann.

non intelligebant ultro corruperunt. Gravius etiam peccatum est ab iis, qui *eius* pronomen post *Boeotia* metri scilicet causa inseruerunt, quod ut nullum praesidium habere a codicum memoria supra diximus, ita nisi cum insigni detrimento orationis constare non potuit. Ritschelius autem, quo fortius negaret illam pedestrem esse orationem, cum hoc exemplo ludibrii causa a se ficto uteretur (Parerg. p. 86 n.), *nec Titus nec Sempronius Varronis, nec Caius nec Publius eius discipulus umquam fuit, nec adeo Titus nec Aulus fuit Terentii Marci*, qualia nimirum nisi poetae non concederentur, ne dicamus pravam interpunctionem et falso adiectum *eius*, certe ut rite comparationem iniret, simile suum ita instituere debebat, *nec Titus nec Sempronius Varronis discipulus nec Caius nec Publius umquam fuit* (ut in hac parte nunc subsistamus). Quam conformationem quis qui intelligit non videt et pedestrem esse revera nec ullo modo vituperabilem aut poetarum licentia vindicandam, comparem autem et comparabilem sic demum Accianae illi quam libri tradunt exsistere, quae tum vituperabilis esse coepit cum propter mensuram a sua primitiva forma criticorum arbitrio demutata est. Unde intelligitur quam credibile sit quod Ritschelius maxime etiam atque etiam asseveravit Accium istam sententiam non posse nisi versibus expressisse; quem virum acutum mirum est profecto non vidisse orationem quam exempli causa finxit nec pedestrem esse neque vero poeticam sed nescio qua imperitia loquendi procreatam.

Sed quo magis patefiat orationis conformationem qua Accium usum esse diximus familiarem fuisse scriptoribus Romanis exempla afferimus, selecta ex multo pluribus quae afferri potuerint, sed quae satis erunt ad fidem faciendam. Itaque Cicero scribit in Antonium v 18, 49

filii qui cum omnibus est tum optimo cuique carissimus

Ibid. IX 1, 1 *nec dubito quin reditus eius et vobis gratus fuerit et rei publicae salutaris futurus*

Ibid. II 21, 51 *cum ab hoc ordine ego conservator essem tu hostis rei publicae iudicatus.*

Agnosciturne aliquid similitudinis cum ista oratione Accii *nec Condalium Plauti nec Boeotia umquam fuit*? An secus putamus in his exemplis praedicati unitatem dispertitam per partes partibus orationis accommodari? Addimus alia. In Antonium VI 3, 7

nec vero de illo sicut de homine aliquo debemus sed ut de importunissima belua cogitare

Ibid. VI 4, 9 *malet me sapientem a vobis quam se modestum existimari*

Ibid. VII 8, 21 *quo ore vos ille poterit quibus vicissim vos illum oculis intueri*

Ibid. IX 1, 3 *ego sic interpretor sensisse maiores nostros ut causam mortis censuerint non genus esse quaerendum*

Ibid. II 21, 52 *quid cupide a senatu quid temere fiebat;* hoc est enim *quid cupide quid temere a senatu fiebat.*

Ibid. II 36, 91 *ne qua post Idus Martias immunitatis tabula neve cuius beneficii figeretur;* quod maluit, cum posset *ne qua immunitatis neve cuius beneficii tabula figeretur.*

Ibid. XI 6, 15 *quid enim atrocius potuit quid severius decernere*

Post red. in sen. 6, 13 *cum vero in circo Flaminio non a tribuno pl. consul in contionem sed a latrone archipirata productus esset*

De domo sua 15, 40 *tu M. Bibulum in contionem tu augures produxisti.*

Licebit fortasse ut hoc in praetereundo addamus hac observatione structurae Ciceroni valde adamatae uti in vindicandis vel explicandis verbis quae sunt in oratione post reditum in senatu habita, ex qua unum supra allatum est exemplum, poterant afferri plura. Dicimus haec c. 10, 25

Nam Q. Metellus et inimicus et frater inimici, perspecta vestra voluntate omnia privata odia deposuit; quem P. Servilius, vir cum clarissimus tum vero optimus mihique amicissimus, et auctoritatis et orationis suae divina quadam gravitate ad sui generis communisque sanguinis facta virtutesque revocavit, ut haberet in consilio et fratrem [ab inferis], socium rerum mearum, et omnes Metellos praestantissimos cives paene ex Acheronte excitatos, in quibus Numidicum illum Metellum), cuius quondam de*

*33) In editione Teubneriana, qua nulla magis uncorum deliciis gaudet, non solum verba *ab inferis* inclusa sunt sed etiam proxima sic scripta exhibentur *in quibus Numidicum illum [Metellum].* In praefatione haec adnotavit editor: '*Metellum del. Halm, Klotz*'. Adimus Kayserum, in cuius editione item *Metellum* uncinatum legitur in praefatione hac addita adnotatione: *illum Manutius, E* (h. e. editiones superiores omnes), *illum*

patria discessus honestus *omnibus* *sed luctuosus tamen visus est.*

Ex quibus Lambinus primus, dein Madvigius (Adv. crit. II p. 212 fg.), 9
iisdem paene uterque rationibus et verbis usus verba *ab inferis* expulerunt, utpote quae interpretamenti loco ad insequentia *paene ex Acheronte* adscripta primum, post alieno loco in ordinem invecta essent. Sed si haec tantum scripta erant *ut haberet in consilio et fratrem socium rerum suarum et omnes Metellos praestantissimos viros paene ex Acheronte excitatos*, vix erat quod illa perspicuae
10 orationi interpretandi causa adscriberentur, nisi quis forte de varietate dicendi admonere voluit quia Cicero et paulo post 26 *ab inferis excitandos* et pro Marcello scribit 6, 17 *multos Caesar ab inferis excitaret* et in eadem re referenda ita loquitur in Sestiana 62, 130 *cum ille omnes prope ab inferis evocasset Metellos;* sed ne id quidem valde probabile est propterea quod verba *ab inferis* non alieno loco adiecta sunt sed suo, quoniam frater quoque Me-

---

Metellum C (h. e. codicum consensus); dein Halmii volumen evolvimus: non habet nomen illud in textu sed adnotat *illum Manutius; illum Metellum codices.* In Orelliana prima nihil nominis in textu, in adnotatione altum silentium. Inspeximus Graevianam a. 1696, quae commentarium Manutii adnexum habet. In textu *in quibus Numidicum illum,* in commentario Manutii οὐδὲ γρῦ. In Lambini Sanctandreana a. 1584 in textu nomen non legitur, in adnotatione Lambini nihil, quamquam is pluribus verbis egit de verbis vicinis *ab inferis.* Quis igitur est aut qua ratione usus is qui primus hoc nomen ex Ciceronis oratione sustulit? id quod nos, quoniam nostram causam non ita attingit, editorum Tullianorum diligentiae, quae quanta fuerit vel hoc exemplo cognoscitur, indagandum relinquimus; quibus id quoque auctores sumus ut investigare velint, in qua editione hoc nomen prima desideretur, consultone an per errorem verba *Numidicum illum Metellum* extremo nomine deminuta sint. Nos ad hanc rem cum delati simus in eo subsistimus ut quaeramus editores novicii quo consilio hoc nomen, quod simul omnium codicum fide niti profitentur, tamen exulare iusserint: qui si meminissent, ut omittamus Numidici illius Metelli quoties mentio fiat apud Ciceronem, in Sestiana 62, 130 in eadem re narranda ita dici *ut etiam Q. Metellus consul . . . de mea salute rettulerit. Qui excitatus . . P. Servili quadam gravitate dicendi, cum ille omnes prope ab inferis evocasset Metellos et ad illius generis . . dignitatem propinqui sui mentem . . reflexisset, cumque eum ad domestici exempli memoriam et ad Numidici illius Metelli casum vel gloriosum vel gravem convertisset, conlacrimavit vir egregius ac vere Metellus* eqs, forsitan intellexissent nihil magis appositum in illa oratione potuisse scribi, quam quod exaratum esse in libris scriptis ipsi testantur *omnes Metellos . . in quibus Numidicum illum Metellum.*

telli (de quo vide Sest. 62, 131), utpote iam mortuus, revera erat *ab inferis* evocandus et aptum erat hoc statim in commemoratione fratris addi. Ut breviter dicamus, nobis Cicero ex illa quam explanavimus structura hoc videtur voluisse *et fratrem ab inferis et omnes Metellos excitatos;* quod quia non tam simplici oratione sed uberiore paulo ac verbosiore exprimitur, factum est ut deinde ad *Metellos* additis quibus opus non erat ex ista ratione verbis *paene ex Acheronte* eandem quam ante sententiam sed variata oratione referret et graviore. Itaque si quid demendum est, haec potius demantur oportet, quae tamen quis a se impetrabit ut ab Cicerone abiudicet.

Sed quod Ciceronem, si quid peccatum est, peccavisse ipsum arguimus, ne cui mirum videatur, en alterum exemplum, vilius illo, sed quod tamen non infructuosum sit attendisse. In tertia decima oratione in Antonium 17, 36 ex Antonii epistula haec afferuntur

> *difficile est credere eos, qui me praecipitem egerint aequissimas condiciones ferentem et tamen ex iis aliquid remittere cogitantem, putare aliquid moderate aut humane esse facturos.*

Apparet duo verba *credere* et *putare* se excipere apte in hac oratione non posse: poterat utrumque recte scribi, aut *difficile est credere, eos qui . . egerint, humane esse facturos* aut *difficile est eos qui . . egerint putare humane esse facturos.* Ambo verba in eodem enuntiato iungi molestum est. Itaque olim veteres critici *putare* ut errore natum induxerunt, verissimo illi quidem sensu, quoniam si alterum utrum abiiciendum est, *putare* verisimilius est esse quod praeter opinionem scribentis adiectum sit. Sed *putare* abesse non potest quippe quod Prisciani testimonium tueatur haec afferentis lib. XV p. 70, 10 *Cicero in* XIII *Philippicarum "putare aliquid moderate aut humane facturum."* Itaque *credere* de sede sua deiiciendum est, quod librarius, ait Madvigius (Adv. crit. III p. 155), ad *difficile est* addidit, cum nondum animadvertisset sequi *putare.* Sed hoc librarius ubi animadvertit, cur non ilico mutavit quod falso scripserat? At *credere* optime locum tuetur, quocum statim initium pendentis orationis coniungatur, *difficile est credere eos qui* . ., nec ulla re hoc verbum vituperari potest nisi quod insequitur alterum verbum eiusdem significationis, quod et ipsum commodo loco positum est sed praecedente illo nec desiderabatur

et structuram impedit. Quid ergo est? Nisi corrigere auctorem epistulae volumus, utrumque verbum retinendum est et sic statuendum, scriptorem, ut fit, immemorem eius quod iam posuit invitante oratione suo loco non idem iterum sed simile verbum posuisse*).

Non ignoramus hoc genus, cuius nos uno exemplo et ne Tulliano quidem defuncti sumus, apud ipsum Ciceronem latius patere, sed nobis satis sit verbo significasse argumentum, quod ampliorem indagationem requirat; quam operam aliis et iunioribus potissimum sumendam relinquimus.

Nos redimus illuc, et quoniam Ciceronis usum declaravimus, ab eodem dicendi modo ne Graecos quidem abhorruisse paucis exemplis oratoris Attici probare volumus, Lysiae. Qui ita scribit

4, 8 *ἡ δὲ τοτὲ μὲν ἐμὲ περὶ πολλοῦ, τοτὲ δὲ τοῦτόν φησι ποιεῖσθαι*

6, 25 *καὶ τούτων πότερα τοὺς θεοὺς χρὴ ἢ τὸ αὐτόματον αἰτιᾶσθαι*

12, 1 *ὥστε μήτ' ἂν ψευδόμενον δεινότερα τῶν ὑπαρχόντων κατηγορῆσαι μήτε τἀληθῆ βουλόμενον εἰπεῖν ἅπαντα δύνασθαι*

Ibid. 64 *ὥσπερ πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιον ἀλλ' οὐ μεγάλων κακῶν γεγενημένου*

34, 5 *οὐδὲ τοὺς λόγους πιστοτέρους τῶν ἔργων οὐδὲ τὰ μέλλοντα τῶν γεγενημένων νομιεῖτε.*

Quibus unum addimus Thucydidium, quod I 37, 2 legitur

ἐπετήδευσαν ξύμμαχόν τε οὐδένα βουλόμενοι πρὸς τἀδικήματα οὐδὲ μάρτυρα ἔχειν οὔτε παρακαλοῦντες αἰσχύνεσθαι.

Tandem e deverticulis revertimur ad verba Accii, quorum partem priorem seorsum a reliquis, quo magis conformatio patefieret, declarare studuimus, sed ea cum iis quae restant unam orationem efficiunt et hoc totum una expendatur necesse est: *nam nec Gemini lenones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit neque adeo Agroecus neque Commorientes Macci Titi.* Unde primum apparet verba *umquam fuit* ex superiore parte referri etiam ad haec postrema: *nec Anus Plauti nec Boeotia umquam fuit neque Commorientes Macci Titi* (*umquam*

*5) [*credere eos*[que] *qui* Sternkopfius in Herm. XXXVII (1902) p. 485 s., qua leni scilicet correctione vereor ne sententia corrumpatur.]

fuit), et quod propter metricam conformationem *fuit* in hac altera parte addiderunt, oratione recte aestimata vanum esse intelligitur. Atqui ne nomen quidem erat quod iterum poneretur, quoniam non solum *umquam fuit* sed *Plauti umquam fuit* in hac iunctura sententiarum audiri poterat: cum enim ita dicit *nec Anus Plauti nec Boeotia umquam fuit neque adeo Commorientes*, quis exspectat genetivum nominis addi? Vel si tamen scriptor genetivum abesse noluit, pro nomine licebat pronomine defungi *eius*. Sed quia *Macci Titi* scriptum est, quae eadem in prologo Mercatoris leguntur, et
11 quia vis quaedam pernegandi in iis est quae dicit *nec A. Plauti umquam fuit neque adeo C. Macci Titi*, his rationibus adductus Leo Accium existimavit prologis de fabularum origine Plautina testantibus obloqui ita quidem ut ad eorum indicia suae orationis formam accommodaret. In qua re hoc primum dicimus, licet nobis satis probasse videamur priorem partem sententiae Accianae unum efficere nec distribui in partes duas, ut ille voluit, quo tria essent quae separarentur fabularum genera, tamen orationis formam non impedire, quo minus duo saltem genera comoediarum distinguantur, quorum alterum *Plauti*, alterum autem *Macci Titi* nomine designetur, et quoniam, uti diximus, *Plauti* nomen saepius in prologis, semel *Macci Titi* occurrat, ex prologis Plautinis ductam Accii orationem statuatur. Sed haec quae fieri potuisse non negamus, quam fidem habere dicamus, nos valde ambigere fatemur. Nam quamvis speciosum sit, *Macci Titi* nomen et in prologo Mercatoris et in Accii sententia haberi, quo iure sumimus idem Plauti nomen in aliis quoque prologis lectum fuisse et earum praesertim fabularum quas Macci Titi esse Accius negabat? Cuius sententiam, quae hodie exstat, videmus mediam depromptam esse ex ea quam instituit de Plauti fabulis disputatione, in qua fieri non potuit, quin saepius Plauti nomina, cur enim unum solum, ponerentur ante. Sic certe universae sententiae, quam cui hariolari libet hoc modo animo sibi informet 'multae sunt fabulae quae a doctis hominibus pro Plautinis habeantur, quas ad Plautum poetam referre non licet', confirmandi causa subiiciuntur illa quae nos legimus exempla: *nam nec Gemini lenones nec Condalium nec Anus Plauti nec Bis compressa nec Boeotia umquam fuit neque adeo Agroecus neque Commorientes Macci Titi*. Et quoniam Accius non primus sed ante eum alii in veritatem fabularum Plautinarum inquisiverunt (hoc enim Gellius testatur, cum ineunte illo capite ita scribit *qui*

plerasque Plauti comoedias curiose atque contente lectitarunt non indicibus Aelii nec Sedigiti nec Claudii nec Aurelii nec Accii nec Manilii super his fabulis quae dicuntur ambiguae crediturum sed ipsi Plauto), quid vetat statuere illorum eum opinioni suum opposuisse iudicium prologorum nulla habita ratione? Qui quod aliis obloquitur, satis causae est cur graviore negandi formula utatur: fortius enim negat qui dicit fabulas Plauti numquam fuisse quam qui Plauti non esse, quamquam ne nimium huic dicendi modo tribuamus, reminiscendum est, apud comicos *numquam* nimis saepe in simplici negatione poni solere, velut, ut hoc exemplo utamur in re nota, Terentius ait Andr. II 4, 7 *numquam hodie tecum commutaturum patrem unum esse verbum;* ad quae Donatus sane adnotat *numquam plus asseverationis habet quam non.* Omnino nihil difficilius est aut periculosius quam orationem ex suo tenore sublatam, cum per se spectatur, iuste taxare sic ut nihil ei plus tribuatur neque minus quam par sit. Velut in Accii verbis quod prioribus comoediis per particulas *neque adeo* duae quae restant adduntur, non hoc indicat, ut nobis videtur, magis mirum esse aut minus credibile, has etiam a Plauto abiudicari: ut Agroecum mittamus, de qua nihil compertum est, ne Commorientes quidem a Terentio testatam fabulam sed a Varrone viginti unius fabularum corpore non receptam putamus hanc vim vocis flagitare, quamquam Ritschelius olim (Parerg. p. 15), nunc Leo aliter sentiunt; sed ita interpretamur, ut quia enumeratio fabularum falsarum etiam longius procedit et ad significatas ante aliae addun- 12
tur et novae, idcirco his particulis iunctis oratio progredi videatur, quas seiungi velle ob metri necessitatem nimis erat improbabile. Sed usum *adeo* particulae, quae plurima est vel in Terentii comoediis, magnae varietatis esse constat, ut aegre una notione amplecti liceat: sed hoc certum est saepe vim eius vocis cum alterum alteri adiicitur valde elevari, vix ut percipiatur aut reddi apte possit. Veluti quid magni discriminis putamus intercedere cum Thais dicit in Eunucho 744 *Scin tu turbam hanc propter te esse factam et adeo ad te attinere hanc omnem rem;* aut in illis in Phormione 931 *credis te ignorarier aut tua facta adeo.* Sed esto: neque enim fidentius affirmamus, sed hoc dicimus cavendum esse ne Accii verbis sic per se consideratis tribuantur quae aliena sunt. Quod idem fortasse cadit in nomen ab Accio positum pro eo quod poterat pronomine (*Macci Titi* pro *eius*), quamquam ne pronomen quidem

desiderabatur. Neque enim satis tuto proprii quid aut peculiare ex ea re efficitur quae dubium non est quin communem usum sermonis Latini sequatur. Poetis vel talia placuerunt: Horatio C. IV 8, 22 *quid foret Iliae Mavortisque puer si taciturnitas obstaret meritis invida Romuli:* satis erat *eius*, sed quem ante descripsit, dein nomine appellat, iniuriaque Hermannus (relat. Lips. I 282) *Romuli*, ne bis idem diceretur, mutandum censuit, recte accepit Bentleius ad C. I 7, 27; Epod. 3, 9 *ut Argonautas praeter omnes candidum Medea mirata est ducem, ignota tauris inligaturum iuga perunxit hoc Iasonem:* cum nec nomen proprium neque vero pronomen addendum esset; Tibullo I 1, 18 *pomosisque ruber custos ponatur in hortis, terreat ut saeva falce Priapus aves.* Sed idem quod poetae scriptorum consuetudo probavit, nonnumquam criticorum iniuriis condemnata. Quod genus Tacitus scribit dial. c. 13 *populus qui auditis in theatro Virgilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est:* nam abesse nomen altero loco potuit et deletur a nonnullis; sed abesse nomen potuit etiam in Ciceronis Acad. II 34, 111 *ne illam quidem praetermisisti reprehensionem Antiochi: nec mirum: inprimis enim est nobilis: qua solebat dicere Antiochus Philonem maxime perturbatum;* aut in Tusc. disp. III 32, 77 *non satis mihi videtur vidisse hoc Cleanthes, suscipi aliquando aegritudinem posse ex eo ipso quod esse summum malum Cleanthes ipse fateatur,* ubi sunt qui alterum *Cleanthes* inducant. Sed Accius non solum repetiit nomen, quo abstinere potuit, sed repetiit mutata forma ut quem ante *Plautum* vocarat, dein *Maccium Titum* appellaret: id quoque scriptorum more, ut ne in ea quidem re nescio quae reconditior causa delitescere videatur. Cicero quidem nonnumquam subito nomen aliud pro alio ponit, quod inscientem obstupefaciat ac perturbet, qui in Legibus I 2, 6 quem modo *Antipatrum* statim *Coelium* dixit, eademque varietate usus de orat. II 12, 54 *addidit* inquit *maiorem historiae sonum vocis Antipater .. est ut dicis, sed iste ipse Coelius neque distinxit historiam neque ..*, aut in defensione Milonis, quem *Milonem* vocat plerumque, aliquotiens *T. Annium*, mutatis etiam in vicinia nominibus, velut 2, 6, appellat, in principio autem Laelii haec scribit *Q. Mucius augur multa narrare de C. Laelio socero suo solebat .. ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam, ut a senis latere numquam discederem:* quibus nominibus cum saepe

18 variet in primo de oratore, tum de finibus I 3, 9 haec dicit: *ut a*

Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius, quem quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius, apud quem praeclare Scaevola, interpositisque versibus pergit *sed iure Mucius;* et in Catone mai. 7, 25 eadem oratione modo *Statius noster*, modo et bis quidem *Caecilius* vocatur*).

Quod vero Accius *Macci Titi* nomina hoc ordine h. e. praenomine postposito maluit quam inverso afferre, hoc is qui primus haec nomina restituit Ritschelius (Parerg. 15) poetarum more vindicavit quem Accius in versibus scilicet quos ille voluit secutus esset; sed idem genus ne a pedestri quidem oratione alienum fuisse exemplis probavit. In quibus sane attulit aut ab aliis afferri dixit quae posterior aetas non iniuria sprevit et depravata esse existimavit, quemadmodum in usu Liviano multo quam I. Fr. Gronovius severius iudicavit Madvigius (praef. ad III 29, 7). Exempla certa postpositi nomini praenominis sunt poetarum Ennii *catus Aelius Sextus* (Ann. 331), Pacuvii *poetae Pacuvi Marci*, si quidem haec Pacuvii sunt, quae Gellius affert I 24, et fortasse eiusdem Ennii *Cornelius suaviloquenti Ore Cethegus Marcus* (Ann. 303), quamquam hoc impeditius est et ex parte quidem videatur ad alterum morem accedere quo iam liberae reipublicae temporibus etiam pedestris oratio hoc sibi sumpsit, ut cognomina nominibus praeponeret et *Macer Licinius*, *Marcellus Claudius*, atque adeo *Scaevola Quintus* scriberet*). Quo de genere Mommsenus egit in Quaestionum Romanarum vol. I p. 41 et totam quaestionem quae est de positu nominum Romanorum curiosius persecutus Lahmeyerus in Philologo XXII p. 469 sqq.*) Quid ergo est? Relabimurne ad opinionem quam explosam putabamus qua Accius suam sententiam versibus exposuisse credebatur? Non opinamur, sed Accio putaveris poetae etiam in prosa oratione hoc licuisse ut qui *Titus*

*5) [Macrobio etiam haec non improbantur Sat. III 13, 3 *in actione, quam habuit cum Cicerone susceptam, precario a Tullio postulasset;* V 17, 1 *quid Vergilio contulerit Homerus hinc maxime liquet quod, ubi rerum necessitas exegit a Marone dispositionem* ..]

*23) [ut *Maximus Quintus, Tullius Quintus* apud Lucilium; *Plautius Marcus* in versibus notissimis apud Plinium n. h. XXXV 115; Festus p. 386, 9 *Aelius Gallus* sed ibid. 15 *Gallus Aelius*, idemque p. 504, 30.]

*26) [Curschmannum de inversione nominum (1900) quem alii laudant, ego non vidi. Nuper vero hoc genus omne accuratissime pertractavit Guilelmus Schulzius in magno opere quo nominum propriorum Latinorum historiam luculenter enarravit (Berolin. 1904) inde a p. 487.]

Maccius esset *Maccium Titum* appellaret. Illud contra ambigitur
hodie, Plautus fueritne revera *Titus Maccius* et ita appellatus sit,
et Leo quidem non a *Maccio Tito Macci Titi* sed a *macco Tito*
derivari voluit Plautumque, quem in prologo Asinariae (10) *Mac-*
cum dici Buechelerus intellexit, *Maccum Titum* tam in Accii verbis
quam in prologo Mercatoris denominari. Quod si recte statuitur,
et fatemur nobis valde probari quae Leo de initiis ac progrediente
ratione nominum Plautinorum exposuit, ne est quidem quod de
transpositis nominibus disceptetur, quae nondum in istum trala-
ticium et civilem ordinem abierunt, sed Accium intelligimus poetam 10
14 non potuisse nisi aut Plautum aut maccum Titum appellare neque
in ea re pependisse a prologo Mercatoris, qui eandem nominis for-
mationem habebat.

Sed haec utut iudicantur, neque nos fugit quid incerti habeatur in iis quae de altera parte dicti Acciani disputavimus, nos nihil agimus nisi ne nimis secure assentiatur iis quae Leo de prologorum Plautinorum ratione habita ab Accio quamvis ingeniose proposuit, ex quibus veremur ne colligantur quae recto talo stare non possint. Scr. m. Decembri a. MDCCCC.

LIV. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1901/02.

Quae ante hos sex menses prooemiandi causa hoc loco [illegible] posuimus, cum Accii poetae tragici iudicium de Plauti fabulis fact[illegible] disceptaremus, iis ne nimis tenuis esset disputatio nonnulla ad ip[illegible] Plauti comoedias pertinentia addituri eramus. Ea quae tum te[illegible]poris angustiis praepediti seposuimus cum nunc eadem occasi[illegible] promamus, quoniam perpauca sunt quae afferimus, hanc prolusion[illegible] illius esse appendicem volumus. Quarum communio ea est ut [illegible] tum usi sumus in expediendis Accii verbis interpretandi arte, [illegible] ad Plauti versus tralata temptemus quid effici possit. Cona[illegible]ur autem versus quosdam Menaechmorum de actu primo, saepe tra[illegible]tos et qui variam emendandi aut explicandi sortem sustinue[illegible]nt, ad suam rationem revocare si possumus. In qua re si nos op[illegible]io fefellerit, tamen erunt in hac scriptione, speramus, quae non[illegible]hil utilitatis afferre legentibus possint, iis praesertim quorum [illegible] haec, ut nostra omnia, dicata esse volumus, adulescentibus [illegible]genuarum artium studiosis.

Itaque Menaechmus, qui pallam ab uxore clam surreptam et sub pallio suo indutam et absconditam delaturus est ad amic[illegible], ubi foras exiens parasito occurrit, ab eo primum cupit, cui rapi[illegible] indicium facit, ob bene rem gestam magnis laudibus efferri, [illegible] ille minis auditis, quibus Menaechmus uxorem ab ianua abe[illegible]it, verens ne spes irrita fiat quam fovebat luculentam cenam in re[illegible] sui domo obeundi, aegre se eo adduci patitur, ut nesciens q[illegible] gratia, largiatur quem ille desiderat plausum et admirationem.

Ex hac condicione rerum hic inter duos sermo nascitur.

143 *ME. Dic mihi, enumquam tu vidisti tabulam pictam in pari[illegible]*
Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum —
145 *PE. Saepe, sed quid istae picturae ad me attinent? ME. [illegible]*
me aspice.
Ecquid adsimulo similiter? PE. Qui istic est ornatus tu[illegible]

4 *ME. Dic hominem lepidissimum esse me. PE. Ubi essuri sumus?*
ME. Dic modo hoc quod ego te iubeo. PE. Dico 'homo lepidissime.'
ME. Ecquid audes de tuo istuc addere? PE. 'Atque hilarissime.'
ME. Perge porro. *PE. Non pergo hercle, nisi scio qua gratia.*
Litigium tibi est cum uxore: eo mi abs te caveo cautius.
152 *ME. Clam uxorem est ubi sepulcrum habeamus atque hunc comburamus diem.*
PE. Age sane igitur, quando aequom oras, quam mox incendo rogum?
Dies quidem iam ad umbilicum est dimidiatus mortuos.
ME. Te morare mihi quom obloquere. PE. Oculum ecfodito per solum
Mihi, Menaechme, si ullum verbum faxo nisi quod iusseris.

Versum 152, cuius recte intelligendi causa totus tenor evolvendus erat, nos Menaechmorum fabula a. 1882 edita sicuti ex librorum scripturis et testimonio grammatici prodit perscripsimus:

Clam uxorem est ubi sepulcrum habeamus atque hunc comburamus diem,

eundemque Goetzius Schoelliusque in ea editione qua quo consilio nos unam fabulam, eo et severiore etiam totum Plautum edendum curaverunt, scilicet ut nisi quas certas haberent doctorum opinationibus non receptis Plauti comoedias quales testium fides exhiberet repraesentandas ducerent, in Menaechmis a. 1895 publicatis hoc modo scribi iusserunt

Clam uxorem † ubi sepulcrum habeamus atque hunc comburamus diem,

addita cruce critica profitentes nec suam pristinam scripturam neque alia aliorum commenta inde a Ritschelii temporibus proposita multa sibi placere neque vero probabilem et quae penitus satisfaceret emendandi rationem in promptu esse. Confidentior Leo, qui et ipse totum Plautum laudabili consilio et magna sollertia adornavit a. 1895. 96 sed diversa ab illis via inita ita ut universe quidem ad librorum memoriam se applicaret sed quae probabili modo corrigi posse viderentur corrigeret et exemplis argumentisque collectis breviterque expositis aut correcta stabiliret aut tradita sed obscura vel addubitata explicando vindicaret, in hoc quoque

versu restitui posse ratus quod sententia posceret nec poeta indignum esset, ab Ussingio meritissimo Plauti interprete sumpta suspicione scripsit

Clam uxorem est ubi pulchre habeamus atque hunc comburamus diem.

Sed eius editionis cum nos quidem multa probemus et scite instituta esse fateamur, in hac causa ab ipso et ab Ussingio longius discedimus, non quod negemus *pulchre habeamus* recte dici et de epularum lautitiis accipi posse, quod utrumque cum Ussingius tum Leo suis exemplis satis confirmarunt (Merc. 583; Epid. 157; Poen. 1366), sed quia vehementer dubitamus quam commode cum illis quae scribunt *ubi pulchre habeamus* connecti potuerint haec *atque hunc comburamus diem*, si quidem horum verborum vim propriam etiam in translatione uti par est retinemus; verum illi cum haec ad generaliorem quendam significatum depresserint, quem exemplis allatis declarant, velut Asin. 291 *quin ego hanc (linguam) iubeo tacere, quae loquens l a c e r a t diem*, Stich. 435 *hunc tibi dedo* 5
diem. ST. *Meam culpam habeto, nisi probe e x c r u c i a v e r o*, aliis, quae ne e longinquo quidem ad *comburendi* notionem accedunt, a falso principio profecti hoc porro effecerunt, ut quae sunt in Peniculi responso de *semimortuo die* et de *rogo* iam *incendendo*, iis occasio qua provocari potuerint et omne fundamentum sublatum sit. Ut mirum videatur hunc male cohaerentem criticorum culpa sermonem a Plautina in hoc genere virtute valde abhorrentem viris eruditis et in re Plautina egregie versatis placere potuisse; illud omittimus ne veri quidem simile esse, *ubi pulchre habeamus* abiisse in ea quae scripta sunt in libris *ubi sepulcrum habeamus*, aut Ussingio contigisse ut hoc qui factum esset probabili modo demonstraret. Contra ubi *mortuus* memoratur, quid miri ibi de *sepeliendo* dici, quae ut in rerum natura secreta non sunt, sic vulgari quadam loquendi consuetudine copulari solent, quod genus in Amphitruone 1074 narrat Bromia *quis hic est senex, qui ante aedes nostras sic iacet? numnam hunc percussit Iuppiter? credo edepol, nam pro Iuppiter s e p u l t u s t quasi sit m o r t u u s*, ubi non intelligimus quid sit quod Leo hanc dictionem suspectam esse dicat, aut quae de Ennii Euhemero refert Lactantius div. inst. I 11, 65 *Caelo avo quem dicit Euhemerus in Oceania m o r t u u m et in oppido Aulacia s e p u l t u m;* similia Livius, ut XXXVI 20, 5 *ibi mortuus sepultusque Alexander;* aut XXXVIII 56, 1 de Scipione cum dicit *multa alia*

in *Scipionis exitu maxime vitae dieque dicta, morte, funere, sepulcro in diversum trahunt ...; alii Romae alii Literni et mortuum et sepultum;* ne Suetonium dicamus saepe eo modo locutum in poetarum vitis, aut Gellium, aliosque multos. Quare ut hoc in transcursu memoremus, in vita Terentii qui leguntur versus Porcii (p. 28 R.)

Mortuus Stymphali Arcadiae oppido nihil P.
Scipio profuit

posteaquam ipso Suetonio teste eosdem versus iterum citante (p. 33 R.) probavimus sic exaratos fuisse

Mortuus Stymphali Arcadiae oppido
Scipio nil profuit, nil Laelius, nil Furius,

defectum autem orationis hac via patefactum non posse aptiore aut simpliciore supplemento quam quo usi sumus expleri

Mortuus Stymphali Arcadiae oppido sepultus est,

hoc futilibus rationibus impugnatum est ab iis qui negligentes usum vulgarem versum integerrimum in suspicionem interpolati vocarunt, cuius forma quam restituimus proxime accedit ad versum qui praecedit

*Post sublatis rebus ad summam inopiam redactus est**),

et ipsum nuper, ut nobis videtur, parum feliciter tractatum.

Sed in Plauti versu non *sepeliendi* verbum positum est sed *sepulcri* nomen: quo nomine prave intellecto errores nati sunt qui huius versus scripturam et sententiam plane perverterunt. Velut Ritschelius haec olim ita edenda censuit versuum ordine inverso:

ME. Te morare mihi quom obloquere. PE. Oculum ecfodito persolum
Mihi, Menaechme, si ullum verbum faxo, nisi quod iusseris.
ME. * * * *clam uxoremst ubi sepulcrum habebimus,*
* * * * *atque hunc comburamus diem.*

Qui quae supplementa orationis, quam hiantem ex integra effecit ipse, proposuit

ME. [Magis sapis nunc. nam] clam uxoremst, ubi sepulcrum habebimus:
[Ubi polluceamus lepide] atque hunc comburamus diem,

eo magis aperiunt, *sepulcro* in ea sententia locum non fuisse, fuisse *sepulturae*; nam hoc suo iure negavit Ussingius *sepulcrum habere*

*20) Terentius Phorm. 943 *Sepultus sum* in exitu versus.

idem posse valere quod *funus facere,* qua metaphora Peniculus postea usus est de sublato convivio cum ita diceret (492 sq.) perapte et concinne

Fecisti funus med absente prandio
Cur ausus facere, quoi ego aeque heres eram.

Quod vero Ussingius ob eam causam *sepulcrum* ab hoc loco plane alienum esse contendit, verendum est ne plus affirmaverit quam praestare potuerit: nam illam vim quae quadrare in hanc sententiam poterat si *sepulcrum habeamus* non habet, quis scit an aliam habeat et meliorem. Neque magis Schoellio, qui in repetita Menaechmorum editione Ritscheliana restituto versuum ordine sed hiatu prope ad Ritschelii exemplum relicto versum hoc modo exhibuit

Clam uxoremst . . . .
Ubi sepulcrum habeamus atque hilare hunc comburamus diem

accedendum est, opinamur, in eo quod in Appendice adiecta ad hunc versum scribit *sepulcri* sensum explicandum esse ad similitudinem eorum quae in Pseudulo hic servus dicit confidenter (410)

Erum eccum video huc Simonem incedere.
Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie quas dem erili filio,

et quae ad haec Lorenzius adscripserit memorato versu Laberii (123 R.)

Ita me vetustas amplexu annorum enecat:
Sepulcri similis nil nisi nomen retineo.

Utrobique vetustatis notioni inservit sed non plane eodem modo *sepulcri* commemoratio: intelligitur autem monumentum in sepulcro erectum, quod nomen ferre sepulti solebat, alibi etiam thesaurum ibi absconditum retinere, ut apud Terentium in Eunucho v. 13. Atque hoc genus sepulcrorum cum Varro designet qui de l. L. VI 49 *sic monimenta,* inquit, *quae in sepulcris, et ideo secundum viam quo praetereuntis admoneant et se fuisse et illos esse mortalis,* tum alia quae ad explicandos Ennii versus (Ann. 411 sq.) *Reges per regnum statuasque sepulcraque quaerunt, Aedificant nomen* attulimus in prooemio a. 1886/87 (Op. ac. P. I p. 351 s.). Ciceronem quoque, qui in extremo libro II de legibus *ius sepulcrorum* explanat, cum *has* 7
amplitudines sepulcrorum (p. 156, 3) aut *sepulcrorum magnificentiam* (p. 154, 1) vel *eam funerum sepulcrorumque magnificentiam* (p. 157, 3), unde intelligas *funerum* et *sepulcrorum* esse differentiam, similia,

dicit, credibile est inprimis monumenta dicere in sepulcris excitata. Quin etiam Horatius cum ita loquitur

nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem,
Neque Africani cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit,

sepulcrum, putamus, dicit monumentum quod in sepulcro erigitur, translata oratione affirmans vere mortuum et sepultum esse bellum cui Africani virtus hoc monumentum in solo Carthaginiensi hoc est eo loco ubi sepultum est condiderit.

Sed haec sepulcrorum significatio ut notissima est, ita in versu Menaechmorum quomodo locum habere potuerit aegre dispicitur. Cui ne ordo quidem, quo poeta haec duo tamquam paria coniungit *sepulcrum habeamus* et *hunc comburamus diem* satis esse accommodatus videatur. Quid ergo est? Redeundum est ad primitivam vim vocis ut nanciscamur id quod unice haec sententia ferat et flagitet.

Sepu]*lchrum est ut ait Gallus Ael*[*ius locus in quo*]
mortuus sepultus est, quod ant[*iqui bustum appel*]
labant, isque cippis aut ali[*qua alia re mor*]
tui causa designatus est, intra [*quos fines sepul*]
tura est facta.

Ita Festus loquitur p. 504, 29 Th. loco valde lacero sed cuius supplementa a doctis adhibita sententiae quidem satisfacere videntur. Cui addimus de *busto* memorato haec quae alio loco refert Paulus ex Festo excerpta p. 23, 21 Th.

Bustum proprie dicitur locus in quo mortuus est combustus et sepultus diciturque bustum quasi bene ustum; ubi vero combustus quis tantummodo, alibi vero est sepultus, is locus ab urendo ustrina vocatur: sed modo busta sepulchra appellamus.

Apud eundem Festum ne haec quidem praeterire volumus quae p. 386, 21 Th. leguntur

Inter sacrum autem et sanctum et religiosum differentias bellissime refert (Aelius Gallus supra citatus): *sacrum aedificium consecratum deo, sanctum murum, qui sit circum oppidum, religiosum sepulcrum, ubi mortuus sepultus aut humatus sit, satis constare ait.*

His quae ad Verrium Flaccum redeunt Aelio Gallo teste utentem

adiungimus quae in similem sententiam sed ut nobis videtur paulo obscuriorem exponit Varro de l. L. v 23

> *et quod terra sit humus, ideo is humatus, mortuus qui terra obrutus. ab eo quom mortuus* [*Romanus* vulgo] *combustus est, in sepulcrum eius* [h. e. in locum eum ubi combustus est, ad obtegenda ossa] *abiecta gleba non est, aut, si os exceptum est mortui ad familiam purgandam, donec in purgando humo est opertus (ut pontifices dicunt quod inhumatus sit), familia funesta manet.*

Denique Cicero in ea parte quam diximus secundi de legibus (22, 57) scribit haec:

> *nec tamen eorum* [scil. *qui conditi sunt*] *ante sepulcrum est quam iusta facta et porcus caesus est; et quod nunc communiter in omnibus sepultis venit usu, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus iniecta contexerat, eumque morem ius pontificale confirmat. nam prius quam in os iniecta gleba est, locus ille ubi crematum est corpus nihil habet religionis: iniecta gleba, tum mortuus humatus est et sepulcrum vocatur ac tum denique multa religiosa iura complectitur.*

Sic enim quae in libris depravata sunt *tum et illis h. e. et gleba vocatur* corrigenda esse olim statuimus cum Festi Varronisque testimoniis collatis tum illis quae Cicero ipse scribit ibidem p. 142, 2 *quo tempore incipiat sepulcrum esse et religione teneatur;* neque iis quae obiecta vidimus movemur ut sententiam mutemus. Non oportet singillatim ea quae sunt in his testimoniis interpretandi subtilitate persequamur, quod ut est difficile, ita in causa nostra non requiritur. Hoc certe apparet ex omnibus, sepulcrum vulgo dici solitum locum in quo homo mortuus sepultus est, sive combustus sive humatus intelligitur sive utrumque eo modo quem Cicero et Varro subindicant. Ac sepulcrum quod corpus mortui terra obrutum recipiat Cicero Platonis interpres describit p. 158, idem iam ante p. 154 cum qui Athenis mores humandi fuerint enarrat. Sed plerumque cum de *sepulcris* dicitur, rogum et comburendi usum intelligi vel illa testimonio sunt quae idem Cicero l. c. p. 151 ex legibus XII affert: *duae sunt praeterea leges de sepulcris, quarum altera privatorum aedificiis, altera ipsis sepulcris cavet: nam quod rogum bustumve novum vetat propius sexaginta pedes adigi aedes alienas invito domino, incendium veretur acerbum,*

quod autem forum, id est vestibulum sepulcri, bustumve usu capi vetat, tuetur ius sepulcrorum. Quaeque ex eadem lege de iure sepulcrorum excerpsit p. 146 *hominem mortuum in urbe ne sepelito neve urito,* quorum verborum discrimen et hoc loco explicat et rursus in eandem sententiam p. 151, et quae de rogo affert p. 147, indicio sunt sepeliendi et urendi consuetudinem pari vetustate exstitisse recteque dici sepulcrum esse locum in quo homo mortuus sepultus aut combustus est. Eumque dicendi morem poetae secuti sunt, velut Catullus, ut hoc uno utamur, c. 68 cum haec de fratre in Troia mortuo et sepulto dicit 97

Quem nunc tam longe non inter nota s e p u l c r a*)
Nec prope cognatos compositum c i n e r e s,
Sed Troia obscena, Troia infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo,

tum illa praeclara (89)

Troia (nefas) commune s e p u l c r u m *Asiae Europaeque,*
Troia virum et virtutum omnium acerba c i n i s,

h. e. Troiam eum locum designat et exsecratur in quo Asia et Europa communi sorte sepulta iaceat ut mortua.

Nondum satis dictum est de sepulcro: quamquam fastidiosi veremur ne nota nos crepare insimulent. Sunt sane nota, nihil in iis reconditum aut occultum, sed ea nota nemo tamen eorum qui versum Plautinum vexarunt reminisci voluit. Sed *sepulcrum* in Menaechmorum versu iam dicere licet non eum locum appellari in quo mortuus sepultus est verum eum potius in quo qui moriturus est sepeliendus et comburendus erit ubi mortuus est. Neque hoc genus loquendi, non multum illud quidem a superiore diversum sed tamen attendendum ne quem ea diversitas impediat alienum fuit ab usu scriptorum, velut Cicero ita loquitur pro, Milone 38, 104

Hicine vir patriae natus usquam nisi in patria morietur? huius vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini?

h. e. nullum locum patiemini esse in Italia in quo corpus eius sepeliri possit. Eundem sensum vocis agnoscimus in exsecrationibus Thyesteis, quas Cicero ex tragoedia Ennii memoriae prodidit Tusc. disp. I 44, 107

*11) Cf. 96, 1; Propertius III 7, 10 *cognatos inter humare rogos.*

Illud perquam inane.

Neque sepulcrum quo recipiat habeat portum corporis
Ubi remissa humana vita corpus requiescat malis.

Vides quanto haec in errore versentur: portum esse corporis et requiescere in sepulcro putat mortuum.

Semper eadem vis sepulcri: invidet Thyestes fratri sepulcrum h. e. eam particulam terrae in qua corpus mortui sepeliatur. Postremo addimus haec de Andria Terentii ex venusta narratione de funere Chrysidis

117 *Ecfertur, imus: interea inter mulieres,*
Quae ibi aderant, forte unam aspicio adulescentulam — —
127 *Funus interim*
Procedit. sequimur. ad sepulcrum venimus;
In ignem impositast; fletur.

h. e. ad eum locum venimus, ubi mortua comburenda erat.

Quodsi satis docuimus sepulcrum dici locum in quo mortuus sepultus sit aut eum in quo mortuus sepeliendus sit vel sepeliri possit, id quod hac postrema narratione Terentiana vel maxime patefactum est, iam nos nihil moratur quo minus versum Plauti accurate interpretemur. Cum enim Menaechmus dicere velit, litigium cum uxore, quod parasiti anxia cura de cena obiecerat, nihil se impedire, utpote qui seorsum ab uxore locum habeat in quo consumere diem possit, hoc ille imagine usus ita exprimit, ut dicat se clam uxorem habere sepulcrum in quo sepulcro comburere diem possit. Quippe dies qui consumitur est quasi homo qui moritur et locus ubi consumitur sepulcrum est in quo comburitur quasi mortuus. Omnia in hoc translato dicendi modo apte cohaerent, eaque imago scitissime continuatur a Peniculo, cum eodem adhibito simili respondeat, si res ita se habeat ut dies in sepulcro nescio quo comburendus sit, properandum esse ut rogus incendatur, 10
quoniam dies qui agatur iam paene mortuus sit. Quae si probabiliter disputata sunt, consequens est ut *sepulcrum* agnoscamus et recte scriptum et necessarium esse in hac sententia neque alio modo accipi posse quam diximus. Id quoque opinamur apparere, non esse quod cum Ritschelio et Schoellio de mutilata oratione cogitetur, cum haec quae dicimus una sententia complectatur neque intelligatur quid ibi desiderari dicas.

Sententiam et tenorem orationis explanavimus: restant nonnulla in verbis et in mensura versiculi accuratius expendenda.

Libri enim Plautini cum haec tradant *Clam uxorem ubi sepulcrum habeamus,* perspicuum est hanc pendentem esse orationem utpote quae nihil habeat quo nitatur. Eo certius est verum esse et ad hunc versum pertinere quod Charisius affert I p. 145, 17 K. '*te ablativo: clam te est: atquin Plautus in Menaechmis "clam uxorem est"; nisi forte clam et accusativo et ablativo possit aptari.*' Addito enim verbo *est* oratio et recta exstitit et elegans: *est ubi sepulcrum habeamus.* Sic Horatius (ep. I 10, 15 sqq.) in interrogando loquitur

Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura
Leniat et rabiem canis et momenta leonis?
Est ubi divellat somnos minus invida cura?

et sine interrogatione Cicero Tusc. disp. V 8, 23 *quod ex maiore parte unam quamque rem appellari spectarique dicunt, est ubi id isto modo valeat.* (Hor. ep. II 1, 63.) Quod ea vocula in Plauti libris intercidit post *uxorē,* nihil miri est aut singulare, neque ex eo indicio colligere licet mancam esse orationem, cuius rei vestigium in sententia nullum esse vidimus. Sed quod Menaechmus ita dicit *Clam uxorem est ubi sepulcrum habeamus,* in eo nos olim significavimus peccatum esse et scribi oportere *est ubi sepulcrum habeam;* id etsi videmus superbo fastidio repudiatum esse, tamen etiam nunc retinemus ita sentientes, si quis non occupata mente verum sobrio iudicio rem perspicere velit, eum non posse non intelligere hoc verum esse et Menaechmum, quemadmodum postea (669) dicit

Male mi uxor sese fecisse censet, quom exclusit foras:
Quasi non habeam quo intromittar alium meliorem locum,

sic nunc de sepulcro h. e. de domo meretricia non posse nisi ita loqui ut semet id clam uxorem suam habere affirmet. Nimirum diversa sunt quae idem dicit 173 sqq.

Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium.
Mihi tibi atque illi iubebo iam adparari prandium.
Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus

et quae similia cum amicae mandat prandium 184

Ego istic mihi hodie adparari iussim apud te proelium,
in eo uterque proelio potabimus

et 208

Iube igitur tribus nobis apud te prandium accurarier.
nos prodimus ad forum.
Iam hic nos erimus: cum coquetur interim potabimus.

11 Communionem enim esse cupit Menaechmus in potando, sed se-

pulcrum quod haberet non poterat nisi unius esse Menaechmi neque secus significari. Ambiguum est, fatemur, iudicium de altero verbo: *comburamus* enim numero plurali possis probare, ut Menaechmus se una cum parasito hunc diem comburere h. e. consumere velle indicet; verum tamen haec verba per *atque* particulam copulata, quorum alterum alteri necessario est supplemento, adeo in unam sententiam coeunt ut variatio numeri videatur excludi. Itaque existimamus versum sic scriptum fuisse

Clam uxorem est ubi sepulcrum habeam atque hunc comburam diem.

Neque veremur ne nimiae hoc audaciae incusetur quod bis *am* pro *amus* in continuis scilicet et comparibus verborum formis ponatur; quae etsi mera scribendi socordia permutari poterant, tamen haud scias an probabilius sit errore mentis peccatum esse propterea quod apertior in his invitatio Peniculi exspectabatur. Et erunt fortasse hodie qui eodem sensu ducti hoc quod Menaechmus fatetur de se satis non esse arbitrentur ad parasitum conciliandum eique spem novam cenae ostendendam. Qua de re ne prave iudicetur, age iter sermonis quod fuerit rursus recognoscamus. Quae enim Menaechmus (123) uxoris puniendae causa minatur

Atque adeo, ne me nequiquam serves, ob eam industriam
Hodie ducam scortum ad cenam atque aliquo condicam foras,

haec clam audiens Peniculus ita secum ratiocinatur (125 sq.)

Illic homo se uxori simulat male loqui, loquitur mihi;
Nam si foris cenat, profecto me, haud uxorem, ulciscitur.

Metuit enim si patronus foris cenat ne nulla pars in ea cena sibi sit futura idque est quod (147) satis intempestive interrogationem *Ubi essuri sumus?* interponat et deinde (151) expressis verbis aperiat, quem sibi metum illud Menaechmi litigium cum uxore natum incutiat

Non pergo hercle, nisi scio qua gratia,
Litigium tibi est cum uxore: eo mi abs te caveo cautius.

Cui quod ille respondet esse sibi nesciente uxore alium locum ubi consumere diem liceat, quis non videt, hoc satis esse indicii, quo Peniculus se non exclusum iri colligat: quo enim alio consilio haec aperiat Menaechmus? Itaque spem oblatam excipiens Peniculus haec subiicit certus se expertem non fore, *Quando aequom oras, quam mox incendo rogum?* Eumque recte sensisse quamvis cum reprehensione confirmat Menaechmus, cum hoc regerit *Te morare, mihi quom obloquere.* Itaque illo argumento quo quis usus

nostris rationibus adversetur nihil labefactati obtinemus id quod ipsa sententia flagitari diximus, de se ipso ut Menaechmus dicat *est ubi sepulcrum habeam atque hunc comburam diem.*

Haec nos de sententia et orationis forma persecuti sumus versus mensuram interim nihil curantes; atque hoc nos recte instituisse arbitramur et iis quibus haec scribuntur, non doctis hominibus sed discentibus, saepe auctores sumus ut caveant ne numerorum modula-
12 tione de sententia et verbis decipiantur. Nunc ex iis quae aliis rationibus constituimus simul hoc nobis contigit ut versus non vituperabilis exiret. Et in altera eius parte a *sepulcrum* currit numerus expedite

sepúlcrum habeam atque hunc cómburam diem;

in principio autem nihil est quod correctionem recipiat: *clam uxorem* duplici fide praestatur; *est ubi* vero et testimonio et usu dicendi declarato confirmatum est: itaque nihil restat nisi ut *ubī* extrema syllaba producta a Plauto positum concedatur. Et hoc nec ratione caret nec exemplis; nam *ubi* (et quod illi compar est *ibi*) notum est et testatum natura *i* longum habere, id autem usu Plautino ad brevitatem esse depressum: sed cum pronomina *mihi tibi sibi*, quorum eadem est natura, quamquam plerumque syllabam finalem correptam habent, tamen non raro et in variis versuum generibus primitivam naturam recipere videamus, cur hoc minus credibile sit accidisse in *ibi* et *ubi* particulis. Exempla autem Plautina quibus *ubi* ultimam productam habeat, R. Klotzius attulit in arte metrica priscorum poetarum Romanorum (p. 51 et al.), in quibus sunt quaedam quae ille subtilioribus rationibus metricis effecit, ut satis certa non sint; certa sunt et ne a Leone quidem repudiata Trucul. 506

Quín ubí natust machaeram et clipeum poscebat sibi?

Aulul. 700

Ibo íntro, ubí de capite meo sunt comitia,

in quibus versibus non nos praeterit, ne quis censeat, quibus scribendi aut dimetiendi modis hoc evitari possit, ut *ubi* sit pro voce iambica, sed causam desideramus qua causa amoveatur quod et ratio tueatur et analogia; nec ignotum est quid Ritschelius olim peccaverit quod *mihī tibī* tolerare noluit eaque saepe leni, subinde fortiore opera sustulit*). Itaque his exemplis freti et con-

*35) Quidni exempli causa in re notissima afferimus vel illud ex Menaechmis 1107

Ést tibí nomen Menaechmo?

Ritschelius *Éstne tibi n. M.*, prave, quamquam 297

firmati, ut iam concludamus quae effecimus disputando, sic statuimus versum Menaechmorum 152 ita scriptum fuisse et ita esse dimetiendum

Clam úxorem est ubí sepulcrum habeam atque hunc comburam diem.

Sed priusquam hoc argumentum relinquamus, redeundum est paulisper ad versus Terentianos de Andria quos attulimus; qui quia nobis in versu Plautino tractando inprimis utiles fuerunt, aequum est nos iis hoc aliquo subsidio si possumus rependere. In Fleckeiseni enim editione Terentii altera v. 117 sic legitur *Ecfertur intus*, cum in libris qui exstant Terentianis scriptum sit *Ecfertur imus*. Quae est sane mutatio pusilla admodum, sed videndum est ne eadem sit corruptela gravior. Id quale sit ut cognoscatur et recte diiudicetur, necesse est eius narrationis tenorem explicemus.

105 *Chrysis vicina haec moritur* — — 18
115 *Egomet quoque eius causa in funus prodeo*
Nil suspicans etiam mali. SO. Hem quid id est? SI. Scies.
117 *Ecfertur, imus. interea inter mulieres,*
Quae ibi aderant, forte unam aspicio adulescentulam
Forma SO. Bona fortasse? SI. et voltu, Sosia,
120 *Adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.*
Quae tum mihi lamentari praeter ceteras
Visast, et quia erat forma praeter ceteras
Honesta ac liberali, accedo ad pedisequas,
124 *Quae sit rogo. sororem esse aiunt Chrysidis.* — —
127 *SO. Quam timeo, quorsum evadas. SI. Funus interim*
Procedit. sequimur. ad sepulcrum venimus:
In ignem impositast. fletur.

Quis qui paulum modo sensu venustatis imbutus est haec non cum iucunditate leget? In his igitur qui 117 *Ecfertur intus* scripsit, intellexit nimirum effertur corpus mortuae ex interiore parte domus. Quod neque hoc loco aptum videtur neque *efferendi* usui accom-

---

Est tibi Menaechmo nomen

legitur. Aut 302

Non scis quis ego sim qui tibi saepissime
Cyathisso?

Ritschelius *tibimet qui saepissime* depravata etiam oratione; quae *tibimet* ne ferebat quidem. [De *ubi* adde Casinae 245 ab editoribus sic distinctum:

Unde is nihili? ubi fuisti? ubi lustratus? ubi bibisti?]

modatum est: quod verbum universe de sepultura ac funere dici solet, velut Cicero de leg. II 26, 66, ubi Demetrium Phalereum dicit *funerum sepulcrorumque magnificentiam* minuisse lege, *is igitur*, inquit, *sumptum minuit non solum poena sed etiam tempore: ante lucem enim iussit e f f e r r i*. Ad eum modum Terentius cum dicit *ecfertur, imus* initium funeris intelligit, et ne est quidem quod subiecti loco ex superiore parte *funus* cogitetur, et illa duo verba iunguntur non aliter ac paulo post (127) *funus interim procedit, sequimur*, quibus verbis post interiectam narrationem quae est de sorore Chrysidis superiora illa (117) *Ecfertur, imus* repetuntur, sed ut simul funus interea longius provectum esse indicetur, quod iam prope accessit ad eum locum in quo mortua comburenda et sepelienda erat. Sed scriptura librorum *Ecfertur, imus* cum suis rationibus stabiliatur, tum testem nacta est ea fide et auctoritate qua maior cogitari vix possit. Non Servium dicimus, cuius testimonium novicium est, sed Ciceronem, qui de orat. II 80, 326 cum de brevitate narrandi agat, hac narratione Terentii, quam magnis laudibus effert, usus est exemplo. Ibi haec dicit

> *Narrare vero rem quod breviter iubent, si brevitas appellanda est cum verbum nullum redundat, brevis est L. Crassi oratio; sin tum est brevitas cum tantum verborum est quantum necesse est, aliquando id opus est; sed saepe obest vel maxime in narrando, non solum quod obscuritatem adfert, sed etiam quod eam virtutem quae narrationis est maxima, ut iucunda et ad persuadendum accommodata sit, tollit. videant illa*
>
> *Nam is postquam excessit ex ephebis (Andr. 51).*
>
> *quam longa est narratio. mores adulescentis ipsius et servilis percontatio, mors Chrysidis, voltus et forma et lamentatio*
> 14 *sororis, reliqua pervarie iucundeque narrantur. quodsi hanc brevitatem quaesisset*
>
> *Ecfertur, imus, ad sepulcrum venimus,*
> *In ignem imposita est,*
>
> *decem versiculis totum conficere potuisset: quamquam hoc ipsum e c f e r t u r, i m u s concisum est ita ut non brevitati servitum sit sed magis venustati. quodsi nihil fuisset nisi i n i g n e m i m p o s i t a e s t tamen res tota cognosci facile potuisset. sed et festivitatem habet narratio distincta personis et interpuncta sermonibus, et est et probabilius quod gestum esse dicas cum quemadmodum actum sit exponas.*

Haec est perelegans expositio, quam non paenitet attulisse totam. In qua cum Cicero, ut brevitas narrandi quae esse possit exemplo monstret, haec omissis mediis componat, *Ecfertur, imus. ad sepulcrum venimus,* illorum verborum sensum quem diximus manifesto exprimit, idemque planius etiam aperit iis quae adstruit *quamquam hoc ipsum Ecfertur imus concisum est ita* eqs. Repone *intus*, ut habeas *Ecfertur intus, ad sepulcrum venimus* vel postea *Ecfertur intus concisum est*, ilico percipies ineptam ex perapta orationem evasisse. Et hoc nos effecimus nostro arbitratu qui in testata scriptura acquiescere nolumus sed mutandi levitate saepe fallaci obtrudimus poetae quod tam ipse quam laudator eius non potest non respuere et aspernari.

Revertimus ad Plautum et ad Menaechmum. Qui posteaquam Peniculo spem insperatam cenae fecit, properanti ad rogum incendendum in quo dies comburatur, indignabundus respondet (155)

Te morare, mihi quom obloquere.

Haec enim verba hoc loco recte subiiciuntur, neque erit hodie ut olim qui horum versuum ordinem turbatum esse suspicetur. Peniculus quidem etiam ante Menaechmo moras creavit obloquendo propter metum quo tenebatur de cena; sed rursus cum de cena securus iam quietus exspectare potuérit quo ille evasurus sit, quod ad festinationem incitat, morari Menaechmi consilium videtur, qui hoc agit ut prius quam ad prandium parandum pergat, furtum a se factum parasitus cum admiratione excipiat. Itaque illa reprehensione *Te morare, mihi quom obloquere* motus Peniculus, cum intelligat quas illi pariat moras suas esse, cum exsecratione sui asseverat se iam nihil patrono suo oblocuturum.

Oculum ecfodito per solum
Mihi, Menaechme, si ullum verbum faxo nisi quod iusseris.

In his verbis *persolum*, quae est librorum scriptura, sive *per solum*, quod nunc fere editiones ferunt, magnopere ingenia doctorum exercuit et exercebit: sed auguramur fore aliquando ut hoc dicendi genus in sua luce niteat et frustra laborasse homines cum risu clamet. Nobis hoc ut efficeremus nimirum non contigit, sed quia in his quae hodie probantur sunt quae falsa sint et obesse cognitioni veri posse videantur, de iis agere constituimus, ut simul afferamus, ab aliis quod sciamus nondum allatum, quod forsitan in re expedienda usui sit.

Ergo ad emendandam vocem *persolum* quae varie proposita

sunt iam fere in oblivionem reciderunt neque est opinamur quod eorum memoriam suscitemus; quae vero in explicandis verbis temptata sunt, ex iis non indignum est quod consideretur A. Spengelii commentum qui a Poenuli verbis 569 sq. profectus

AG. Optime itis, pessime hercle dicitis.
Quin etiam deciderint vobis femina in talos velim.
AD. At edepol nos tibi in lumbos linguam atque oculos in solum

ipsa similitudine sententiae advertente utrobique *solum* plantam pedis dici sibi persuasit (Philolog. XXVII 1868 p. 340 sq.). Et in Poenuli quidem versibus, qui quas dubitationes pepererint de fide omittimus, sive ei Plauti sunt sive a nescio quo interpositi, is qui scripsit, in hac concinnitate qua vota contraria permutantur, non videtur dubitari posse quin alterum hoc regerere convicium voluerit, ut illi linguam in lumbos, oculos autem cadere in plantam precetur. Cui non ita absimile est, quod Peniculus de se, quo augeat asseverationis pondus, non contentus dixisse *Oculum ecfodito mihi*, cumulate dicat *oculum ecfodito per solum* (nam sic distincte scribi iussit Spengelius) h. e. ut in plantam cadat vel per plantam exeat. Quod si cui prodigiosum videatur, oculum effodere alicui ut ex planta prodeat, reminiscendum est, in hoc genere exsecrandi exaggerationem sibi rite locum poscere, velut in Casina haec leguntur (390 sq.)

CHA. Ut quidem hercle pedibus pendeas.
OL. At tu ut oculos emungare ex capite per nasum tuos,

ne Homerica memoremus (Il. XV 280) τάρβησαν, πᾶσιν δὲ παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός aut quae Schilleri poetae nostratis audacia in simili exsecratione sui sibi permisit, *Entwischt mir eine Locke Haar, so sollt ihr meine zwei Augen in eine Windbüchse laden und Sperlinge damit schiessen.* Sed esto: neque enim hoc verum esse praestamus, cum non inepte excogitatum esse affirmemus. Illud erat ineptum, si quid sentimus, quod nuper contendi vidimus, *solum* esse utroque loco *cavum oculi*, quod a Poenuli versibus abhorrere ipse tenor sententiarum et consilium dicentis patefacit, neque nostro facile intelligas quid hoc sibi velit *oculum ecfodere per cavum oculi* aut quid hoc ad augendam exsecrationem faciat. Quanto aptius quod in Menaechmis 1014 dicitur (cf. 1011)

ME. Teneo ego huic oculum. MES. Face ut oculi locus in capite appareat

h. e. eripe ei oculum, ut inanis oculi locus in capite conspiciatur.

Novam viam interpretandi ingressi sunt recentiores Plauti interpretes Schoellio principe, qui non de hominis solo sed de solo oculi agi instant idque Statii verbis de Thebaide confirmari censent. In Thebaidos enim primo a v. 46 haec narrantur de Oedipo

46 *Impia iam merita scrutatus lumina dextra*
Merserat aeterna damnatum nocte pudorem
Oedipodes longaque animam sub morte tenebat.
Illum indulgentem tenebris imaeque recessu
Sedis inaspectos caelo radiisque penates
Servantem tamen adsiduis circumvolat alis 16
Saeva dies animi scelerumque in pectore dirae.
Tunc vacuos orbes, crudum ac miserabile vitae
Supplicium, ostentat caelo manibusque cruentis
Pulsat *inane solum* *saevaque ita voce precatur.*
'Di, sontes animas angustaque Tartara poenis
Qui regitis, tuque umbrifero Styx livida fundo
Quam video, multumque mihi consueta vocari
Adnue, Tisiphone, perversaque vota secunda.

In his versum 55 Io. Fred. Gronovius seorsum ab aliis interpretatus *inane solum* inquit *sunt vacui oculorum loci;* et quod addit 'solum quodvis cuiusvis rei fundamentum' multis exemplis docte declaravit et confirmavit. Non negamus hoc tenore *inane solum* intelligi posse inane oculorum solum h. e. solum in quo quasi fundamento oculi repositi fuerint ante, hoc ut idem sit quod modo (53) *vacuos orbes* appellavit poeta. Qui si hoc revera voluit, quoniam verborum *ostentat* et *pulsat* iam idem est obiectum, non admirabimur hanc elegantiam repetiti cum varietate nominis *vacuos orbes ostentat caelo manibusque cruentis pulsat inane oculorum solum;* quod si agebat longe decentius uno defungi nomine poterat, ut ita diceret *tunc vacuos orbes .. ostentat caelo manibusque cruentis pulsat.* Itaque credibile non est hanc fuisse Statii sententiam. Accedunt alia: his enim ita connexis ubi addideris quae proxime insequuntur *saevaque ita voce precatur,* eo apertius fit et hiare orationem et ex altera parte coniungi quae non erant coniungenda. Nam illa quae dicit poeta *vacuos orbes ostentat caelo* apte dicit, quoniam quem ante depinxit *indulgentem tenebris imaeque recessu sedis inaspectos caelo radiisque penates servantem* iam prodire domo iubet (nihil enim aliud est *ostentare caelo*), sed his quae subiiciuntur *manibusque cruentis pulsat inane solum,* si in illam vim interpretamur, nec

per se plana sunt (cur enim oculos eum pulsare dicamus?) et desideratur quod vix abesse poterat, quoniam Oedipus prodit ut inferorum numina appellet, quid egerit ut hoc consilium rite exsequatur. Quae qui reputaverit intelliget media illa interposita *manibus c. pulsat inane solum* non ad superiora pertinere sed coniungi cum insequentibus *saevaque ita voce precatur*, neque *oculorum solum* dici sed *terrae solum*, quod ille pulsaverit scilicet ut se audiant inferi dicentem. Et est haec vis *pulsandi* quam in simili condicione rerum agnoscas Theb. IV 477.

Non nova est haec quam defendimus interpretatio sed multis probata; iam Lactantius cum *inane solum* esse *inania Tartara* dicat, sensum quidem loci recte percepit; in eundemque modum cum vetustiores quidam Statii interpretes tum recentiores, in quibus O. Muellerus, explanarunt; neque ii immemores fuerunt nobilissimorum versuum Homericorum de Althaea (Il. IX 566)

ἐξ ἀρέων μητρὸς κεχολωμένος, ἥ ῥα θεοῖσιν
πόλλ' ἀχέουσ' ἠρᾶτο κασιγνήτοιο φόνοιο,
πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία
κικλήσκουσ' Ἀΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν,
πρόχνυ καθεζομένη, δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι
παιδὶ δόμεν θάνατον.

Quem gestum manibus (vel pede) pulsandi terram ut audiant *χθόνιοι* pluribus exemplis illustravit E. Rohdius in libro quo Graecorum sententias de animae immortalitate persecutus est p. 111 et p. 693; qui quod Statii versus praeteriit, fortasse aliter accipiendos duxit. Sed certe de interpretatione ambigendum non est, quamquam *inane* epitheton *solo* adiectum in diversas partes trahitur: ad *inania Tartara* rettulit uti diximus commentator vetus; alii ita dici volunt ut *inane corpus* dicitur quod animam non habet (sic Cicero de leg. II 18, 45); nos ob consilium quo prodit Oedipus e tecto terrae solum intelligere malumus non obtectum frugibus aut fruticetis, quo magis pulsata sonitum edat. Itaque Statiani versus usus non est in explicando verbo Plautino neque in ea re Schoellio aut qui illum sequitur Leoni assentiendum est. Sed Gronovius, quamquam Statii versum prave interpretatus est, de *solo* quae exposuit multisque exemplis probavit, vera esse existimamus: qualia sunt, ut hoc ex eius copiis afferamus, ad haec Vergilii (Aen. VII 109 sqq.)

Instituuntque dapes et adorea liba per herbam
Subiciunt epulis
111 *Et Cereale solum pomis agrestibus augent*

quae affert Servius ad 111 '*et cereale solum: solum dicitur omne quod aliquid sustinet, unde de mari supra ait "subtrahiturque solum", sic nunc panicias mensas id est epularum sustentaculum solum vocavit.*' Quibus addimus quae ad alterum Aeneidos locum (v 197)

olli certamine summo
Procumbunt: vastis tremit ictibus aerea puppis
199 *Subtrahiturque solum*

idem Servius adnotavit: '*subtrahiturque solum: unicuique rei quod subiacet solum est ei cui subiacet: unde est solum navis mare et aer avium: et est verbum cuius perlucida significatio per naturam* (non) *invenitur.*' Adde Goetzii corpus glossarum Latinarum VII p. 278. Ex his autem quis non videt posse etiam de *oculi solo* dici, ne de cavo oculi cogites quod alienum est. Eamque significationem vocis videbamur nobis confirmare posse exemplo Graeco. Dicimus haec quae sunt in Iliade (XIV 493)

τὸν τόθ' ὑπ' ὀφρύος οὖτα κατ' ὀφθαλμοῖο θέμεθλα,
ἐκ δ' ὦσε γλήνην· δόρυ δ' ὀφθαλμοῖο διαπρὸ
καὶ διὰ ἰνίου ἦλθεν, ὁ δ' ἕζετο χεῖρε πετάσσας
ἄμφω.

Quibus adnectimus statim similem locum alterum (XVII 45)

ὁ δὲ δεύτερος ὤρνυτο χαλκῷ
Ἀτρείδης Μενέλαος, ἐπευξάμενος Διὶ πατρί,
ἂψ δ' ἀναχαζομένοιο κατὰ στομάχοιο θέμεθλα
νύξ', ἐπὶ δ' αὐτὸς ἔρεισε βαρείῃ χειρὶ πιθήσας·
ἀντικρὺ δ' ἁπαλοῖο δι' αὐχένος ἤλυθ' ἀκωκή.

Ad quae sunt in scholiis Bekkeri ad priora haec: θέμεθλα: βάσει[illegible]ις ἐφ' ὧν ἥδρασται ὁ ὀφθαλμός D. θέσιν ῥίζαν θεμέλια· γλήνη[illegible]ην δὲ τὴν κόρην κτλ BL, ad altera autem στομάχοιο θέμεθλα: στο[illegible]ο-μάχου θέμεθλα οὐ λέγει τὸ στόμα τῆς κοιλίας ἀλλὰ τὸν βρόγχο[illegible]ον, οἷον τὰ ἔσχατα μέρη τοῦ λαιμοῦ· ἐπιφέρει γοῦν 'ἀντικρὺ [illegible] δ' ἁπαλοῖο δι' αὐχένος.' θέμεθλα δὲ ἡ θέσις A. Quibus si addider[illegible]ris quae alii grammatici tradunt, τὰ θέμεθλα esse τὰ ἐσώτερα μέ[illegible]ρη sive τὰ ἐν βάθει, iam paene dispicitur ὀφθαλμοῦ θέμεθλα in eu[illegible]um sensum dici quem habere *solum oculi* probavimus et Peniculu[illegible]um cum hoc iubeat Menaechmum *oculum ecfodito per solum* hoc dic[illegible]re cum pondere 'oculum ecfodito mihi penitus per intimas eius part[illegible]s'.

Scr. m. April. a. MDCCCCI.

LV. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1902.

3 In hoc praefandi officio quemadmodum quoad eius fieri potest seligere solemus quod immensae varietati lectionum quae enumerantur haud incommode praemitti posse videatur, ita dum doctrinarum genera ordinamus et quasi dapes opiparas exstruimus, non possumus non doctorum quae sint labentibus annis vicissitudines attendere, quorum multi quos diu venerati sumus ac suspeximus denique abeuntes sui nobis desiderium relinquunt, alios qui semper novi advenientes vacuas illorum sedes occupant nostra salute ac bonis votis recipimus et fovemus. Ita persentiscitur Universitatem sempiternam esse, 'homines mortales, qui ubi suis temporibus defuncti sunt, necesse est locum cedant aliis. In hanc nos cogitationem abripuit dolor recens quo dolore nuper exiguo temporis intervallo trium egregiorum collegarum iacturam deploravimus, quorum nomina inprimis nobis cara nunc primum in hoc indice lectionum desiderabuntur, Iohannis Schmidtii, Caroli Weinholdi, Alfredi Pernicii, qui in suo quisque litterarum genere antesignani ac principes animi candore ac singulari humanitate duraturam sibi collegarum ac discipulorum caritatem pepererunt.

Tantum eorum memoriae dandum putabamus, priusquam repeteremus consuetum filum disputationis e communibus litteris petitae. Volumus autem de familiari quodam genere dicendi Graecis Latinisque communi disserere, non quasi plane novum ac doctis incognitum sit sed quia videmus nonnumquam vel a doctissimis non recte aestimari. Ac nos dum hunc morem loquendi per sua exempla Latina Graeca persequimur, non negligemus si quae forte iuxta viam laeva sive dextera occurrent interpretis opem expetentia. Ut sperare liceat cum utilitate nonnihil nos iucundae varietatis allaturos esse iis qui non aspernantur se in proprietatem sermonis Latini Graecive insinuare.

4 Initium autem scribendi nobis faciunt Ciceronis verba de re

publica (I 36) quae in editione Turicensi altera a. 1861 sic edita sunt ab Halmio

> S. *Imitabor ergo Aratum, qui magnis de rebus dicere exordiens a Iove incipiendum putat.* L. *Quo Iove? aut quid habet illius carminis simile haec oratio?* S. *Tantum, inquit, ut rite ab eo dicendi principium capiamus, quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti indoctique pariter consentiunt.*

Sententia eadem fere est quam Cicero in Legibus expressit, cum ita diceret (II 3, 7) M. '*A Iove Musarum primordia*', *sicut in Aratio carmine orsi sumus.* Q. *Quorsum istuc?* M. *Quia nunc item ab eodem et a ceteris diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia:* unde primum Halmius intelligere poterat non recte a se *principium capiamus* scriptum esse pro eo quod codicis scriptura indicabatur *principia capiamus.* Itaque Scipio Aemilianus, qui princeps est huius sermonis, posteaquam difficile esse exposuit ex tribus quae secrevit generibus civitatis eligere quod potissimum esset, *ita caritate nos capiunt reges, consilio optimates, libertate populi, ut in comparando difficile ad eligendum sit quod maxime velis*, admonente Laelio *sed expediri quae restant vix poterunt si hoc inchoatum reliqueris*, dein ab Arati carmine exorsus id agit, ut Iovis exemplo doceat nihil praeclarius esse inter homines dominatu regio.

Universa sententia patefacta quaerendum est de verbis *Quo Iove?*, in quibus docti homines miris modis titubarunt; velut fuit qui hanc 'miram interrogationem' quam dicit sic interpretandam censeret *quonam Iove* vel *quanam ratione eum spectans;* quod ut planius efficeret, idem *qui Iove?* scribendum, alter qui illi succinit complosis manibus eadem sententia *qui a Iove* aut *quid a Iove* proposuit. Has ineptias, quas ne Halmius quidem a suo exemplo procul habuit, qui sedulus ne quid periret explicuit Osannus serio quaeri existimavit a quo Iove incipiendum esset nimirum 'ob multas diversasque virtutes quae Iovi attribuerentur'. Qui tamen illud unum recte admonuit praepositionem in ista interrogatione ex superiore sententia repetendam non fuisse. Unus Orellius, qui quidquid de eo opinantur non raro simplici ac recto iudicio usus est, cum verba tradita in hunc modum reddidit *Cur tandem dicis a Iove* fortasse aliquid dixit quod ad rem pertineret, sed certe dicendi rationem non perspexit. Neque vidimus inter tot editores aut interpretes Ciceronis et horum de re publica librorum, qui

recte eam intellexisset: nam noli credere eos qui taceant, quo nihil erat tutius, perspicaciores fuisse iis qui olim frustra se expedire laborarunt.

Nuper aliam viam iniit Usenerus, vir in his litteris primarius et quem nos magni facimus ac diligimus. Is igitur in museo Rhenano, cui nunc cum Buechelero praeest, vol. LVI (1901) p. 312 ad hunc locum delatus, cum intelligeret a superioribus nihil esse emendando aut interpretando effectum, ut verba ad probabilem sensum revocaret, *Iovē* (h. e. *Iovem*) pro *Iove* reponi iussit, et hoc genus interrogandi *Quo Iovem?* exemplis pluribus illustravit, velut Horatiano *Quo mihi fortunam si non conceditur uti* et iis quae Heinsius congessit ad Ovidii Heroid. II 53. Quibus addere licebat quod e Varrone Nonius excerpsit p. 100, 4 *Quo mihi somnos si dormitio tollitur:* sic enim, putamus, recte edidit Buechelerus (Men. 588) quod est apud Nonium *quid mihi somno (somnos);* ad eandemque orationis formam redeunt etiam haec apud Horatium (sat. II 7, 116) *unde mihi lapidem? unde sagittas?* Quamquam pleraque eius modi exempla aliquid proprii habent, quod abest a nostro, tamen non intercedimus, quominus Laelius, cum hoc diceret, nullius usus esse in hac re Iovem, id ista interrogatione expresserit: *Quo Iovem?* Verum tamen ita sentimus, et speramus hoc nos Usenero persuasuros, scitius etiam quam putabat esse consilium scriptoris et id quavis mutatione in deterius mutari. Quod ut recte percipiatur, primum attendendum est, Scipionem cum ita dicat *Imitabor ergo Aratum qui magnis de rebus dicere exordiens a Iove incipiendum putat* hoc voluisse 'Ergo a Iove, ut Aratus fecit, incipiamus.' Cui cum subiicit Laelius *Quo Iove?* non quaerit de nescio qua qualitate Iovis, sed hoc indicat, non esse Iovem, a quo in hac disputatione exordiendum videatur. '*Mit Jupiter lass uns beginnen.* Γ *Was für einem Jupiter?*' '*Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.* Γ *Ποῖον Διός;* Neminem putaveris haec prave intellecturum. Sed de Graecis infra dicendum erit. Interea Ciceronem Ciceronis exemplo vindicemus. Qui cum ita scribit in Tusculanis disputationibus I 44, 105 *)

*34) [Ex iisdem in adnotatione afferimus quae ad idem genus recte referri videntur I 21, 48 *soleo saepe mirari nonnullorum insolentiam philosophorum qui naturae cognitionem admirantur eiusque inventori et principi gratias exsultantes agunt eumque venerantur ut deum: liberatos enim se per eum dicunt gravissimis dominis, terrore sempiterno et diurno ac nocturno metu. Quo*

Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles: lacerari eum et sentire, credo, putat. Ergo hic ulciscitur, ut quidem sibi videtur: at illa sicut acerbissimam rem maeret

'*Vidi videre quod me passa aegerrume,*
Hectorem curru quadriiugo raptarier.

Quem Hectorem? aut quam diu ille erit Hector? Melius Accius et aliquando sapiens Achilles:

Immo enimvero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli.

Non igitur Hectora traxisti sed corpus quod fuerat Hectoris, quis non videt, quamquam neminem vidisse apparet, ut nemo interpretum Tullianorum saepe abundantium in rebus vilissimis unum verbum in haec interpretanda impendit, sed quis non videt, hanc interrogationem *Quem Hectorem* plane gemellam esse illi de Iove et interrogando negari, quem illa dicit Hectorem se vidisse curru raptari, Hectorem fuisse, ea mente videlicet qua aut Accius supra citatus Achillem facit dicentem *corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli,* aut Aristoteles scribit in Rhetorica (II 3 p. 1380b 29) *Διὸ εὖ περὶ τοῦ Ἕκτορος ὁ ποιητής* (Il. XXIV 54), *παῦσαι βουλόμενος τὸν Ἀχιλλέα τῆς ὀργῆς τεθνεῶτος, 'κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων.'* Cicero autem ipse interrogationi alteram subiiciens interrogationem *Quem Hectorem aut quam diu ille erit Hector?* eo magis vim prioris patefacit, modo recte scribatur in hac altera sententia non *erit* sed *erat,* si quidem negatur eum quem traxerit Achilles etiamtum Hectorem fuisse. Non secus illo loco qui nobis est in manibus interrogatio interrogationi additur: *Quo Iove aut quid habet illius carminis simile haec oratio?* Utrobique per *aut* particulam adiicitur quod pluribus verbis eandem referat sententiam. Quam rationem qui probe perspexerit, concedet, opinamur, has interrogationes quas sententia iubet in unam coalescere interpungendo perperam in duas dispesci. Illa enim quae diximus 6 *Quem Hectorem aut quamdiu ille erat Hector? Quo Iove aut quid habet Arati simile haec oratio?* quid distant ab his, qualia apud eundem Ciceronem frequentantur: *Quo tandem modo aut quale est istuc quod poetae serunt? Quid agam potius aut in quo melius hunc consumam diem?* Quae leguntur in Legibus p. 3, 8 et p. 14, 9. De quo genere nuper pluribus exemplis maxime Terentianis collectis egimus in Actis academicis a. 1900 p. 42 sqq. licebatque alia

terrore? quo metu? Quae est anus tam delira, quae timeat ista . . 'Acherusia templa' eqs.]

addere, velut Titinii verba (102) *Quid istuc est aut quid istic sibi vult sermo?* Ribbeckius prave distinxit, idem prave haec Accii verba (657) *Quinam Tantalidarum internecioni modus Paretur aut quaenam umquam ob mortem Myrtili Poenis luendis dabitur satias supplici?* Ac ne quis iustae distinctionis utilitatem parvi faciat, nos ita iudicamus, in rei publicae verbis non sic aberraturos fuisse interpretes, nisi quae unam sententiam efficerent dirempta legissent in duas.

Sed quod inesse vidimus in istis interrogationibus *Quo Iove? Quem Hectorem?*, quae intime ad antecedentis orationis formam sese applicantes repudiant cum admiratione id quod ante dictum est ab altero, idem veteres etiam alio quo modo loquendi assecuti sunt. Dicimus talia qualia sermo Plautinus habet, velut in Menaechmis II 2, 44

C. *Satin hoc quod vides*
Tribus vobis opsonatumst, an opsono amplius,
Tibi et párasito et mulieri? M. *Quas tu mulieres,*
Quos tu parasitos loquere?

Pseudolo IV 7, 96

B. .. *quantillo argento te conduxit Pseùdolus?*
H. *Quis istic Pseudolust?* B. *Praeceptor tuus qui te hanc fallaciam*
Docuit, ut fallaciis hinc mulierem a me abduceres.
H. *Quem tu Pseudolum, quas tu mihi praedicas fallacias?*

Menaechmis II 3, 51

M. *Prandi in navi, inde huc sum egressus, te conveni.*
E. *Perii misera, quam tu mihi nunc navem narras?*

Curculione V 2, 15

TH. . . . *redde mihi iam argentum aut virginem.*
C. *Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? quam tu virginem*
Me reposcis?

ibidem IV 3, 12

TH. *Scire volo quoi reddidisti.* L. *Lusco liberto tuo,*
Is Summanum se vocari dixit, ei reddidi.
Qui has tabellas obsignatas attulit. TH. *Quas tu mihi tabellas,*
Quos tu mihi Luscos libertos, quos Summanos somnias?

Quorum cetera quomodo accipienda sint res ipsa docet neque ea egent interpretis cura. Unus versus Curculionis decimus tertius vitio laborat, cui vitio dubites quam recte medeantur ita ut versum ipsum exstinguant et abiiciant. Sed *has tabellas* quod negant satis apte dici insequente illo responso *Quas tu m. t.*, licebat fortasse 7
Quia tabellas reponere, ut mutata distinctione ita dicat *Is Summanum se vocari dixit. ei reddidi, Quia tabellas obsignatas attulit.* Quod vero versus legitimam mensuram excedit, in promptu est nisi fallimur medela: deleatur alterum utrum pronomen, sive *tu* sive *mihi*, quorum utrumlibet facile per errorem scribentis adiici potuit, et erit octonarius septenariis immixtus: qualia usus Plautinus non refugit. Sed quidquid de eo versu iudicatur, neque enim quicquam confidentius affirmamus, nisi quod falso adiectum esse nobis credibile non fit, sed quidquid iudicatur, orationis forma quam dicimus nihilo minus aperta est. Et hoc genus ne Ciceroni quidem inusitatum fuit, qui scribit in Verr. II 2 c. 32, 79

> *Quem mihi tu Bulbum, quem Staienum?*

ibid. II 4 c. 39, 85

> *Respondetur ei senatum non permittere, poenam capitis constitutam si iniussu senatus quisquam attigisset; simul religio commemoratur. Tum iste Quam mihi religionem narras, quam poenam, quem senatum?*

In Antonium I 10, 25

> *Paratos habemus qui intercedant, paratos qui rem publicam religione defendant ... Quas tu mihi, inquit, intercessiones, quas religiones?*

Ad famil. IX 16, 7

> *Nunc venio ad iocationes tuas ... Quem tu mihi pompilum, quem denarium narras?*

De orat. I 22, 104

> *adduxissem huc Graecum aliquem, qui nos istiusmodi disputationibus delectaret; quod ne nunc quidem difficile factu est; est enim apud M. Pisonem .. peripateticus Staseas .. in illo suo genere omnium princeps. 'Quem tu mihi', inquit Mucius, Staseam, quem peripateticum narras?'*

In quibus quod est obscuritatis in uno et altero non persequimur. Sed et haec Tulliana exempla et illa Plautina, quamvis ea non plane idem genus prae se ferant cum verbis rei publicae a quibus profecti sumus, tamen et haec tueri possunt istam interrogationem

Quo Iove, quam licebat, quo magis manifesta esset eius significatio, in hunc modum mutare *Quem tu mihi Iovem* sive *quem tu mihi Iovem narras?* Sed illud astrictius genus interrogandi perfamiliare fuit Graecis, quorum unus Aristophanes multa habet exempla, quae etsi nota sunt et a doctis hic illic tractata, velut a Reisigio in Coniectaneis p. 74, tamen nonnulla, ut veniamus quo volumus, necesse est recenseamus.

Acharn. 62

K. οἱ πρέσβεις οἱ παρὰ βασιλέως.
Δ. ποίου βασιλέως;

Ibid. 109

Π. οὐκ ἀλλ' ἀχάνας ὅδε γε χρυσίου λέγει.
Δ. ποίας ἀχάνας; σὺ μὲν ἀλαζὼν εἶ μέγας.

Ibid. 157

Θ. Ὀδομάντων στρατός.
Δ. ποίων Ὀδομάντων; εἰπέ μοι τουτὶ τί ἦν.

Ibid. 761

Δ. ἅλας οὖν φέρεις; *M.* οὐχ ὑμὲς αὐτῶν ἄρχετε;
8 *Δ.* οὐδὲ σκόροδα; *M.* ποῖα σκόροδ'; ὑμὲς τῶν ἀεὶ τὰς ἄγλιθας ἐξορύσσετε;

Equit. 32

N. κράτιστα τοίνυν τῶν παρόντων ἐστὶ νῷν,
θεῶν ἰόντε προσπεσεῖν του πρὸς βρέτας.
Δ. ποῖον βρέτας; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς;

Ibid. 160

A. τί μ' ὠγάθ' οὐ πλύνειν ἐᾷς τὰς κοιλίας
πωλεῖν τε τοὺς ἀλλᾶντας;
Δ. ὦ μῶρε ποίας κοιλίας;

Nub. 367

ΣT. ὁ Ζεὺς δ' ἡμῖν .. οὐλύμπιος οὐ θεός ἐστιν;
ΣΩ. ποῖος Ζεύς; οὐ μὴ ληρήσεις.

Ibid. 1233

Π. καὶ ταῦτ' ἐθελήσεις ἀπομόσαι μοι τοὺς θεούς;
ΣT. ποίους θεούς;

Vesp. 1200

Φ. ἐκεῖν' ἀνδρειότατόν γε τῶν ἐμῶν,
ὅτ' Ἐργασίωνος τὰς χάρακας ὑφειλόμην.
B. ἀπολεῖς με. ποίας χάρακας;

Ibid. 1369

Β. οὐ δεινὰ τωθάζειν σε τὴν αὐλητρίδα
τῶν ξυμποτῶν κλέψαντα;
Φ. ποίαν αὐλητρίδα;
τί ταῦτα ληρεῖς;

Ibid. 1377

Φ. ὄζος μὲν οὖν τῆς δᾳδὸς οὗτος ἐξέχει.
Β. τί λέγεις σύ; ποῖος ὄζος;

Lysistr. 730

Γ. οἴκαδ' ἐλθεῖν βούλομαι.
οἴκοι γάρ ἐστιν ἔριά μοι μιλήσια
ὑπὸ τῶν σέων κατακαπτόμενα.
Λ. ποίων σέων;

Ibid. 920

Μ. καίτοι τὸ δεῖνα ψίαθός ἐστ' ἐξοιστέα.
Κ. ποία ψίαθος; μή 'μοί γε.

Ibid. 971

Χ. ΓΤ. μὰ Δί' ἀλλὰ φίλη καὶ παγγλυκερά.
Χ. ΓΕ. ποία γλυκερά; μιαρὰ μιαρά.

Ibid. 1177

Λ. τοῖς ξυμμάχοις ἐλθόντες ἀνακοινώσατε. 9
Α. ποίοισιν ὦ τᾶν ξυμμάχοις;

Ran. 529

Ξ. καὶ τοῖς θεοῖσιν ἐπιτρέπω.
Δ. ποίοις θεοῖς;

Plut. 1046

Χ. ἔοικε διὰ πολλοῦ χρόνου σ' ἑορακέναι.
Γ. ποίου χρόνου ταλάνταθ', ὃς παρ' ἐμοὶ χθὲς ἦν.

In his quae collegimus nisi quid nos fugit perspicua est ea quam in hoc loquendi modo vim inesse diximus: repetito enim cum pronomine ποῖος eodem casu nomine quod antecedebat repudiatur ab altero id quod posuerat ante alter et id quidem saepe non sine quodam animi motu, sive indignatione sive admiratione: ποίας ἀχάνας: *quid tu mihi narras* ἀχάνας? ποῖα σκόροδα: *quae* σκόροδα vel *quid tu mihi* σκόροδα? Ac nonnumquam adduntur quibus hic sensus eo apertius significatur, τί ταῦτα ληρεῖς, οὐ μὴ ληρήσεις, similia. Sed cavendum est, ne his immisceantur quae licet similem formam habeant tamen a simplicis interrogationis consilio non discedunt, velut Av. 1346 βούλομαι οἰκεῖν μεθ' ὑμῶν κἀπιθυμῶ τῶν νόμων. Γ ποίων νόμων; πολλοὶ γὰρ ὀρνίθων νόμοι, vel

Nub. 1336 *ἑλοῦ δ' ὁπότερον τοῖν λόγοιν βούλει λέγειν. ΣΤ. ποίοιν λόγοιν; Φ. τὸν κρείττον' ἢ τὸν ἥττονα.* Sunt etiam quaedam ambigua, quae dubites ad utram partem referas, velut Equit. 1080 *ἀλλ' ἔτι τόνδ' ἐπάκουσον ὅν εἶπέ σοι ἐξαλέασθαι χρησμὸν Λητοΐδης Κυλλήνην μή σε δολώσῃ. Δ. ποίαν Κυλλήνην; Α. τὴν τούτου χεῖρ' ἐποίησεν Κυλλήνην ὀρθῶς.* Cf. Thesmoph. 874.

Rarior est is usus in tragoedia sed non alienus a stili tragici decore. In Sophoclis Trachiniis haec leguntur a v. 419

οὔκουν σὺ ταύτην, ἣν ὑπ' ἀγνοίας ὁρᾷς,
Ἰόλην ἔφασκες Εὐρύτου σπορὰν ἄγειν;
421 *ΛΙ. ποίοις ἐν ἀνθρώποισι; τίς πόθεν μολὼν*
σοὶ μαρτυρήσει ταῦτ' ἐμοῦ κλύειν παρών;
ΑΓ. πολλοῖσιν ἀστῶν. ἐν μέσῃ Τραχινίων
ἀγορᾷ πολύς σου ταῦτά γ' εἰσήκουσ' ὄχλος.
ΛΙ. κλύειν γ' ἔφασκον. ταὐτὸ δ' οὐχὶ γίγνεται
δόκησιν εἰπεῖν κἀξακριβῶσαι λόγον.
427 *ΑΓ. ποίαν δόκησιν; οὐκ ἐπώμοτος λέγων*
δάμαρτ' ἔφασκες Ἡρακλεῖ ταύτην ἄγειν;
ΛΙ. ἐγὼ δάμαρτα;

ubi in similitudine interrogationis quae est in versibus 421 et 427 non obscurum est quid alterum ab altero differat, quamquam hoc posterius, quod habet eam quam persequimur proprietatem, vix est quod ad depingendam plebeii hominis naturam pertinere cum Wilamowitzio affirmetur. Euripidis Helena haec habet in sermone Helenae et Menelai qui se nondum inter se agnoverunt

Μ. Ἑλένῃ σ' ὁμοίαν δὴ μάλιστ' εἶδον, γύναι.
Ε. ἐγὼ δὲ Μενελάῳ γέ σ'· οὐδ' ἔχω τί φῶ.
565 *Μ. ἔγνως γὰρ ὀρθῶς ἄνδρα δυστυχέστατον.*
Ε. ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐς χέρας.
Μ. ποίας δάμαρτος; μὴ θίγῃς ἐμῶν πέπλων.
Ε. ἥν σοι δίδωσι Τυνδάρεως, ἐμὸς πατήρ.
Μ. ὦ φωσφόρ' Ἑκάτη, πέμπε φάσματ' εὐμενῆ.
570 *Ε. οὐ νυκτίφαντον πρόπολον Ἐνοδίας μ' ὁρᾷς.*
Μ. οὐ μὴν γυναικῶν γ' εἷς δυοῖν ἔφυν πόσις.
Ε. ποίων δὲ λέκτρων δεσπότης ἄλλων ἔφυς;
Μ. ἣν ἄντρα κεύθει κἀκ Φρυγῶν κομίζομαι.

Rursus his versibus quid sit discriminis inter duo genera dicendi agnoscitur, Menelao (567) quod illa se uxorem eius appellarat paene perterrito '*quam uxorem*' '*quid tu mihi uxorem*' regerente,

Helena autem (572) simpliciter sciscitante cuius is alterius sit coniugii dominus. Aliena sunt, de quibus Herculis interpres ad v. 518 admonuit, Aeschyli in Agamemnone 1073

ποίαν Ἐρινὺν τήνδε δώμασιν κέλῃ
ἐπορθιάζειν; οὔ με φαιδρύνει λόγος,

quae vera est interrogatio chori obscuris Casandrae vaticiniis excitati; et in Supplicibus quae inde a v. 290 leguntur, quae sunt illis, si quid sentimus, etiam simpliciora, ubi haec se interrogatio et responsum excipiunt

Β. τί δῆτα πρὸς ταῦτ' ἄλοχος ἰσχυρὰ Διός;
Χ. τὸν πάνθ' ὁρῶντα φύλακ' ἐπέστησεν βοΐ.
Β. ποῖον πανόπτην οἰοβουκόλον λέγεις;
Χ. Ἄργον, τὸν Ἑρμῆς παῖδα γῆς κατέκτανε.
Β. τί οὖν ἔτευξε δ' ἄλλο δυσπότμῳ βοΐ;

ποῖον enim interrogationi non aliter quam *τί* inservit ac saepe in comparibus sententiis his pronominibus variari oratio solet, velut in Oedip. Reg. 99

ΚΡ. ἄνωγεν ἡμᾶς Φοῖβος μίασμα χώρας ἐλαύνειν.
ΟΙ. ποίῳ καθαρμῷ; τίς ὁ τρόπος τῆς ξυμφορᾶς; cf. 89.

aut in Helena 165

ποῖον ἁμιλλαθῶ γόον ἢ τίνα μοῦσαν ἐπέλθω;

et Oedip. Colon. 385

ΟΙ. ἤδη γὰρ ἔσχες ἐλπίδ' ὡς ἐμοῦ θεούς
ὤραν τιν' ἕξειν;
ΙΣ. ἔγωγε τοῖς νῦν γ', ὦ πάτερ, μαντεύμασιν.
ΟΙ. ποίοισι τούτοις; τί δὲ τεθέσπισται, τέκνον.

Quae ne frustra afferre videamur, sunt enim sane vulgaria admodum, hoc agimus, ut Wilamowitzio in re tenui obloquamur, qui quae Megara dicit in Hercule v. 518

514 *ὦ πρέσβυ, λεύσσω τἀμὰ φίλτατ'; ἢ τί φῶ;*
ΑΜ. οὐκ οἶδα, θύγατερ· ἀφασία δὲ κἄμ' ἔχει. **11**
ΜΕ. ὅδ' ἐστὶν ὃν γῆς νέρθεν εἰσηκούομεν,
517 *εἰ μή γ' ὄνειρον ἐν φάει τι λεύσσομεν.*
τί φημί; ποῖ' ὄνειρα κηραίνουσ' ὁρῶ;

ad hoc genus loquendi revocat ob eamque causam Megaram vituperat quod *εὐσχημοσύνην* parum observarit utpote quae ore plebeio locuta sit. Nos nihil in ista oratione vituperandum ducimus, neque eum usum dicendi agnoscimus quem explanatum imus. In qua re interpreti forsitan offecerit quod olim v. 517 Amphitruonis

esse maluit, postea, iure opinamur, Megarae restitutum. Megara autem ipsa sibi dicit quae dicit animo mota *τί φημί, ποῖα ὄνειρα ὁρῶ;* cui contendas Antigonam simili occasione ita dicentem in Oedipo Coloneo 310

τί λέξω; ποῖ φρενῶν ἔλθω, πάτερ; et paulo post v. 315
τί φῶ;
ἆρ' ἔστιν, ἆρ' οὐκ ἔστιν; ἢ γνώμη πλανᾷ κτλ.

Illud addimus non inconsulto, in Iphigenia Aulidensi quae Clytaemnestrae (835) dicenti *τὴν ἐμὴν ἐπεὶ γαμεῖς παῖδα* respondet Achilles *ποίους γάμους φής; ἀφασία μ' ἔχει,* in iis pronomen nihil habere insoliti aut cum hoc usu quem dicimus coniuncti. Verissima vero quaedam eius elocutionis exempla Platoni accepta ferimus, qui quae scribit prohibebunt ut putamus ne haec quae familiaris sunt sermonis ad plebeiae vilitatem linguae patiamur detrudi. Ne Callicles quidem in Gorgia p. 62 Sch. cum plus semel ea ratione reiicit quae dixit Socrates eam recipere insimulationem videatur. Dicit autem ita

ΣΩ. Ἀλλ' οὐ τὸν βελτίω πλέον δεῖν ἔχειν; ΚΑΛ. Οὐ σιτίων γε οὐδὲ ποτῶν. ΣΩ. Μανθάνω, ἀλλ' ἴσως ἱματίων καὶ δεῖ τὸν ὑφαντικώτατον μέγιστον ἱμάτιον ἔχειν καὶ πλεῖστα καὶ κάλλιστα ἀμπεχόμενον περιιέναι; ΚΑΛ. Ποίων ἱματίων; ΣΩ. Ἀλλ' εἰς ὑποδήματα δῆλον ὅτι δεῖ πλεονεκτεῖν τὸν φρονιμώτατον εἰς ταῦτα καὶ βέλτιστον.... ΚΑΛ. Ποῖα ὑποδήματα; φλυαρεῖς ἔχων.

Quo minus reliqua digna quae reprehendantur. Velut haec de Theaeteto p. 55, 20 Schz.

ΣΩ. ... Ἀλλ' οἶμαι τὰ τοιαῦτα τοῖς μαθηταῖς ἐπὶ σχολῆς φράζουσιν, οὓς ἂν βούλωνται ὁμοίους αὐτοῖς ποιῆσαι. ΘΕΟ. Ποίοις μαθηταῖς, ὦ δαιμόνιε;

aut illa de Philebo p. 244, 20 Bekk.

Ἆρ' ἡδονῶν τι προσδεῖσθε ἐν τῇ ξυγκράσει; φαῖμεν ἂν αὖ τὸν νοῦν τε καὶ τὴν φρόνησιν ἀνερωτῶντες. Ποίων, φαῖεν ἂν ἴσως, ἡδονῶν;

vel Euthydemo p. 45, 31 Schz.

Ἀλλὰ μέντοι, ἔφην, χαρίεν γέ τι πρᾶγμά ἐστιν ἡ φιλοσοφία. Ποῖον, ἔφη, χαρίεν, ὦ μακάριε;

Quibus addere quid vetat quae apud Plutarchum plane ad eum modum formata leguntur de garrulitate vol. III p. 316, 13 Bern.

12 *'οὐ γὰρ ταῦτα μετὰ τριακοσίων ἤκουσας;' 'ποίων' ἔφη 'τριακοσίων';*

His expositis fortasse continget ut versum Aristophaneum quem supra citavimus certius quam adhuc factum est ad integritatem revocemus. Versus enim Equitum 32, quem libri exhibent ποῖον βρέτας; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς; pede minor est et sibi vocem addi in media parte poscit. Sed quia sententia plena est, sic ut nihil desideretur, consentaneum est, nullo duce vagari doctos et ambigere de supplementi ratione. Plerique qui huic versui succurrere studuerunt ad ποῖον βρέτας addi voluerunt quod cum sententia versum expleret. Sed quae in hanc partem proposita sunt, ποῖον βρέτας εἶπας, ποῖον βρέτας; φράζε, vel si quis ad Euripidei versus formam supra allati suadeat ποῖον βρέτας φής, denique ποῖον βρέτας πρός; ut mittamus alia olim coniectata, haec omnia usus curiose exploratus probari non posse clamat. Nam plena et absoluta est ista oratio ποῖον βρέτας, quae pendet a superioribus neque aut verbum aut praepositionem sibi addi flagitat. Appellatio ibi locum habere potuit, sive ea quam Dobraeus coniecit ποῖον βρέτας ὦ τᾶν, sive quis coniicere malit ποῖον βρέτας μῶρε suadente illa quae est v. 162 ὦ μῶρε ποίας κοιλίας, neque enim μῶρε minus recte quam ὦ μῶρε dici notum est. Sed illud clementius paulo a Demosthene prolatum videtur pro ea quam habet sententia, μῶρε autem si erat adiectum, hoc non poterat non argumenti loco esse, cui vix exspectaveris super addi seriam interrogationem istam ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς; Quare missa hac parte abeamus in alteram ut quaeramus ecquid ibi praemitti apte potuerit. In hanc sententiam Meinekius proposuit ποῖον βρέτας; φέρ' ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς, quod mirum est a Zachero, cum multa vana et reiectanea recenseat, ne commemoratione quidem dignum haberi. Sed Meinekius ut solent magni critici suis opinationibus confisi expositam ὡς παῖδα coniecturam destituit neque quicquam ad eam stabiliendam attulit nisi *ΦΕΡ'* ante *ΕΤΕον* facile omitti scribentis vitio potuisse. Quodsi exemplorum nube docuisset, quanto opere mos Aristophaneus interrogationi praemissum φέρε foveret, quis non ambabus hanc correctionem arripuisset, qua versus mancus suppletur, oratio autem nulla parte cumulatur sed augetur tantum eo quod recte addi usus monstratus fidem facit. Ergo hoc agimus ut alienum βρέφος nostra cura tueamur et caveamus ne semel natum indignam in oblivionem reccidat.

Equit. 145 φέρε ποῦ τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐξευρήσομεν;

Acharn. 541 φέρ' εἰ Λακεδαιμονίων τις ἐκπλεύσας σκάφει

ἀπέδοτο φῆνας κυνίδιον Σεριφίων,
καθῆσθ' ἂν ἐν δόμοισιν;

ibid. 898 φέρε πόσου λέγεις;
ibid. 1058 φέρε δὴ τί σὺ λέγεις;
Nub. 218 φέρε τίς γὰρ οὗτος οὐπὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ;
ibid. 342 φέρε ποῖαι γάρ τινές εἰσιν;
ibid. 366 ὁ Ζεὺς δ' ἡμῖν φέρε πρὸς τῆς γῆς οὑλύμπιος
οὐ θεός ἐστιν;
ibid. 370 φέρε ποῦ γὰρ πώποτ' ἄνευ νεφελῶν ὕοντ' ἤδη
τεθέασαι;
ibid. 385 φέρε τουτὶ τῷ χρὴ πιστεύειν;
18 ibid. 664 πῶς δὴ φέρ';
ibid. 769 φέρε τί δῆτ' ἄν, εἰ ταύτην λαβών,
ὁπότε γράφοιτο· τὴν δίκην ὁ γραμματεύς,
ἀπωτέρω στὰς ὧδε πρὸς τὸν ἥλιον
τὰ γράμματ' ἐκτήξαιμι τῆς ἐμῆς δίκης;
ibid. 903 φέρε γὰρ ποῦ 'στιν;
ibid. 940 φέρε δὴ πότερος λέξει πρότερος;
Ran. 1399 φέρε ποῦ τοιοῦτον δῆτά μοὔστι; ποῦ;

Haecine satis erunt? nec illud inutile quod attendatur, huic generi interrogationis praemisso φέρε non raro γὰρ particulam subiici velut Nub. 218, 370, plane ut nostro versiculo φέρ' ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς; In quo quod adiecto φέρε ea particula a tertio loco in quartum reiecta est, ne cui dubitationem moveat, nihil est quod facilius vindicari possit; toties in versibus Aristophaneis γὰρ hanc sedem tamquam legitimam occupat, velut, eius quoque rei ut pauca afferamus exempla,

Acharn. 40 ἀλλ' οἱ πρυτάνεις γὰρ οὑτοιὶ μεσημβρινοί.
ibid. 175 ἀλλ' ἐκ Λακεδαίμονος γὰρ Ἀμφίθεος ὁδί.
ibid. 581 ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ τῶν ὅπλων εἰλιγγιῶ.
ibid. 1076 ὑπὸ τοὺς χόας γὰρ καὶ χύτρους . . .
Av. 1168 ἀλλ' ὅδε φύλαξ γὰρ τῶν ἐκεῖθεν ἄγγελος
ἔσθεῖ
ibid. 1386 ἐκ τῶν νεφελῶν γὰρ ἄν τις ἀναβολὰς λάβοι;
ibid. 1545 ἀεί ποτ' ἀνθρώποις γὰρ εὔνους εἴμ' ἐγώ.
Lysistr. 489 διὰ τἀργύριον πολεμοῦμεν γάρ;

Sed nobis revertendum est ad verba Tulliana de re publica, a quibus egressi sumus et devertimus. Quae supra dedimus ex Halmii recensione, quamquam is non uno nomine testimoniis codi-

cis parum satisfecisse visus est. Velut quod edidit *Imitabor*, tenuit quod prima manus quam vocant exaravit, correctione neglecta, licet ea quod effecit *Imitemur* suapte natura elegantius esset neque temere inventum. Sed Halmius semper ea persuasione ducebatur ut nisi primae manui fidem non habendam esse crederet, non solum in his libris de re publica, in quibus multi post Hauptium intellexerunt quanta vis esset et quanta utilitas eorum quae a correctoris diligentia profecta essent, sed etiam in aliis, velut in Legum libris, maluitque saepe in manifesta corruptela coniecturae periculo abuti quam correctionem antiquitus traditam recipere. In his ipsis verbis quod prave scriptum erat *doctique* correctrici manu suppletum est verissime ut esset *docti indoctique*. Sed idem ubi *expoliri* est in codice *pariter* edidit; id quod primus Orellius proposuit, et a Lactantio confirmari putant qui (instit. I 11, 5) ita scribit Ciceronis ut videtur non immemor *regnare in caelo Iovem vulgus existimat: id et doctis pariter et indoctis persuasum est.* Sed ex ea voce qui natum sit *expoliri*, quod sane mirum alicui videatur, Hauptius conatus est explicare (Opp. III p. 458), cum sic ratiocinatur, *expoliri* depravatum nihil condere nisi *ex parili*, et hoc quod Cicero ipse scribere non potuerit a nescio quo ex suae aetatis sermone positum esse pro *pariter* quod Cicero scripserat. Haec **14** ille et mirum est profecto nonnumquam etiam acutissimos et qui quandam severitatem iudicandi prae se ferre solent speciosae correctionis blanditiis seductos incredibilia narrare. An non est incredibile quod docet Hauptius, Ciceronem *pariter* scripsisse pro eoque a librario *ex parili* exaratum esse, quod a Cicerone alienum nec omnino vulgare genus est dicendi, et hoc denique abiisse in *expoliri* et ipsum verbum rarum et quaesitum, ut his machinis postremo vox addita habeatur, qua nihil opus erat. Nam si Lactantius *pariter* fovere videbatur, Augustinus cum ita scribit (in epist. XVII 1) *illum deum unum, de quo ut dictum est a veteribus docti indoctique consentiunt*, ne ipse quidem Ciceronis immemor videtur. Sed quid nos haec testimonia, cum in codice sit *expoliri*, quod ex *pariter* oriri non potuit. Itaque *pariter* abiiciendum est, *expoliri* autem ut sanarent quae praeterea commenti sunt vix digna habeas quae refutentur. Nos quia *expoliri* nec contigit adhuc nec contingere posse videtur ut litterulis mutatis ad probabilem sensum et usum revocetur et quia quo loco legitur eo nec ullo modo haberi aut intelligi potest nec aliud pro eo quicquam omnino

desideratur, his causis adducti eam opinionem concepimus ut verbum illud non prave scriptum sed prave alieno loco collocatum existimemus. Cum enim sermonem supra propositum et explicatum proxime praecedant verba haec '*Credo*', *inquit*, '*sed expediri quae restant vix poterunt, si hoc inchoatum reliqueris*', inde suspicio nata est *expoliri* glossam esse ad *expediri* adscriptam in margine, ex eoque loco, ut fit, in inferiorem locum delatam et eum quidem qui hoc tamquam embolium manifesto excludit. Quo consilio hoc adscriptum putemus si quaeritur, eo, respondebimus, quod *inchoata* dicuntur quae *rudia* sunt, quemadmodum Cicero vel in rebus litterariis *inchoata ac rudia* copulavit, ut *expoliri* alicui melius quam *expediri* ei quod *inchoatum* dicitur opponi videatur.

Quodsi hunc lusum esse appellabunt, tamen dabunt speramus non inficetiorem esse hunc lusum iis quos alii luserunt sed fortasse paulo etiam prudentiorem. Sed esto: hac parte redintegrata, iamne manifesta sunt omnia? Nihil minus, opinamur. Etenim quae dicit Scipio '*Tantum* (scilicet Aratii carminis simile habet haec oratio) *ut rite ab eo dicendi principia capiamus quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti indoctique consentiunt*' cum excipiantur ab his '*Quid?*' *inquit Laelius. Et ille* '*quid censes nisi quod est ante oculos?*', necessario iam quaeritur, quid sibi velint aut quo referantur haec quae interrogat Laelius et quae interroganti illi respondentur: *Quid? inquit Laelius. Et ille: quid censes nisi quod est ante oculos?**) Quibus quidem transitum parari apparet ad ea quae deinceps latius exponuntur: *sive haec ad utilitatem vitae constituta sunt a principibus rerum publicarum, ut rex putaretur unus esse in caelo*, et quae sequuntur: nam satis est indicari, in qua sententia explicanda haec versentur. Sed illa, quae transitum parare diximus ad haec, quomodo ipsa nascantur ex iis quae praecesserunt, parum perspicuum est, nec satis intelligitur, illud *quid* quo solo Laelii interrogatio continetur quo pertineat, si quidem in superioribus nihil est, quo referri possit. In qua re interpretes Tulliani nos nihil adiuvant, qui hic ut saepe videri volunt intelligere quae non intelligunt: vel eos si quis adeat qui hos libros Germanice verterunt, verba sibi dari cognoscet nec ea magis aperta esse Germanice quam fuerunt Latine. Itaque tempte-

*24) [De orationis forma cf. Brut. 46, 170 *Tum Brutus, quid tu igitur, inquit, tribuis istis externis quasi oratoribus? Quid censes, inquam, nisi idem quod urbanis, praeter unum* eqs.]

mus ipsi, ut Laelianae interrogationis vis patefiat, iter quod sit sermonis declarare. Scipione igitur affirmante ex Aratii carminis similitudine sibi dicendi principia capienda esse ab eo quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti indoctique consentiant, videmus Laelium quaerere *quid?* quod non potest esse nisi quid sit id quod demonstrari velit iis quae de Iove omnium rege deque hominum consensu dixerit, illum autem respondere, nihil a se nisi quod sit ante oculos demonstratum iri, et deinceps explanare plenius, quid exemplum illud a Iove deorum et hominum omnium rege petitum valeat in res terrestres et dominationis genus quod iis maxime sit conveniens. Quodsi ita cursum sermonis recte descripsimus, non potest dubium esse quid Laelius quaesierit, sed simul patefactum est, sententiae eius merum *quid*, quod nihil habet quo nitatur, satisfacere non posse. Quamobrem sic rationem concludimus, hanc interrogationem mancam esse nec integritatem eius nisi additamento facto constare. Putamus autem sic scriptum fuisse: *Quid, inquit Laelius,* [iis effici uis?]. Quae ut habent eam quam requiri probavimus sententiam, ita quo pacto in eam formam abierint quam scriptus liber exhibet, non difficile cognoscitur.

Unum restat quod in hunc locum et hos libros delati praeterire nolumus. Halmius enim, id quod retinuimus in ea particula quam huic disputationi praescripsimus, interlocutorum nomina sermonis commatis praemittenda curavit. Quae res ab Angelo Maio in editione principe instituta quia absurda est permansit usque ad novissimam rei publicae Tullianae editionem Teubnerianam. Adeo non intellexerunt compositionem operis nec quid intersit inter sermonem qui narrando explicatur et eum in quo fabulae instar personae loquentes inducuntur. Quod eo magis mirum est, quia multis locis ne posse quidem personarum notas interponi tam apertum est ut neminem praeterire queat; et Heinrichius (p. 188) qui hoc ipso loco ante *Imitabor* et ante *Quo Iove* siglas quas dicit nominum abesse noluit, grande aliquid effecisse sibi visus est quod easdem a *Credo, inquit* et a *Tantum, inquit,* ubi ceteris non displicuerunt, removit. Sed Cicero, qui in sermone, quem a sua narratione pendere voluit, saepe iis formis utitur quae huic consilio sunt aptae, cum aut ita scribit *Tum Philus; Et ille,* aut *inquit* non addito nomine interponit, vel merum nomen sine *inquit* in media oratione collocat (cf. Herm. xv 272), etiam ubi nullum est *inquit* nec nomen aut pronomen, orationem ita con-

formavit, ut loquentium partes usquequaque nullo negotio aut ambiguitate internosci possent; quare non erat quod artificiosum eius contextum ineptis ornamentis deturparent.

Peccatum est in eo genere etiam alibi, velut Ribbeckius in Vergilii carmine bucolico VIII, posteaquam edocuimus (in prooemio aest. a. 1888, 13, Op. ac. P. I p. 398 s.) sententiam versuum 105, 106 non posse nisi ad Amaryllidem referri pharmaceutriae respondentem, ilico personarum notis adiectis carmen elegantissimum deformavit. Sed nolumus hanc rem nunc persequi longius; verum in eo iam finem disserendi faciemus ut quae disputando effecimus, voluimus quidem certe efficere, uno conspectu proponamus. Itaque hanc
16 partem quam tractavimus putamus hoc modo a Cicerone scriptam fuisse et hoc modo posse commode edi.

Ita caritate nos capiunt reges, consilio optimates, libertate populi, ut in comparando difficile ad eligendum sit quid
expoliri *maxime velis.*' '*Credo*' *inquit* '*sed expediri quae restant vix poterunt si hoc inchoatum reliqueris.*' '*Imitemur ergo Aratum, qui magnis de rebus dicere exordiens a Iove incipiendum putat.*' '*Quo Iove aut quid habet illius carminis simile haec oratio?*' '*Tantum*' *inquit* '*ut rite ab eo dicendi principia capiamus quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti indoctique consentiunt.*' '*Quid*' *inquit Laelius* 'iis effici vis?' *Et ille* '*Quid censes nisi quod est ante oculos? sive haec ad utilitatem vitae constituta sunt a principibus rerum publicarum, ut rex putaretur unus esse in caelo qui nutu ut ait totum Olympum Homerus converteret idemque et rex et pater haberetur deorum omnium, magna auctoritas est multique testes .. ita consensisse gentes .. nihil esse melius quoniam deos omnes censent unius regi numine, sive ....*' Scr. m. Decembri a. MDCCCCI.

LVI. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1902/03.

L. Accii poetae tragici versus nonnullos hac prooemiandi occasione tractare animus est, quos ne a Ribbeckio quidem tertium 'tragicorum Romanorum fragmentis' editis satis recte adornatos intelligimus. Etenim nota res est veterum poetarum Romanorum versus superstites a grammaticis aut glossarum scriptoribus citatos ab acutis criticis, ut prae ceteris versuum formas testium vitio luxatas reconcinnent, in diversas saepe partes rapi, ac nonnullos quo angustius est et debilius fundamentum, in quo haec res geratur, eo maiore sibi licere libertate emendandi uti existimant. A quibus nostra mens longe discedit, qui cum semper ita censeamus nihil magis cavendum esse quam ne quae corrigere cupimus nostro arbitratu depravemus ultro ac perdamus, tum in istis versibus singularibus, qui quo nexu in suis fabulis habiti fuerint plerumque nescitur, non ab eo incipiendum esse ut aliquod metrorum genus ex vulgaribus restituamus, sed inde potius exordiendum dicimus ut verba quae scripta sunt quam fieri possit planissime perspiciamus. Sic enim putamus ex verbis esse versiculi modum percipiendum, non verba ad ficti metri necessitatem regenda. Atqui haec non nescimus vulgaria esse et aperta, sed tamen nimis saepe doctos homines videas in hoc genere ita agere quasi haec vulgaria numquam cognovissent; ac nos non doctis hominibus scribimus, sed in usum adulescentum, qui ad haec studia se dare cupiunt, quibus solemus auctores esse, ut si quando ad has tractandas fabularum Romanarum reliquias accedant, ne scripta verba, in quorum memoria sunt omnia, susque deque habeant, dummodo addendo demendo mutando simulacrum quoddam versus exeat, sed ut excussa grammaticorum fide verba tradita simplici ac libera mente expendant, si forte non solum sententiam quam condunt sed etiam metri formam a poeta iis impertitam ultro patefaciant. Sed promamus exempla, quibus spes est haec quae dicimus fore apertiora.

4 I. Nonius igitur Marcellus, cuius haec omnia sunt quae disceptanda sumpsimus, compendiosae doctrinae lib. II qui est de honeste seu nove veterum dictis p. 143, 21 M. haec scribit

'*noxitudo pro noxia. Accius armorum iudicio: "ocule noxitudo oblitteretur Pelopidarum ac per nos sanctescat genus".*'

Molestum est colligere cuncta quae viri docti de his verbis emendandis commenti sunt, sed tamen ut assequamur quod volumus fieri non potest quin nonnulla narremus eorum quae alii proposuerunt. Ac L. Quicheratus Nonii editor Parisiensis (a. 1872) haec ita edidit

Occule: noxitudo . . .
Oblitteretur Pelopidarum ac per nos sanctescat genus,

in extremo versu priore quod fecit interstitium trisyllaba voce velut *pristina* addita suppleri posse suspicatus. I. H. Onions qui partem tantum compendiosae doctrinae sed eam idoneo instrumento critico adornatam emisit (Oxonii a. 1895) cum eadem hoc modo signata daret

'*† Ocule noxitudo*
Oblítteretur Pélopidarum ac pér nos sanctescát genus',

cruce critica fixa ante *ocule* ibi scilicet mendam delitescere indicavit. Denique L. Muellerus, Nonii auctor non ingeniosissimi sed sumptuosissimi, versibus istis ita formatis

. . . . *quei nóxitudo oblítteretur Pélopidum*
ac pér nos sanctescát genus

hanc adnotationem subiecit: '*quei* M(uellerus) *ocule* (praec. *o*) C(odices); *Pelopidum* M *Pelopidarum* C; idem vitium in Agamemnonidis Accii p. 146 s. l. *oblitterare*; qui priorem v. pro trimetro habuerit, non pro parte tetram., licet huic reponatur *ac pér nos genu' sanctéscat.*' Quae temere ac sine ratione ulla exposita documento esse possunt quam verum sit quod diximus doctos homines hoc sequi unum, ut mutatis ad libidinem verbis ludendo modo sic modo sic, ut aiebat rusticus, versus fingant qui sibi placeant. Haec editores Nonii. Ribbeckius autem, qui iam ter reliquias tragicas collegit ac recensuit, ut valde tenax esse suorum solet, ita novissime acquievit hac quam olim commendaverat horum versuum conformatione

nóxitudo . . .
Oblítteretur Pélopidarum, ac pér nos sanctescát genus.

Desiderari enim opinatur in fine prioris *mutua; ocule* autem quod

abiecit ex glossa *occule*, *occulta*, quae legitur p. 148, 20, huc irrepsisse suspicatur, 'secuta illa', ut ait, 'olim titulum *oblitterare* p. 146, 28, cui ipsi noster locus fuerit adpositus.' Qui tamen quam non contentus fuerit forma versuum ter proposita iis declarat quae a. 1871 adnotavit: 'varie transponi et mutari possunt verba: vel *oblítteretur nóxitudo Pélopidum* | . . . . *ac pér nos sanctescát genus;* vel *Pélopidum* | *Oblítteretur nóxitudo ac pér nos s. g.*'

Hiscine putabit aliquis quicquam certi et cui fidem habeat repertum esse? Non, opinamur. Sed ut mittamus paulisper *ocule*, quae vox plerisque praecipuae offensioni fuit, quod post *noxitudo* intercidisse vocem trisyllabam mensura cretica statuunt, sive *pristina* sive *mutua*, hoc est ex eo genere deliberandi quod non possit non perversum ac sanae rationi contrarium haberi. Nam tantum abest ut sententia eius modi additamentum requirat, ut quidquid addideris, dubitari non possit, quin poetae oratio perapta ac perspicua misere corrumpatur. Quare non ex praesumpta metri forma colligere mancum esse versum debebant, sed contra ex eo quia nihil addi potest quod oratio ferat aut recipiat, non esse eam quam crediderunt numeri rationem intelligere. Non minus mera libidine et versus conficiendi gratia excogitatum est, quod *Pelopidum* pro *Pelopidarum* genetivum pro genetivo reposuerunt, id quod Muellero eo verisimilius visum est quod p. 146, 30 'idem vitium', ut ait, in versu Accii occurreret. Quasi vero cum bis eadem temeritate utare, alteri ex altera aliquid subsidii accedat: nam quod ille 'idem vitium' dicit, est eadem fides librorum, quae hic et illic *Pelopidarum* formam testatur. Sic enim scribit Nonius l. c.

> '*oblitterare est obscurefacere et in oblivionem ducere. Accius Agamemnonidis: "inimicitias Pelopidarum extinctas iam atque oblitteratas memoria renovare".*'

De quo versu paulo post disputandum est: interim haec duo exempla satis fidei faciant Accium *Pelopidarum* formam non sprevisse, quem etiam *Tantalidarum* dixisse constat in sententia nostrae simili (fab. incert. VII 657 R.)

> *Quinam Tantalidarum internecioni modus*
> *Paretur aut quaenam umquam ob mortem Myrtili*
> *Poenis luendis dabitur satias supplici?*

Pelopidarum ipsum etiam tertio loco in versu quodam ignoti poetae tragici legitur, qui Ciceroni semper in ore est: laudat enim modo

plenum *ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audiam* (vel *facta neque famam audiam*), modo, utpote notissimum, dimidiatum *ubi nec Pelopidarum*. Quodsi oratio nulla re augeri potest nec licet *Pelopidarum* in breviorem formam convertere, iam consectarium fit, quoniam *ocule*, quod mox probabitur, ad hunc versum pertinere non potest, Accium eam versus formam voluisse, quae ex verbis traditis nulla voce mutata prodit:

Nóxitudo oblitteretur Pelopidarum ac per nos sanctescat genus.

Qui praeclarus est omni genere pentameter trochaicus. Quid ergo hoc esse dicimus, quod doctos homines videmus versus Acciani tam sententiam quam orationis formam, utramque egregiam, omni libertate corrigendi maluisse in deterius mutare quam illud metri genus, quod proponimus, agnoscere et comprobare, cum praesertim ipsi persentiant, ut eorum adnotata testantur, se nihil stabile aut quod ipsis satisfecerit ista coniectandi temeritate assecutos esse. Recusant fateri, quod apertum est nec negari potest, veteres poetas Romanos hoc genere metrorum usos esse, quod Graecis non inusitatum fuisse testimonio et exemplis constat, et quod Bentleius ne a Terentii quidem comoediis alienum fuisse demonstravit. Nos olim (in prooemio hib. a. 1888/89, Op. ac. P. I p. 420) versus nonnullos Ennianos eadem audacia emendandi multifariam vexatos nulla
6 littera inflexa integros et eximia arte formatos pentametros trochaicos esse persuadere studuimus, frustra, si quid Ribbeckii tertiae recognitioni credas. Nuper ad eandem quaestionem reversi (in relat. acad. a. 1901) Terentii quibusdam versibus multum et in diversas partes discerptis salutem non constare ostendimus nisi illa forma versus recepta. Atque ut verum fateamur nos ita sentimus, si quod Accio reddidimus unum esset huius metri exemplum, ambigere non licere propterea quod numeri pedesque tam aperte ac venuste cum oratione ac sententia conspirant. Nunc nisi fallit opinio inter Accii reliquias plures sunt versus quos probabilitas suadet ut his numeris compositos statuamus.

Sed nobis redeundum est ad *ocule* quod versui nostro praefixum est a Nonio: cui voci tam nullam esse vim ac sententiam docti crediderunt, ut aut abiiciendam esse aut acriore remedio ad sanitatem revocandam censerent. At Ribbeckii ratio qua is *occule* (non *ocule*) ex alio Nonii loco in hunc translatum esse sibi persuasit, nimis est artificiose quaesita, quam quae facile probari

possit*). Muellerus autem qui Nonium scripsisse affirmat *a. iudicio: 'quei noxitudo —'*, quamquam idem tam Nonii textu quam Accii reliquiis a se editis recepit, nobis nec sententiam consuluisse neque litterarum mutandarum artificio, quo solo quorundam criticorum virtus continetur, ullo pacto satisfecisse visus est. Sed Ribbeckius mirum est quod cum coniecisset *ocule* esse *occule*, quod verbum Nonius paulo post (148, 20) affert et explicat, illud non vidit, nihil aptius potuisse ad hanc sententiam applicari quam ipsum illud *occule* i. e. *occulta*. Is enim, qui noxitudinem Pelopidarum oblitterari sive in oblivionem adduci cupiebat, quid poterat magis [illegible] apposite iubere eum quocum colloquebatur quam occultare ea [illegible] quorum ille videtur revocare memoriam voluisse. Si autem haec [illegible] se intima necessitudine excipiunt

occule:

Noxitudo oblitteretur Pelopidarum ac per nos sanctescat genus,

iam praecisa est omnis facultas aut aliter dimetiendi numeros aut [illegible] mutandi verba et importuna manu turbandi quae scitissime composita sunt.

Haec dum reputamus, advertit altera sententia ex eodem Accii armorum iudicio allata a Nonio qui p. 237, 18 scribit

> '*altum vetus antiquum. Vergilius georgicorum lib.* IIII (v. 285) "*altius omnem expediam prima repetens ab origine famam*" *et lib.* VIII (v. 395) "*quid causas petis ex alto?*". *Accius armorum iudicio* "*cur vetera tam ex alto adpetissis discidia Agamemno?*".'

Omittimus Nonium non satis recte quod est *altum* interpretari,

---

*1) In adnotatione conabimur si possumus hanc perversitatem paulo accuratius declarare. Sunt enim tres loci Nonii qui huc pertinent: a) 145, 21 *Noxitudo* cum exemplo ex armorum iudicio, de quo agimus; b) 146, 28 *Oblitterare* cum exemplo ex Agamemnonidis quod attulimus; c) 148, 20 *Occule occulta. Cicero . . .'* Itaque finxit hunc titulum *occule* aliquando secutum esse illum qui est 146, 28 *Oblitterare*, in hoc autem titulo scriptum fuisse olim versum ex armorum iudicio, quia is versus etiam *oblitterandi* verbum habet. Illud non apparet, utrum hunc versum tantum *Oblitterandi* titulo haberi voluerit an etiam titulo *Noxitudo*. Sed certe, si *occule* excipiebat titulum *oblitterare*, in quo versus *ocule noxitudo* non legitur sed aliquando lectum fuisse coniectatur, ne sic quidem satis intelligeretur qui *ocule* in eum versum pervenisset, nedum in eum titulum qui est *Noxitudo*. Illud autem falso sumitur, Nonium versum *ocule noxitudo,* quia et vocem *noxitudo* et *oblitterare* habet, sub his duobus titulis adlaturum fuisse, quod praeter Nonii consuetudinem esse facile demonstrari potest.

sed Accii verba sic ut supra scripta sunt codicum testimoniis, leviculis quibusdam differentiis non obstantibus, satis perspicue traduntur. Neque est quod *adpetissere* verbum, unde *adpetissis*, quamvis singulare sit, addubitetur. Metri autem forma aperta est neque ambigua:

Cur vétera tam ex alto ádpetissis díscidia, Agamemno? . . .

Nisi quod ille artis metricae antistes quia probabile non sit 'ab Accio praeter primum pedem in numeris iambicis admissum proceleusmaticum', coniectura usus, quae cupientem numquam deficit, hoc versu suum Nonii textum ornavit

cur vétera tam ex alto ádpetissis díscidi, Agamemno, [ínitia]?

Sic mille locis poetarum veterum Romanorum superbia criticorum vanis praeceptis metricis inflata orationem vel optime structam sua sponte deformavit. Nam quis qui non cupida mente sed libero iudicio orationem perspicit, non hoc intelligat, *vetera discidia ex alto adpetissere* apte et ut decebat, non *vetera discidii initia* dici? Quod vero Ribbeckius scribit *optime* posse versum concludere, inanis est opinatio et cuius nulla ratio apparet. At quoniam versus ille cretica voce finiri poterat aut debebat, quidni in hac sententiarum communione coniungimus quae coniuncta integram orationis continuitatem efficiunt:

Cur vétera tam ex alto adpetissis discidia, Agamemno? occule:
Nóxitudo oblitteretur Pelopidarum ac per nos sanctescat genus.

Cui iuncturae illud non obstat quod iambicum octonarium excipit pentameter trochaicus, quod genus ne Terentii quidem artem refugisse alibi diximus (relat. acad. l. c. p. 1108). Sed si illa probabiliter composuimus, iam apparet Agamemnonem esse eum quem ille nescio quis iubeat occultare et oblivione obruere vetera Pelopidarum discidia, quae iam in eo erat ut ille ex alto adpetisseret. Quis vero is fuerit cuius haec verba sint, ambiguum est nec satis perspicuum. Putamus autem, maxime propter illa verba *per nos sanctescat genus*, quae mutari non debebant, Menelai esse fratrem admonentis. Ribbeckii quidem rationes, qui horum versuum tenorem non perspexit, in libro de tragoedia Romana p. 373 sq. expositae (somniat enim nescio quas inimicitias Atreum inter et Alcathoum fratrem) nullo modo stare posse videntur, si quidem *vetera discidia*, quae Agamemno replicaturus erat, aut *Pelopidarum noxitudo*, quae oblitteranda dicebatur, non possunt nisi ad Atrei et Thyestae inimicitias referri, idque comprobari arbitramur versu

similis sententiae, quem a Nonio p. 146, 30 allatum supra p. 450 apposuimus. Quem iam disceptabimus paucis. Ex Accii igitur Agamemnonidis haec afferuntur: *inimicitias Pelopidarum extinctas iam atque oblitteratas memoria renovare.* Quorum sententia aperta est neque hic quidem *Pelopidarum inimicitiae* quae dicantur obscurum. In verbis haeret aliquid dubitationis propter discrepantiam librorum: nam si verum est, quod testantur docti, in Harleiano codice prima manu exaratum esse quod supra scripsimus *extinctas iam atque oblitteratas*, non licebit eam auctoritatem negligere, sed tamen mirum est, cum haec probabilis scriptura esset, correctrici manu in eodem codice effectum esse *extincta tam oblitteratas*, quod ipsum ferri non potest. Sed est haec ceterorum scriptura*), cui si quid tribuendum sit, malimus cum Quicherato scribere *extinctas et iam obl.*, quia *iam* non minus apte, sed paulo fortasse aptius cum *oblitteratas* quam cum *extinctas* coniungitur*). Sed Harleiano codici si fides est, illam scripturam retineamus oportet. Ceterum de ea re utut iudicatur, ad totam formam orationis aut sententiae nihil inde ambiguitatis redundare apertum est. Sed verba Accii editores Nonii et Ribbeckius duce Vossio in tres versus distribuendos duxerunt:

ínimicitias Pélopidum
Extínctas iam atque oblítteratas mémoria
Renováre.

In quibus trimetris nihil est quod valde vituperetur, sed constare non poterant nisi *Pelopidarum* nomine in alteram formam genetivi mutato. Quod cur improbabile habendum sit supra p. 450 expositum est. *Pelopidarum* autem si servamus, quod ratio suadet, actum est de illis versibus et consentaneum est conari nos poetae aliud genus metrorum reddere. Id quod nullo negotio efficitur, si quidem sua sponte haec verba, non coacta critico iussu mensionem trochaicam subire manifestum est, sive hoc modo ut integrum octonarium excipiant reliqua

Ínimicitias Pélopidarum extínctas iam atque oblítteratas
Mémoria renovare

---

*13) Ex *tā* natum *causa* Urbinatis codicis, ex quo nihil efficiendum erat. Mirabilia sunt quae Ribbeckius coroll. com. LXXIV scribit.

*15) Cf. Cicero in Verr. II I 21, 56 *ne haec cuipiam nimis antiqua et iam obsoleta videantur.* Varro de l. L. IX 16 *sic enim obsolescent ac postea iam oblitterata facilius corrigi poterunt.*

sive, quod propter illam similitudinem nobis praestabilius visum est, ut pentametrum expleant

Ínimicitias Pélopidarum extínctas iam atque oblítteratas mémoria
Renovare.

Verum quidquid statuitur, ad nostram causam nihil interest: nam nostrum non tam est verba Accii suis versibus restituere quam eorum integritatem a criticorum temeritate vindicare. Id quod cadit etiam in hoc exemplum quod idem Nonius suppeditavit.

II. In libro tertio compendiosae doctrinae qui agit de indiscretis generibus p. 225, 32 haec leguntur

'*squalor masculini est generis. Feminini Accius Eurysace: "pro di inmortales speciem humanam inusitatam egregiam indignam clade et squalitudine".*'

Non est quod levissimas quasque scripturae discrepantias enumeremus, quae fere ne impediunt quidem quominus agnoscatur quid verum sit aut quid scriptum fuerit. Unum *inusitatam*, quod tenent libri omnes, quaeri oportet, sitne ita recte scriptum an pro eo *invisitatam* reponendum, quod cum illo etiam alibi permutatum est. Sed critici hoc quasi tradito utuntur non ut tueantur sed ut inde efficiant quo opus sit ne oratio ruat. Pendentem enim accusativum *speciem humanam* eqs ne suo regimine carere paterentur, quod usui esset ex *invisitatam* petierunt. Itaque a Bothii invento *invisito tam egregiam* exorsus Nonii sospitator haec in exemplari suo repraesentavit:

pro di ínmortales! spéciem humanam invísita
tam egrégiam, indignam scabie et squalitudine.

In quibus *scabie* quod posuit pro *clade* (nam hoc inesse in librorum *ciade* pridem perspectum est) relinquimus: alterum quod vocem *invisitatam* dissecuit in duas, etsi perdignum est magno critico facinus, non tamen eius desiderium explevit: sensit enim iam parum aptum esse *tam*, et modeste adnotavit '*tam* fortasse delendum'. Deleamus ineptam particulam. Quid tum postea? Nempe periit eximiae divinationis probabilitas. Itaque rem in medio opere reliquit, et aliis commendavit quod ipse non probat nisi ex parte. Eadem via longius provectus est is qui excogitavit quod Onions suo textu recepit, qui ut ille percupidus est Nonium quam emendatissimum exhibendi: scribit enim

Pro di ínmortales! spéciem humanam invísi, ita
Egrégiam, indigna cláde ac squalitúdine.

Is igitur *tam* syllaba fortiter abiecta, quam ille invitus tolerabat, quae restabant *invisita* rursus divisit in duo, ut haec praeclara haberet *invisi, ita Egregiam.* Nihil dicimus de ratione metrica quam iniit; sed quis non videt talia tesserarum lusu digniora esse quam arte seria ac severa.

Tres illi quos diximus, ne abesset quod regeret accusativum, hoc ex *invisitatam,* quia verbi *invisendi* vel *invisitandi* speciem offerre videretur, recuperarunt: illud non viderunt, quam absurdum esset et hanc orationem dedeceret totum verbum quacumque forma poneretur. Id non fugit Ribbeckium, qui cum retineret ac defenderet *invisitatam egregiam,* quae optime coniungerentur, in corollario ad reliquias tragicas a. 1871 editas p. LVI de *invisita* vel *invisito* hoc admonuit: 'neque ad subitum ac primum conspectum quadrat verbum frequentativum neque exclamatione *pro di inmortales* alterum excitamus ut oculos in aliquid intendat.' Addimus hoc idem cadere in *invisi* narrantis formam, cum illa exclamatione non melius congruentem. Sed tamen Ribbeckius, cum in hac re recte iudicasset, in altera erravit cum vulgo: perstitit enim in eo ut verbum desiderari diceret, quo addito utrumque assequi voluit, ut et orationis structura ne labaret et probabilis versus forma exiret. In eoque consilio duplici faciunt cum illo ceteri, nisi quod mutando ex *invisitatam* effici voluerunt, quod Ribbeckius addendo: qui haec scribit, ut addamus quod addi posse dixit,

. . . . pro di ínmortales! spéciem humanam [cóntuor]
Invísitatam egrégiam, indignam cláde et squalitúdine,

similiterque Quicheratus edidit nisi quod *inusitatam* servavit cum libris.

Ergo, quod principium fuit horum errorum, nemo criticorum huius orationis proprietatem perspexit, quae non solum non requirit verbum sed aucta verbo deterior evadit. Exclamationi enim 10 accusativum nominis a nullo verbo pendentem subiungi frequentis est usus, quem videmus nunc doctissimos viros conficiendi versiculi cura occupatos et occaecatos negligere et oblivisci. Satis esto pauca exempla attulisse. Itaque Accius ipse ait Alphesiboea VIII

O dirum hostificumque diem, o
Vim torvam aspecti atque horribilem!

Terentius Adelph. III 4, 1

Pro di immortales, facinus indignum, Geta,
Quod narras.

Eunuch. III 1, 28

Di vostram fidem, hominem perditum
Miserumque, et illum sacrilegum.

Ibid. v 4, 21

Pro deum fidem, facinus foedum, infelicem adulescentulum, aliique saepe. Quare cum nihil sit quod Accium eodem modo nunc locutum esse negemus aut dubitemus, perspicuum fit haec quae tradita sunt '*Pro di inmortales, speciem humanam invisitatam egregiam indignam clade et squalitudine*' integerrimam esse orationem, in qua nec mutari quicquam neque addi aut demi nisi cum insigni detrimento eius possit. Et hoc nos pro certo habemus, quidquid de versu instaurando statuitur. Sed si circumspicimus, qua ratione verba apte in versus distribui possint, non videtur melius posse sententiae et orationis naturae responderi quam partibus hoc modo dispertitis:

pro di ínmortales,
Spéciem humanam invísitatam egrégiam indignam cláde et squalitúdine.

Quorum versuum alter est pentameter trochaicus, in quo sive verba sive metra perspicias nihil esse fatendum est quod non optime elatum sit; illa *pro di inmortales*, nisi fallimur, octonarii exitus, quae in extremo superiore habentur ut apud Terentium Adelph. III 13, 2

Pro Iuppiter,
Hominis stultitiam.

III. Impeditiora sunt quae capite tertio complectimur. Primum haec quae Nonius scribit lib. VIII qui est de mutatis declinationibus p. 485, 4

'*iteris positum pro itineris. et quidem recte ab eo quod iter iteris facit, itiner itineris. Naevius Lycurgo: "ignoti iteris sumus, tute scis". Accius Oenomao: "praesto etiam adsum. exprome quid fers: nam te longo itere cerno vadere". idem Telefo . . .*'

In quibus sunt quae a Nonii editoribus non recte institui videntur*).

*34) Nam primum haec quae recte scripta sunt *iteris positum pro itineris et quidem recte ab eo quod iter iteris facit, itiner itineris* quia non intellexerunt quamvis aperta additamentis quibusdam plane pessum dederunt, dein ab Nonio abiudicarunt, qui eandem sententiam in lib. VIII de mutatis declinationibus p. 482, 19 affert cum in mediis exemplis formae *itiner* addit: *equidem*

Sed nos non agimus nisi de Accii verbis ex Oenomao depromptis. 11
Quae ut metri formam reciperent varia temptata sunt a doctis; olim *exprime* pro *exprome* posuerunt quod Quicheratus retinuit:

praesto etiam adsum: exprime
Quid fers: nam te longo itere cerno vadere.

Haec est illa metrorum blanditia, quae etiam doctis hominibus subinde fucum facit, ut verbis a sententia abhorrentibus acquiescant quia numeros explent. Quis enim ferret hoc *exprime*, quod quam ineptum sit in hac sententia neminem fugere potest, cum in promptu esset *exprome quid fers*, quo nihil erat huic orationi accommodatius, modo hoc tam facile quam illud metrorum generi quod volebant applicaretur. Muellerus maluit haec ita edi:

'praésto, em, iam adsum.' — 'exprómito:
quid férs? nam te e longo ítere cerno vádere.

Plura novavit quae nunc non persequimur: *expromito* autem quod posuit, servavit ille quidem verbum traditum et rei aptum, sed versus scilicet perficiendi causa cum *expromito* facit pro *exprome*, cui hoc probabile videbitur qui modo sensum sermonis affert et quid istae formae verbi distent non ignorat.

Illi alterum versum trimetrum esse iusserunt. Ribbeckius, qui *exprome* intactum reliquit, maluit tetrametrum formare hoc modo:

. . . praesto etiam ádsum. —
Exprôme quid fers: nám te longo [ab] ítere cerno [huc] vádere.

Supplementa missa facimus quibus effecit ut hic tetrameter recto talo staret. Illud advertimus, quod verba *praesto etiam adsum*, in quibus *em iam* posse pro *etiam* scribi coniecit et Muellero persuasit, a proximis verbis non solum metri genere sed etiam sententia separavit ita ut haec alii personae adscribenda duceret: versum autem paroemiaci partem esse voluit, statuit enim quem haec dicentem fingit, aliquot versibus anapaesticis adventum suum indicare eique dein alterum ita respondere ut iuberet expromere quid ferret. Non nova est haec opinio de duabus personis inter se sermocinantibus, sed olim proposita, a Quicherato quidem repudiata,

---

mutata declinatio non est; ab eo quod est iter iteris facit, ab eo quod est itiner itineris, quae et ipsa resecant et interpolatori adscribunt. Idemque cum Charisius docet I p. 48, 20 et 49, 11 (cf. 83, 3 sqq. et p. 134, 12 sqq.) tum Priscianus VI p. 229, 1 sqq. Etenim quia vulgo *iter itineris* tamquam heteroclita ferebant, grammatici negabant hoc recte fieri, sed *iter iteris*, *itiner* autem *itineris* facere. Cur igitur vetamus Nonium hoc idem docere?

a Ribbeckio autem denuo commendata, post quem Muellerus eandem sibi sententiam adrogavit. At nos, ut mittamus alia quae isti rationi adversari videntur, verba ipsa *praesto etiam adsum* quid sibi velint dum exquirimus, id nobis persuademus nullo modo posse in advenam quadrare qui se venisse et iam adesse nuntiet, neque eo magis ad hanc rem apposita fore si pro *etiam* reponas *em iam*: totam enim hanc orationem tali consilio quali accom-
12 modari volunt aperte refragari. Quid ergo est? Nos si recte sensum ex his pauculis verbis excutimus, non hospitem nescio quem peregre advenientem audire nobis videmur, sed potius eum qui provocatus e domo ut progrediatur audiendi causa quae afferantur respondet se praesto adesse: quasi provocanti *τὸν καὶ τὸν ἐκ δόμων μολεῖν καὶ παρεῖναι δεῦρο βούλομαι* domo progrediens respondeat *καὶ δὴ πάρειμι*. Huic enim Graecis frequentatae particularum iuncturae, qua se quis facere fatetur quod iussus erat (*ἱστόρει τί σοι φίλον.* ‖ *καὶ δή σ' ἐρωτῶ. τάδε φράσαι.* ‖ *καὶ δὴ πέφρασμαι*) persimilem esse opinamur *etiam* particulam, nimis illam, ut apparet, neglectam a doctis, qua nobis tamquam certissimo indicio prodi videtur hanc esse respondentis orationem. Ac si quis de Graeca tragoedia vel Aeschyli Choephor. v. 634 sqq. vel Euripidis Phoeniss. 298 sqq. Helen. 435 sqq. reminiscitur aut inspexerit, facile sibi animo informare poterit, quo modo haec acta sint in scena, cum quis adveniens provocat et provocanti respondetur.*)

Quae si probabiliter disputata sunt, negari non poterit, orationem hanc quam dissecuerunt et in duas personas distribuerunt, unum esse et continuum unius personae sermonem: *praesto etiam adsum: exprome quid fers: nam te longo itere cerno vadere.* Quae nos dum curiosius rimamur ac perspicimus, non possumus non sic uti scripta sunt in libris integra et intacta habere, in quibus nihil sit, quod aut deesse aut superesse dicas, nihil quod non mutando necesse sit in deterius mutetur. Quo magis cavendum est, ne cum numeros verbis reddimus corrumpamus quae egregia sunt. Videntur autem haec nulla syllaba mutata in pentametrum trochaicum coire:

Praésto etiam adsum: expróme quid fers: nám te longo ítere cerno vádere.

---

23) [CF. Plauti Capt. 977
HE. *Philocrates, per tuum te genium obsecro, exi, te volo.*
PH. *Hegio adsum, si quid me vis, impera.*]

In quo praeterea nihil est quod offendat aut vituperetur, nisi forte quod in *lóngo ítere* vocales non contrahantur. Qui trimetrum maluerunt, hoc evitarunt:

quid férs: nam te longo ítere cerno vádere,

sed exitus prioris ad idem genus referri non poterat nisi depravata oratione: inde enim nata sunt *exprime* et *expromito.* Ribbeckii tetrameter hiatu non carebat, quem expulit:

Exprόme quid fers: nam te longo [*ab*] *itere cerno* [*huc*] *vadere:*

paulo enim importunius, ut solebat, versum duplici additamento auxit: lenius idem efficitur si *feras* de Buecheleri opinione scribas, quamquam dubitatio est, quam recte hoc pro illo poetae obtrudatur. Sed esto de tetrametro: ne sic quidem extrema pars superioris versus suam nacta mensuram videatur. Quo fidentius repetimus eum quem supra proposuimus pentametrum

Praesto etiam adsum: exprome quid fers: nam te longo itere cerno vadere,

qui si quid iis quae adhuc disseruimus effectum est, non deterior illorum machinis sed paulo fortasse iis praestabilior habebitur. De hiatu autem ita sentimus, quoniam altera forma quae est ab *itiner* Accius uti non poterat, vix clementius hianti orationi occurri posse quam in media ea *huc* particula adiecta.

Praesto etiam adsum: exprome quid fers: nam te longo [*huc*] *itere cerno vadere,*

ut Accius nunc eodem modo locutus videatur quo Epigonis IV (Non. p. 158, 7) *iam Amphilochum huc vadere cerno,* sed fatendum 13 est ne hac quidem voce adiecta opus fuisse et orationem eam esse quae nihil mutationis recipiat.

Itaque in ambiguo relinquendum est, Accius utrum semper in versibus faciendis vocales contraxerit an nonnumquam ne distractas quidem fastidierit. Cuius generis alterum exemplum expendendum est. Nonius lib. IV de varia significatione sermonum p. 279, 25 haec scribit

'*deponere est desperare: unde et depositi desperati dicuntur. Lucilius .. Vergilius .. Accius in Tereo* [II]; *idem in Alphesiboea: "etsi est in malis depositus animus meus, quae scibo, exinde audies".*'

Rursus ut inde incipiamus, unde solemus, haec de Alphesiboea verba qui spectat, intelliget, opinamur, non solum integram et perspicuam esse sententiam, sed nativa simplicitate orationis ex-

pressam qua solet uti Accius. Et nisi metrorum sollicitudo doctos transversos ageret, starent intacta et placerent omnibus. Nunc postquam in animum induxerunt, hos trimetros esse, integrum et dimidiatum alterum, quoniam parere verba huic imperio noluerunt, invita cogi necesse erat. Itaque hos versus descripserunt:

etsi est ín malis
depósitus animus, quaé scibo exinde aúdies.

Pronomen *meus* enim Bothio praeeunte cum Muellerus tum Ribbeckius expulerunt et ille, ne quis dubitet, adnotat *mus* syllabam praecedere ex qua *meus* nasci potuerit*). Ribbeckius autem aliquando dubitavit (coroll. in com. reliq. a. 1873 p. CIX), quam recte pronomen deleretur; et videtur adhuc ita sentire servari posse sed transpositum. Cum enim versus alter mancus sit, ibi spatium paratum est, quo pronomen recipiatur. Itaque Quicheratus edidit

etsi est in malis m e u s
Depositus animus, quae scibo exinde audies.

Ribbeckius autem, quod certe praestat et quod sibi verum videri adnotat

etsi m e u s *est in malis*
Depositus animus quae scibo exinde audies.

Alii ab eadem persuasione qua hos trimetros esse decrerunt, *meus* pronomine relicto alia parte versum adiuvare conabantur, cum *ex me audies* et similia scribenda proponerent. Quae conamina omnia apertum est orationi simplicitate dicendi ac naturali verborum ordine conspicuae non profuisse, et cum fide licet affirmare nihil eorum vel infimum gradum probabilitatis assequi. Veram rationem unus perspexit Buechelerus, cuius felix ingenium multifariam his reliquiis a Ribbeckio tertium recognitis saluti fuit; is enim intellexit hos non trimetros esse, quos frustra laborarunt refingere, sed verba immutata in trochaicum octonarium abire. Quem ita descripsit:

Étsi est in malís depositus ánimus meus quae scíbo exinde
Aúdies.

Quae nos vehementer probamus (nam Ribbeckio non persuasit), nisi quod ex iis rationibus quas exposuimus, voce quam exclusit versu recepta integrum pentametrum constituere malimus

Étsi est in malís depositus ánimus meus quae scíbo exinde aúdies.

*) 10) Qui ne expers meriti abiret etiam *etsist* scripsit.

In quo qui hiatus est inter *scibo* et *exinde* tolli quidem potest non uno modo, velut *scibo* [*ea*] *exinde* vel *scibo* [*e me*] *exinde*, sed utrumlibet supervacaneum est additamentum et inutiliter orationem onerat. Quare nos ita censemus, hunc hiatum non magis dedecere poetam quam quem supra vidimus in versu Oenomai: *nam te lóngo ítere c. v.**).

Similis controversia re summa profligata manebit in extremo quod tractaturi sumus exemplo. Nonius enim lib. I compendiosae doctrinae p. 39, 5 scribit haec

'*eliminare extra limen eicere. Pacuvius ... Ennius ... Accius Meleagro "timide eliminor (tum ut eliminor) clamore simul ac nota vox ad auris accidit".*'

Idem lib. IV de varia significatione sermonum p. 292, 20

'*eliminare est exire. Ennius ... Accius Foenissis ... idem Meleagro: "timidae eliminor clamore simul ac nota (agnota) vox ad auris accidit (accivit)".*'

Ex coniunctis amborum locorum scripturis hoc videtur satis patere formam primitivam sententiae Accianae hanc esse: *timida eliminor clamore simul ac nota vox ad aures accidit*, nisi quod *timida* an *timide* primitus scriptum fuerit, ambigi potest. Sed *timida* praestabit, si quidem haec recte de sententia Ribbeckii ad Althaeam matrem Meleagri referuntur. Ceterum sententia plana est, ut non sit quod opem criticam exspectet aut requirat. Coniunguntur autem verba sic *timida eliminor clamore*, neque opus erat aut cum Bothio *[Cum]clamore simul ac* scribi aut *[E]clamore simul ac* cum Ribbeckio; neque haec omnino sententia flagitante sed metri stabiliendi causa inventa sunt. Nam cum haec discedere in duos versus vellent, quoniam id fieri non poterat eo modo quo Onions alterum descripsit, iusto minorem aut maiorem iusto

timida elíminor
Clamóre simul ac nóta vox ad aúres accidit,

aut horribiliore dimensione Quicheratus,

*6) Sunt haec eiusdem generis exempla hiatus: *lóngo ítere* et *scibo éxinde*. Quibus tertium addo Plautinum Capt. II 3, 66

Íd ut scias Iovem supremum testem laúdo Hégio,

quem versum ita Nonius p. 335, 10 tradidit, *do* libri Plautini. Non eiusdem generis sed tamen attendendum hoc Accianum apud Nonium p. 15, 31 (452 R.)

Méleagro ubi tórrus esset interfectus flammeus,

quod prave deletur.

timide eliminor
Clámore simul atque nota vox ad aures accidit,

additis voculis istis probabiles versus efficere studuerunt, Ribbeckius

timida eliminor,
É clamore símul ac nota vóx ad aures áccidit

et cum Bothio Muellerus

timide elimĭnor,
cúm clamore símul ac nota vóx ad aures áccidit.

Sed tamen vel his commentis quam fidem habeas, quae non sententiae necessitate sed mera versuum faciendorum commoditate nituntur.

Rursum unus recte iudicavit Buechelerus cui mirere Ribbeckium ne hic quidem astipulatum. Is enim spretis futilibus coniecturis sed adhibita dimensione trochaica, quae se paene auribus inculcat non surdis, hunc probabilem octonarium proposuit

Tímida eliminór clamore símul ac nota vóx ad aures
Áccidit.

Sed simul recurrit ea quam modo in Alphesiboeae versu tetigimus quaestionem, utrum praestet, tetrametrum statuere superaddita voce an omnia in unum pentametrum concludere:

Tímida eliminór clamore símul ac nota vóx ad aures áccidit.

Ac nobis hoc, licet illud refutari nimirum non possit, eo probabilius visum est, quia huic ne hiantis quidem orationis offensiunculam obsistere apparet. Sed tamen illi quoque versui putamus ex hoc nonnihil adminiculi accedere, quo facilius hiatu non prohibente pro vero pentametro habeatur. Verum de ea re utut iudicabitur, nobis satis sit si hoc assecuti sumus ut intelligatur artem criticam in reliquiis veterum poetarum Romanorum exercere magnae rem cautionis esse, ne cum probos versus facere cupiamus sententias et orationis formas nostra culpa deformemus et corrumpamus. Scr. m. Maio a. MDCCCCII.

LVII. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1903.

De Aristotelis rhetorica nuper a doctis et acutis viris contro- 3 versiae motae sunt, quae si nihil aliud, hoc certe efficient, quod bonum sit, ut accuratius etiam in huius operis naturam et condicionem inquiratur. Agitur enim de integritate horum librorum, quos adhuc putabamus satis probe pro more Aristotelico scriptos nec nimia librariorum socordia traditos esse. Quos nunc evincere student ne scriptos quidem ab Aristotele esse, aut si scriptos, tamen retractatos ab eo qui nihil antiquius habebat quam ut primitivam orationem ad breviorem formam redigeret et inprimis inutili exemplorum allatorum onere levaret. In qua quaestione quae late patet multorumque argumentorum usu continetur, nonnihil momenti fecit etiam interpretum Graecorum fides, quae quanti aestimetur, non raro est quod ambigatur. Quorum scholia quoniam nuper Hugonis Rabii diligentia excussis codicibus ita edita sunt ut in exploranda eorum auctoritate paratum sit quo pedem figere liceat, prooemiandi occasione usi ab hac parte aliquid conferre si poterimus ad iudicandam Aristotelis rhetoricam instituimus, sed ita ut ne eam quidem causam exhauriamus totam, id quod hoc loco fieri non potest, verum ut exemplis paucis ostendamus, quid in eo genere et qua via quaeri oporteat, si forte navis adolescentibus, quibus haec scribuntur, inde aliquid incitamenti oboriatur ut haec a nobis obiter inchoata sua sollertia exaedificent et expoliant.

I. Itaque in rhetoricae tertio ubi de similitudinum natura disseritur et quid eae a translationibus differant, cum alia multa similia afferuntur tum hoc quod Demosthenis esse dicitur (c. 4 p. 1407 a 5) *καὶ ὁ Δημοσθένης τὸν δῆμον, ὅτι ὅμοιός ἐστιν τοῖς ἐν τοῖς πλοίοις ναυτιῶσιν.* Ad quae in scholiis haec adnotata sunt (p. 179, 7 Rabii) *ὥσπερ γὰρ οἱ ἐν τῷ πλοίῳ ὄντες ὑπὸ τοῦ σάλου τῶν κυμάτων ταρασσόμενοι ναυτιῶσι καὶ ἁπλῶς ἀφορῶν πρὸς τὴν θάλασσαν, οὕτω καὶ ὁ δῆμος ναυτιᾷ καὶ ἰλιγγιᾷ ἀφορῶν*

πρὸς τὰ πράγματα. Haec verba, quae auctorem non habent nisi
4 hunc scholiastam, Ioh. Iac. Reiskius sic emendata ut scriberet *καὶ ἀηδῶς ἀφορῶσι πρὸς τ. ϑ.* ipsius esse Demosthenis verba existimavit (ind. Graec. Demosth. s. v. *ναυτιᾷν*), eaque qui reliquiis orationum Demosthenicarum recepit (p. 254 n. 16) Herm. Sauppius ita iudicavit ut 'neque quicquam inesse quod Demosthenes dicere non potuerit neque scholiastae illa sermonem referre' affirmaret. A quorum opinionibus non leviter discessit collega noster Ulricus de Wilamowitz-Moellendorff, qui in luculento opere quod *Πολιτείᾳ Ἀϑηναίων* restituta de Aristotele et Athenis fecit (vol. I p. 350 n.), cum id ageret ut rationes quae essent Aristoteli cum Demosthenis eloquentia patefaceret, hoc exemplum Demosthenis nomine ab Aristotele citatum et quae scholiasta ad id explicandum adiecit acriore iudicio temptavit. Qui haec quidem quae scholiasta affert ab eo tamquam Demosthenis verba, ea quae Aristoteles indicaverit, afferri censet, sed ea utpote duplici hiatu informia a Demosthenis stilo abhorrere, ut alterum utrum consectarium fiat, aut Aristotelem, quod vix credibile sit, falsa Demosthenis oratione pro vera usum esse, aut scholiastam a se ficta pro verbis Demosthenis venditasse. Sed idem etiam de simili ipso quod est in rhetorica dubia movit: parum enim probabile videri Aristotelem, qui non nimis studiosus orationum Demosthenicarum fuerit, post ea quae paulo ante (1406 b 35) posita sunt *καὶ ἡ εἰς τὸν δῆμον, ὅτι ὅμοιος ναυκλήρῳ ἰσχυρῷ μὲν ὑποκώφῳ δέ* hanc alteram comparationem *τοῦ δήμου* cum re maritima auctore Demosthene superioribus adiecisse. Tertius ad eam rem indagandam novissimus rhetoricae editor accessit, Adolphus Roemerus, qui quae scholiasta tradit Demosthenis verba esse cum Reiskio Sauppioque sibi persuasit, sed ea ab interprete non ex Demosthene petita verum ex ampliore quod fuerit rhetoricae exemplari tralata esse: talia enim hoc loco desiderari Aristotelis morem indicio esse, qui quae recenseret similia ipse soleret explanare; et hoc igitur exemplum documento esse eius rei voluit quam multis variisque argumentis demonstratum ivit, Aristotelis rhetoricam codicum memoria non integram sed mancam et minutam ad nos pervenisse. Sed haec ubi docere instituit (praef. p. XLIV sq.), ibi simul quae ei adversari sententiae viderentur exposuit: quae enim horum scholiorum natura esset, quam p. XXXVI sq. pluribus verbis descripsit, posse fieri ut quae scholiasta ad hunc locum adscripsisset tam a Demosthene quam ab Aristotele aliena

unius interpretis manum prae se ferrent. Verum tamen in verbis editis, quae praefatione posteriora esse apparet, pristinam opinionem restituit et orationis mutilae indicium fecit, ubi haec verba ab Aristotele posita retractata demum rhetorica loco mota esse statuit. Quae cum ita sint, fortasse non inepti habebimur quod hanc controversiam vacillantibus adhuc ut videtur doctorum sententiis ad certam normam revocare conabimur, cum praesertim quid verum fuerit non possit non magnopere cum Demosthenis tum Aristotelis interesse.

Verba scholii quae sic tradita sunt *ὥσπερ γὰρ οἱ ἐν τῷ πλοίῳ ὄντες ὑπὸ τοῦ σάλου τῶν κυμάτων ταρασσόμενοι ναυτιῶσι καὶ ἁπλῶς ἀφορῶν πρὸς τὴν θάλασσαν, οὕτω καὶ ὁ δῆμος ναυτιᾷ καὶ ἰλιγγιᾷ ἀφορῶν πρὸς τὰ πράγματα* labem traxerunt, quam Reiskius, uti diximus, ita abstergendam ratus est ut scriberet *ναυτιῶσι καὶ ἀηδῶς ἀφορῶσι*, quae Sauppius recepit, sed praestabit, nisi falli- 5
mur, *ἀφορῶντες* restituere, a Rabio propositum; nam in *καὶ* particula non erat quod offenderetur, sed sententia hac forma proba est nec vituperabilis: *ναυτιῶσι καὶ ἁπλῶς ἀφορῶντες πρὸς τὴν θάλασσαν* h. e. nauseant nihil nisi prospectantes pontum. De his verbis, in quibus inesse sentimus, quod interpretem magis quam oratorem aut scriptorem philosophum deceat, Wilamowitzius et Roemerus negarunt certius existimari posse nisi horum scholiorum natura operosius explorata. Quae qualis sit ut aperiamus, ne nimis longe exspatiemur, satis erit, opinamur, proponere ea quae interpres ad has similitudines ab Aristotele enumeratas adnotavit. III 4 1406 b 26

εἰσὶν δ' εἰκόνες οἷον ἣν Ἀνδροτίων εἰς Ἰδριέα, ὅτι ὅμοιος τοῖς ἐκ τῶν δεσμῶν κυνιδίοις· ἐκεῖνά τε γὰρ προσπίπτοντα δάκνειν, καὶ Ἰδριέα λυθέντα ἐκ τῶν δεσμῶν εἶναι χαλεπόν.

Schol. 178, 15 R. *ἥντινα εἰκόνα ὁ Ἀνδροτίων εἰς τὸν ἰδριέα ἤτοι συκοφάντην, ὅτι ὁ ἰδριεὺς ὅμοιός ἐστι τοῖς κυνιδίοις τοῖς ἀπολυθεῖσιν ἐκ τῶν δεσμῶν, καὶ ὁ ἰδριεὺς ἀπολυθεὶς ἐκ τῶν δεσμῶν, ἤτοι εἰ ἀπολύσομεν ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου, πάλιν καταβλάψει ἡμᾶς· ἢ τὸ Ἰδριεὺς ληπτέον ὡς ὄνομα κύριον.*

Apparet interpreti, qui nihil nisi circumscribens quae dixit Aristoteles dilatat, praeter ea nihil notum fuisse, poterantque haec ad ipsa rhetoricae verba in margine adscripta esse.

b 29 *καὶ ὡς Θεοδάμας εἴκαζεν Ἀρχίδαμον Εὐξένῳ γεωμετρεῖν οὐκ ἐπισταμένῳ ἐν τῷ ἀνάλογον· ἔσται γὰρ καὶ ὁ Εὔξενος Ἀρχίδαμος γεωμετρικός.*

Schol. 178, 19 *εἰ ὁ Ἀρχίδαμος ἔοικε τῷ Εὐξείνῳ μὴ εἰδότι γεωμετρεῖν, λοιπὸν ἄρα καὶ ὁ Εὔξεινος ἔοικε τῷ Ἀρχιδάμῳ· ἀγεωμέτρητος ἄρα κτλ.*

Explicatur quid sit *ἐν τῷ ἀνάλογον*, et haec quoque adnotamenta nullo lemmate interposito ipsis Aristotelis verbis applicantur.

b 32 *καὶ τὸ ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ Πλάτωνος, ὅτι οἱ τοὺς τεθνεῶτας σκυλεύοντες ἐοίκασι τοῖς κυνιδίοις ἃ τοὺς λίθους δάκνει τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμενα.*

Schol. 178, 22 *ὅτι οἱ δέροντες τοὺς τεθνεῶτας διὰ τὸ ἀμύνασθαι αὐτοὺς ἐοίκασι τοῖς κυνιδίοις ἃ τῶν μὲν ἀφιέντων τοὺς λίθους οὐχ ἅπτονται, δάκνουσι δὲ τοὺς λίθους· ζῶντας γὰρ ἔδει τούτους ἀμύνασθαι.*

Dubites inspexeritne interpres Platonem (de re p. 469 d), sed certe omisso auctore tantum affert quantum ex rhetoricae verbis peti poterat, quibus haec per *ὅτι* adnectuntur.

Sequuntur duo eiusdem Platonis similia:

b 34 *καὶ ἡ εἰς τὸν δῆμον* (488 a), *ὅτι ὅμοιος ναυκλήρῳ ἰσχυρῷ μὲν ὑποκώφῳ δέ. καὶ ἡ εἰς τὰ μέτρα τῶν ποιητῶν* (601 b), *ὅτι ἔοικε τοῖς ἄνευ κάλλους ὡραίοις· οἱ μὲν γὰρ ἀπανθήσαντες, τὰ δὲ διαλυθέντα οὐχ ὅμοια φαίνεται.*

Quorum ad prius haec habent schol. 178, 25 *καὶ ἡ εἰκὼν ἡ ῥηθεῖσα εἰς τὸν δῆμον παρὰ τοῦ Δημοσθένους, ὅτι ὁ δῆμος ἔοικε ναυκλήρῳ ἰσχυρῷ μὲν εἰς τὸ ἀποκρούσασθαι τὰ ἐπιφερόμενα κύματα, κωφῷ δέ· καὶ ὁ δῆμος ἰσχυρὸς μέν ἐστιν εἰς τὸ ἀποκρούσασθαι τοὺς καὶ τὰ τῆς πόλεως καταλυμαινομένους, οὐκ ἀκούει δὲ τῶν λεγόντων καὶ συμβουλευόντων τὰ λυσιτελῆ καὶ πῶς δεῖ ταῦτα ποιῆσαι.*

Quod Demosthenes dicitur, ad deteriores quosdam codices rhetoricae redit, in quibus scriptum est *ὡς ὁ Δημοσθένης εἰς τὸν δῆμον* (Roemerus errat); quae videntur non sine exemplo, quod infra sequitur, Demosthenis orta esse. Ceterum Aristoteles attulit quod satis esset notissimae imaginis Platonicae admonere. Interpres autem nec Demosthenem nec Platonem adiit, sed ex verbis Aristotelis, quae mera circumitione reddit, sententiam exsculpsit admodum ineptam.

Alterum eiusdem Platonis simile *ἡ εἰς τὰ μέτρα τῶν ποιητῶν* Aristoteles, quo magis vis comparationis appareret, explicuit ipse verbis *οἱ μὲν γὰρ ἀπανθήσαντες κτλ.* Quibus quae in scholiis adscripta sunt

178, 30 *καὶ ἡ εἰκὼν ἡ ῥηθεῖσα εἰς τὰ μέτρα τῶν ποιητῶν· ὡραίους λέγει ἄνευ κάλλους τοὺς μὴ ὄντας μὲν ἀμόρφους φύσει, τῇ ἐπιχρίσει δὲ τῶν φυκαρίων δοκοῦντας εὐμόρφους κτλ.* (piget plura afferre)

liquido demonstrant interpretem ne Aristotelis quidem verba, in quibus explicandis operam abutitur, intellexisse, nedum Platonem evolverit.

Adduntur Periclis comparationes duae 1407 a 1 *καὶ ἡ Περικλέους εἰς Σαμίους, ἐοικέναι αὐτοὺς τοῖς παιδίοις ἃ τὸν ψωμὸν δέχεται μέν, κλαίοντα δέ. καὶ εἰς Βοιωτούς, ὅτι ὅμοιοι τοῖς πρίνοις· τούς τε γὰρ πρίνους ὑφ' αὑτῶν κατακόπτεσθαι καὶ τοὺς Βοιωτοὺς πρὸς ἀλλήλους μαχομένους.*

Ad priorem haec interpres p. 179, 4: *καὶ ἡ εἰκὼν ἣν ὁ Περικλῆς εἰς Σαμίους εἴρηκεν. οὕτως οἱ Σάμιοι δέχονται μὲν τὰς εὐεργεσίας παρὰ τῆς πόλεως, δυσχεραίνουσι δὲ ἐν τῷ λαμβάνειν αὐτάς.*

In quibus scholiorum editor ante *οὕτως* desiderari putabat verba similia iis quibus Aristoteles imaginem expressit *ἐοικέναι αὐτοὺς κτλ*, quae apte excipi possent ab his *οὕτως οἱ Σάμιοι κτλ*, quae tamen orationis forma ab illis discedunt. At interpres quae connecti non possunt ne voluit quidem connecti, sed ut supra recenset 178, 25 *καὶ ἡ εἰκὼν ἡ ῥηθεῖσα εἰς τ. δ.*, 30 *καὶ ἡ εἰκὼν ἡ ῥηθεῖσα εἰς τ. μ.*, ita nunc *καὶ ἡ εἰκὼν, ἣν ὁ Περικλῆς εἰς Σαμίους εἴρηκεν* praemittit; a quibus segregata sunt quae insequuntur *οὕτως οἱ Σάμιοι κτλ*, quae ad Aristotelis verba quibus simile effert interpres addidit ut id cur caderet in Samios monstraret: neque enim putamus fore qui haec Periclis esse aut ex Periclis oratione petita existimet.

Apertius scholiastae ratio indicatur iis quae ad alteram Periclis imaginem affert p. 179, 6 *ὁ πρῖνος μόνος αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ θρύπτεται· εὔθρυπτον γάρ.*

Nihil praemittit et ne simile quidem significat, sed ut supr[a] p. 178, 22 ab *ὅτι* coepit similitudinem explicare, ita nunc ha[...] nudam de ilicibus adnotationem quasi in margine ad Aristotel[is] verba hanc imaginem plenius explanantis adiecisse videatur.

Perventum est ad ea quorum haec causa disputantur: qu[...] suo ordine referenda sunt. 1407 a 5 *καὶ ὁ Δημοσθένης τὸν δῆμ[ον] ὅτι ὅμοιός ἐστιν τοῖς ἐν τοῖς πλοίοις ναυτιῶσιν.*

Schol. p. 179, 7 *ὥσπερ γὰρ οἱ ἐν τῷ πλοίῳ ὄντες ὑπὸ τοῦ σάλ[ου] τῶν κυμάτων ταρασσόμενοι ναυτιῶσι καὶ ἁπλῶς ἀφορῶν*

πρὸς τὴν θάλασσαν, οὕτω καὶ ὁ δῆμος ναυτιᾷ καὶ ἰλιγγιᾷ ἀφορῶν πρὸς τὰ πράγματα.

Quae sic scripta sunt ut Aristotelis verba continuo excipiant. Apparet autem interpretem, ut supra in Samiis alterum tantum, sic nunc utrumque temptare, et simile explicare sic ut accommodari possit populo et populum dicere qua parte similis sit. Quae unde petierit si quaeritur, respondemus collegisse eum ex verbis Aristotelis quantum captus eius assequi poterat: nam consilium apertum est (unde enim illud *ἀφορᾶν πρὸς τὴν θάλασσαν, ἀφορᾶν πρὸς τὰ πράγματα*?), et haec sententia quam comminiscendo effecit haud dispar iis quas supra compluries ab eo excogitari vidimus (cf. 178, 25 et 30 de imaginibus Platonicis). Quanto magis autem liquet, quo partu hic fetus editus sit, eo fidentius licet denegare in his vel tantillum orationis Demosthenicae contineri; nec interpres voluit haec quae explicandi causa invenit pro Demosthenicis haberi.

a 7 *καὶ ὡς Δημοκράτης εἴκασεν τοὺς ῥήτορας ταῖς τίτθαις αἳ τὸ ψώμισμα καταπίνουσαι τῷ σιάλῳ τὰ παιδία παραλείφουσιν.*

Schol. p. 179, 10 *αἵτινες, αἱ τίτθαι, τὸν ψωμὸν μασσώμεναι τὸν μὲν ἐκ τούτου χυμὸν καταπίνουσι καὶ τὸ εὔχρηστον, τὸ δὲ ἄχρηστον καὶ πιτυρῶδες παραβάλλουσι τὰ παιδία· καὶ οἱ ῥήτορες τὰ μὲν λυσιτελοῦντα τὴν πόλιν παρακατέχουσι καὶ οὐ λέγουσι, τὰ δέ γε ἀλυσιτελοῦντα λέγουσιν.*

Nonne idem in his interpretis ingenium agnoscitur quod modo spectavimus? Et simile ab Aristotele aperte significatum inutiliter amplificavit verbis quo magis convenire rhetoribus videretur, et hi quid nutricibus similes essent suo modo explicuit. Pependit autem a meris verbis rhetoricae, quibus haec adnotata nullo lemmate ita adhaerent, ut in margine iis per *αἵτινες* appicta fuisse videantur.

a 9 *καὶ ὡς Ἀντισθένης Κηφισόδοτον τὸν λεπτὸν λιβανωτῷ εἴκασεν, ὅτι ἀπολλύμενος εὐφραίνει.*

Schol. 179, 17 (ut mittamus quae de duplici scriptura *τῷ λεπτῷ* et *τὸν λεπτόν* afferuntur) *ὅτι ὁ λιβανωτὸς ἀπολλύμενος ἤτοι καιόμενος καὶ ἀφανιζόμενος ὑπὸ τοῦ πυρὸς εὐφραίνει· ἀφίησι γὰρ εὐωδίαν· καὶ ὁ Κηφισόδοτος εἰ φονευθῇ ἢ λεπτυνθῇ, ἐν τῷ λαβεῖν πᾶσαν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ ὠφεληθείη ἡ πόλις· βλαπτικὸς γὰρ ἦν.*

Non est quod verbum addamus: ita manifestum est idem filum interpretis qui sua Aristoteleis unde repetiit (per ὅτι) applicuit.

Tantum est, nec ultra progredimur; sed putamus his satis comprobari id quod volumus, neque esse illa verba Demosthenis quae credita sunt neque ab interprete tamquam essent afferri. Aristoteles autem cum haec tantum diceret ὅτι ὅμοιός ἐστιν τοῖς ἐν τοῖς πλοίοις ναυτιῶσιν, nihil erat quod amplius adderetur; qui non secus supra locutus est (1406 b 35) ἡ εἰς τὸν δῆμον, ὅτι ὅμοιος ναυκλήρῳ κτλ, et (1407 a 1) ἡ Περικλέους εἰς Σαμίους, ἐοικέναι αὐτοὺς τοῖς παιδίοις κτλ, neque quae Democratis affertur aut Antisthenis comparatio aliter formata est. Quod vero semel et iterum 8 non solum dicit quid cui simile sit sed eius similitudinis rationem latius explicat (1406 b 27 Ἀνδροτίων εἰς Ἰδριέα; b 36 ἡ εἰς τὰ μέτρα; 1407 a 3 καὶ εἰς Βοιωτούς), non est quod hoc usque quaque exigatur, cum praesertim nemo nesciat, quanto opere Aristoteles variandae orationis studiosus fuerit. Itaque integram esse Aristotelis orationem affirmamus neque defectu laborare. Putamus autem καὶ ὁ Δημοσθένης τὸν δῆμον recte scriptum esse a Roemero pro eo quod vulgabatur ante καὶ ἡ Δημοσθένους εἰς τὸν δ., quod relatum ad librorum scripturam καὶ ὁ Δ. τὸν δῆμον parum habere probabilitatis intelligitur; in illa oratione, quae proba est, quod verbum (εἶπε) desideratur, non offendet nisi qui Aristotelem non novit, qui, ut hoc utamur, 1406 b 27 εἰσὶν δ' εἰκόνες scribit οἷον ἣν Ἀνδροτίων εἰς Ἰδριέα.

Restat ut suspicio expendatur quam Wilamowitzium movisse diximus de veritate similis, quod in Demosthenis orationibus hodie non exstare notum est. Cui vix satis credibile visum est, Aristotelem, quem non multum studii Demosthenis orationibus adhibuisse docet, hoc Demosthenis exemplo usum esse, posteaquam iam ante Platone auctore τὸν δῆμον cum re maritima contenderit. Sed sunt tamen haec duo similia satis inter se diversa, τοῦ δήμου autem comparationes a mari repetere inde ab Homerica antiquitate valde Graecis familiare fuit; quod genus Demosthenes ipse (de fals. leg. 136) ἀσταθμητότατον scribit πρᾶγμα (ὁ δῆμος) τῶν πάντων καὶ ἀσυνθετώτατον, ὥσπερ ἐν θαλάττῃ πνεῦμα ἀκατάστατον, ὡς ἂν τύχῃ, κινούμενος. Quare praestabit, ut opinamur, ambo Aristoteli similia relinquere, qui, ut mittamus κυνίδια in eadem serie bis adhiberi, quae ex cella nutricis deprompta affert, παιδία ἃ τὸν ψωμὸν δέχεται, κλαίοντα δέ et τίτθας αἳ τὸ ψώμισμα πι-

νουσαι τῷ σιάλῳ τὰ παιδία παραλείφουσιν, ne ea quidem multum inter se sunt dissimilia.

II. Multa sunt in rhetorica quae clarissimus editor eo quo diximus consilio desideratorum verborum indicio non sine scholiorum auctoritate insignivit. Ex quibus expendamus ea quae in eiusdem libri cap. 2 leguntur, quae ut recte iudicentur, paulo plenius necesse est afferamus. Itaque in ea parte quae est de metaphoris haec scripta sunt (1405 b 4) *καὶ ὅλως ἐκ τῶν εὖ ᾐνιγμένων ἔστι μεταφορὰς λαβεῖν ἐπιεικεῖς· μεταφοραὶ γὰρ αἰνίττονται, ὥστε δῆλον ὅτι εὖ μετενήνεκται. καὶ ἀπὸ καλῶν· κάλλος δὲ ὀνόματος τὸ μέν, ὥσπερ Λικύμνιος λέγει, ἐν τοῖς ψόφοις ἢ τῷ σημαινομένῳ, καὶ αἶσχος δὲ ὡσαύτως. ἔτι δὲ τρίτον . . ., ὃ λύει τὸν σοφιστικὸν λόγον· οὐ γὰρ ὡς ἔφη Βρύσων οὐθένα αἰσχρολογεῖν, εἴπερ τὸ αὐτὸ σημαίνει τόδε ἀντὶ τοῦδε εἰπεῖν· τοῦτο γάρ ἐστιν ψεῦδος· ἔστιν γὰρ ἄλλο ἄλλου κυριώτερον καὶ ὡμοιωμένον μᾶλλον καὶ οἰκειότερον τῷ ποιεῖν τὸ πρᾶγμα πρὸ ὀμμάτων. ἔτι οὐχ ὁμοίως ἔχον σημαίνει τόδε καὶ τόδε, ὥστε καὶ οὕτως ἄλλου ἄλλο κάλλιον καὶ αἴσχιον θετέον· ἄμφω μὲν γὰρ τὸ καλὸν ἢ τὸ αἰσχρὸν σημαίνουσιν, ἀλλ' οὐχ ᾗ καλὸν ἢ οὐχ ᾗ αἰσχρόν· ἢ ταῦτα μέν, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ ἧττον. τὰς δὲ μεταφορὰς ἐντεῦθεν οἰστέον, ἀπὸ καλῶν ἢ τῇ φωνῇ ἢ τῇ δυνάμει ἢ τῇ ὄψει ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει. διαφέρει δ' εἰπεῖν, οἷον ῥοδοδάκτυλος ἠὼς μᾶλλον ἢ φοινικοδάκτυλος, ἢ ἔτι φαυλότερον ἐρυθροδάκτυλος.*

Sic haec Roemerus edidit. Quorum in prima sententia, ut hoc in transcursu moneamus, peccatum esse suspicamur. Ratio enim
9 argumentandi evincit, non recte concludi, *ὥστε δῆλον ὅτι εὖ μετενήνεκται*, sed sic potius concludendum fuisse *ὥστε δῆλον ὅτι ἂν εὖ ᾐνιγμένα ᾖ εὖ μετενήνεκται.* Id quod scholiasta videtur recte intellexisse, cum ita dicit (p. 171, 8) *ὥστε δῆλον, ὅτι ἡ μεταφορά, ἐὰν ὑπαινίττηται καὶ σημαίνῃ τι αἰνιγματωδῶς, καλῶς μετηνέχθη.* Quare coniicias antiquitus sic scriptum fuisse *ὥστε δῆλον ὅτι ⟨εὖ ᾐνιγμένα⟩ εὖ μετενήνεκται*: hoc enim demum idem est quod initio positum erat *ἐκ τῶν εὖ ᾐνιγμένων ἐπιεικεῖς ἔστι λαβεῖν μεταφοράς.* Sed hoc *ἐν παρέργῳ.* De verbis, quae manca esse Roemerus interstitio facto indicavit, iam in priore editione adnotarat *totus locus nondum certa coniectura sanatus: nam desideratur ipsum illud tertium quod diserte ab Aristotele dici debebat;* eadem in posteriore his additis *itaque monente Susemihlio nunc in textu lacunam indicavi, ad quam explendam in promptu sunt ⟨ἐν τῷ ὀρθῶς χρῆσθαι τοῖς*

συνωνύμοις) ὃ ⟨καὶ⟩ λύει κτλ; *nam simile quid invenisse videtur scholiasta qui scribit* (p. 171, 22) ἔτι δὲ τρίτον κάλλος τῶν ὀνομάτων τὸ μὴ εἶναι ὁμώνυμον τὸ ὄνομα. Quae Susemihlius de hac re exposuerit nescimus nec putamus hoc scivisse valde ad rem pertinere. Roemerus autem veremur ne hoc auctore et prave intellecto scholiastae testimonio se in errorem adduci passus sit. Scholiastae enim verba plenius perspecta ilico patefaciunt, quid senserit: qui ita scribit l. c. ἔτι δὲ τρίτον κάλλος τῶν ὀνομάτων τὸ μὴ εἶναι ὁμώνυμον τὸ ὄνομα· καθ' ὃ (τὸ μὴ εἶναι δηλονότι ὁμώνυμον) λύομεν τὰ περὶ τὴν ὁμωνυμίαν σοφίσματα. Nempe σοφιστικὸν λόγον cum legeret, in memoriam rediit eorum quae paulo ante (c. 2 p. 1404 b 37) scripta erant τῶν δ' ὀνομάτων τῷ μὲν σοφιστῇ ὁμωνυμίαι χρήσιμοι (παρὰ ταύτας γὰρ κακουργεῖ), τῷ ποιητῇ δὲ συνωνυμίαι. Quare credi non potest quod Roemerus posuit scholiastam in suo rhetoricae exemplari similia invenisse iis quae ipse addenda coniecit: nam quod voluit ὀρθῶς χρῆσθαι τοῖς συνωνύμοις non distat ab iis quae ille dixit τὸ μὴ εἶναι ὁμώνυμον τὸ ὄνομα. Immo ille non plura aut alia legit, quam quae librorum fide tradita sunt, sed quae legit perperam accepit ea re seductus quam significavimus. Aristoteles autem nihil omisit quominus recte perciperentur quae sensit. Qui quod λόγον σοφιστικὸν dicit, non eum dicit qui ὁμωνύμων fraude fallit, sed eum quo usus Bryso negavit quemquam αἰσχρολογεῖν, si quidem idem significetur sive hac voce sive illa utare. Quod falsum esse ait Aristoteles: ἔστιν γὰρ ἄλλο ἄλλου κυριώτερον καὶ ὡμοιωμένον μᾶλλον καὶ οἰκειότερον τῷ ποιεῖν τὸ πρᾶγμα πρὸ ὀμμάτων, et quae porro in eandem sententiam disseruit. Quibus expositis repetens ea quae supra (1405 b 6) ad definiendum κάλλος ὀνομάτων attulit, omnia complectitur ut ita dicat τὰς δὲ μεταφορὰς ἐντεῦθεν οἰστέον, ἀπὸ καλῶν ἢ τῇ φωνῇ (h. e. ἐν τοῖς ψόφοις) ἢ τῇ δυνάμει (h. e. τῷ σημαινομένῳ) ἢ τῇ ὄψει ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει. Lucetne quid sit illud tertium, quod supra desiderabant viri docti quodque non potuisse non ab Aristotele aperte designari asseverabant? Qui si una voce volebat significare quid esse tertium diceret, poterat vel hoc modo scribere ἔτι δὲ τρίτον ἐν τῇ ὄψει; nisi quod statim percipitur, nec satis perspicuum hoc esse nec satis plenum. Quid ergo? Nempe noluit hoc Aristoteles uno nomine indicare, sed maluit ex argumentatione intelligi quam a refutanda ratione sophistica orsus exposuit. An erit qui hoc Ari-

stoteli licuisse neget? Nos talia exemplis confirmare inutile iudicamus, sed tamen quae suapte natura probantur raro exempli fide destituta sunt. Velut Aristoteles cum scribit in eodem rhetoricae libro (c. 5 p. 1407 a 20 sqq.) *τὸ ἑλληνίζειν* esse *ἐν πέντε, πρῶτον μὲν ἐν τοῖς συνδέσμοις . . ., δεύτερον δὲ τὸ τοῖς ἰδίοις ὀνόμασι λέγειν καὶ μὴ τοῖς περιέχουσιν, τρίτον, μὴ ἀμφιβόλοις . . . τέταρτον, ὡς Πρωταγόρας τὰ γένη τῶν ὀνομάτων διῄρει, ἄρρενα καὶ θήλεα καὶ σκεύη· δεῖ γὰρ ἀποδιδόναι καὶ ταῦτα ὀρθῶς . . . πέμπτον ἐν τῷ τὰ πολλὰ καὶ ὀλίγα καὶ ἓν ὀρθῶς ὀνομάζειν*, quis non videt aequabilitatem sectatum scribere potuisse *τέταρτον ἐν τῷ* (vel *τὸ*) *τὰ γένη ἀποδιδόναι ὀρθῶς*, et deinde de Protagora, sed maluit variare orationem, hoc loco non secus ac supra cum scriberet *ἔτι δὲ τρίτον ὃ λύει τὸν λόγον σοφιστικόν*.

III. Multis magnisque difficultatibus impedita sunt quae tertio loco disceptaturi sumus. Sunt verba in eodem tertio de rhetorica (c. 9 p. 1409 b 8) in hunc modum tradita *δεῖ δὲ τὴν περίοδον καὶ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι, καὶ μὴ διακόπτεσθαι ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα,*

Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα Πελοπείας χθονός·

τοὐναντίον γάρ ἐστιν ὑπολαβεῖν τῷ διαιρεῖσθαι, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τοῦ εἰρημένου τὴν Καλυδῶνα εἶναι τῆς Πελοποννήσου. Cum enim versus citatus, quem Euripideum esse certis testimoniis constat, quasi Sophocleus afferri videatur, natae sunt doctorum controversiae de huius memoriae integritate. Quorum Fridericus Marxius in commentatione de Aristotelis rhetorica edita in rel. soc. Saxon. a. 1900 (p. 275) hunc errorem quem esse credidit pro documento eius originis accepit qua hos libros ortos esse sibi persuasit: aut enim ab Aristotele ipso erratum esse ita ut inter docendum, ut fit, nomen cum nomine permutaverit, aut ab eo, quem ex ore praecipientis haec de arte rhetorica excepisse voluit, qui quod recte traditum esset perperam notasset. Cuius viri doctissimi rationes, quibus huius libri condicionem explicari posse putat, quae multis argumentis nituntur, nunc persequi a nostro instituto alienum est; in hoc loco, de quo solo agimus, quam recte errorem statuerit sive Aristotelis sive eius qui ab illo iussus librum perscripserit, speramus dilucide diiudicatum iri disputatione nostra. In diversas partes abiit edita rhetorica Roemerus, qui, quo veram Aristotelis manum non exstare doceret, tam in praefatione (p. XLIX sq.) quam in adnotatione ad verba ipsa scholiastae fidem praedicavit, quem

'eximia afferre' scribit et 'longe alia in suo exemplari rhetoricae invenisse quam quae nos legeremus' affirmat, sed neutro loco satis definite professus est, quatenus huic auctori obsecundari iubeat et qua forma aut quo tenore haec ab Aristotele scripta esse censeat; nisi quod post *Σοφοκλέους ἰαμβεῖα* librarii vitio versus quosdam exempli causa allatos interiisse suspicatur.

De scholiasta ut recte iudicetur distinguendum est nec quae diversa sunt in eandem copulam coniicienda. Quae enim citantur (p. 197, 4) *Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα: τοῦ Εὐριπίδου ἐστί· κεῖται δὲ ἐν τῷ Μελεάγρῳ·*

ἐν ἀντιπόρθμοις πάντ' ἔχουσιν εὐδαιμονίαν·
Οἰνεὺς δ' ἀνάσσει τῆσδε γῆς Αἰτωλίας,
Πορθάονος παῖς, ὅς ποτ' Ἀλθαίαν γαμεῖ, 11
Λήδης ὅμαιμον, Θεστίου δὲ παρθένον

non solum ab ea sententia longius semota sunt quae primum eorum versum habebat (195, 32), sed ibi inseruntur ubi minime locum habere poterant, inter 1409 b 16 *κῶλον δέ ἐστι τὸ ἓν μόριον κτλ* et b 15 *ἢ τὸ μὴ ἐν διαιρέσει νοεῖται κτλ*, quae ut inter se connexa sunt, ita illis mediis inculcatis violenter distrahuntur. Praeterea reputandum est hos quinque versus una cum poetae et tragoediae nomine non afferri nisi in his scholiis (primus aut primus et secundus etiam alibi citantur ut Euripidei). Unde perspicuum fit haec non ex ampliore rhetoricae exemplari sed aliunde h. e. ex Euripidis tragoediis petita esse, neque ad eum auctorem redire cuius est perpetua huius libri interpretatio. Cuius generis, quod nuper in disputatione academica (relat. acad. 1902 p. 175. 185) tetigimus, nunc quo magis horum scholiorum ratio appareat, pauca breviter exempla disceptabimus.

Itaque p. 249, 28 quae afferuntur *ὁ Αἵμων ὁ Σοφοκλέους οἷον 'πάτερ* cum quattuor versibus Antigonae (635—638) posita sunt media inter adnotationes ad p. 1417 b 29 et b 30, posteaquam Haemonis mentio supra ad p. 1417 b 18 (p. 248, 27) poscente Aristotelis sententia sed nullis adiectis versibus facta est.

III 16 p. 1417 a 12 haec leguntur *ἔτι πεπραγμένα δεῖ λέγειν ὅσα μὴ πραττόμενα ἢ οἶκτον ἢ δείνωσιν φέρει. παράδειγμα Ἀλκίνου ἀπόλογος . . ., καὶ ὡς Φάυλλος τὸν κύκλον, καὶ ὁ ἐν τ[ῷ] Οἰνεῖ πρόλογος.* Ad haec postrema in schol. p. 245, 10 haec e[st] adnotatio *ὡς ὁ ἐν τῷ Οἰνεῖ πρόλογος: τοῦ Εὐριπίδου τοιοῦτο[ς ὁ] ἐστιν ἤτοι συντετμημένος.* Ab his autem longiore intervallo secre[ta]

(p. 247, 25) inter duas adnotationes continuas ad p. 1417 b 8 et 9 haec interiiciuntur ὁ δὲ ἐν Οἰνεῖ πρόλογος: παρὰ τῷ Εὐριπίδῃ ἐστὶ τοιοῦτον insequentibus quinque versibus, quorum testis non est praeter hunc scholiastam.

II 23 p. 1400 b 16 legitur ἄλλος (τόπος) ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, οἷον ὡς ὁ Σοφοκλῆς "Σαφῶς σιδήρῳ (Σιδηρὼ) καὶ φοροῦσα τοὔνομα" additis compluribus eiusdem loci exemplis. Ad quae in schol. p. 146, 7 haec adnotantur ἡ Σιδηρὼ κόρη τις ἦν καὶ ἐβιάζετο παρά τινος, ἡ δὲ οὐχ ὑπήκουεν· ἀπὸ γοῦν τοῦ ὀνόματος ἐπιχειρητέον ὅτι καλῶς ὠνομάσθη Σιδηρὼ ὡς φοροῦσα καὶ φέρουσα τὸ ὄνομα τοῦ σιδήρου· ἀκαμπὴς γὰρ εἶ ὡς σίδηρος. Quae facile ex Aristotelis verbis circumscribendo effici poterant. Sed ab his longiuscule separata, postquam reliqua Aristotelis exempla explanata sunt, p. 146, 26 eo loco ubi minime exspectari poterant haec adduntur φησὶν ὁ βιάζων πρὸς τὴν Σιδηρὼ "αὕτη δὲ μάχιμος cum tribus versibus aliunde non cognitis. Non nos fugit in hac parte alia esse satis memorabilia de ordine; quae non persequimur: quippe non hoc agimus ut horum scholiorum compagem dissolvamus et quibus telis haec textura confecta sit aperiamus; quod munus, quamvis necessarium, aliis peragendum relinquimus.

His tribus exemplis quae proposuimus confirmati hoc dicimus, omissis istis versibus de Meleagro Euripidis quaerendum esse ecquanam plura scholiasta in illa parte quae est de periodis apud Ari-
12 stotelem legerit, quam quae librorum via propagata sint. Quae interpretatio quamvis prolixa non potest praeteriri (p. 195, 18 ad 1409 b 8) δεῖ δὲ τὴν περίοδον ἀπαρτίζειν διάνοιαν τελείαν, οἷά εἰσι καὶ τὰ τοῦ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα· καὶ τὰ τοιαῦτα γὰρ περιοδικά εἰσι καὶ ἐν δυσὶ κώλοις ἢ ἑνὶ κώλῳ διάνοιαν ἀπαρτίζουσιν, ὡς τὸ "Ἀεὶ μὲν ὦ παῖ (Aiac. 1. 2)". τὰ δὲ τοῦ Εὐριπίδου ἰαμβεῖα εἰρομένην λέξιν ἔχουσι· μακρὰς γὰρ τὰς ἀποδόσεις ἔχουσιν, ὡς τὸ "ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα (Eurip. Hec. 1)". ἡ ὅλη γοῦν περίοδος ὀφείλει ἀπαρτίζειν διάνοιαν καὶ τὸ ὅλον κῶλον. μὴ μέντοι γε δὲ διακόπτεσθαι ταῖς στιγμαῖς, οἷά εἰσι τὰ κατὰ σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν· καὶ ἐνταῦθα μὲν διαστίξαντες ἄλλην διάνοιαν ἀπαρτίσομεν, ἐνταῦθα δὲ διαστίξαντες ἄλλην, οἷόν ἐστι τὸ "γένοιτο, Ζεῦ, τὸν σῦν καταβαλεῖν ἐμέ" καὶ οἷόν ἐστι καὶ τὸ "Καλυδὼν ἥδε γαῖα Πελοπείας χθονός". εἰ μὲν γὰρ στίξομεν εἰς τὸ ἥδε, νοεῖται ὅτι αὕτη ἡ Καλυδών ἐστι γῆ, καὶ μέρος τῆς Πελοποννήσου, εἰ δὲ στίξομεν εἰς τὸ μέν, νοεῖται ὅτι ἥδε ἡ γῆ

τῆς Πελοποννήσου ἐστὶ Καλυδών, καὶ νοεῖται ἡ μὲν Καλυδὼν ὅλον, ἡ δὲ Πελοπόννησος μέρος τῆς Καλυδῶνος, ὡς τὰ ὅλα ὀνομάζεσθαι Καλυδών. καὶ γὰρ ἐν τῷ διαιρεῖσθαι καὶ διακόπτεσθαι τὸ περιοδικὸν κῶλον ταῖς τοιαῖσδε ἢ ταῖς τοιαῖσδε στίξεσιν ἔστιν ὑπολαβεῖν τὸ ἐναντίον, ἤτοι ἄλλην διάνοιαν ἀπαρτίζει καὶ ἄλλην, ἀμφότεραι δὲ διάνοιαι αἱ ὑποσημαινόμεναι ταῖς τοιαῖσδε ἢ ταῖς τοιαῖσδε διαστίξεσίν εἰσιν ἐναντίαι· ὅπερ ἔστιν ἰδεῖν καὶ ἐπὶ τοῦ εἰρημένου κώλου, τὸ "Καλυδὼν ἥδε γαῖα". ἐναντίας γὰρ παρεμφαίνει διανοίας ἡ ἄλλη καὶ ἄλλη διάστιξις κτλ.

Haec quae minime iucunda sunt legenti qui pertemptaverit, duo oportet intelligat, primum hunc interpretem non cognitum habuisse nisi unum versum ab Aristotele allatum *Καλυδὼν μὲν κτλ.* non novisse quos cum hoc quinque separatim citatos diximus ex Meleagro Euripidis, eum autem unum, quem Euripideum esse nulla re indicavit, interpretari sic ut licuit ex meris verbis Aristotelis *τὴν Καλυδῶνα εἶναι τῆς Πελοποννήσου*, quae satis erant scienti, sed qui nesciebat alterum versum, quomodo is intelligere poterat quid vituperationi esset? secundo autem loco interpretem aliud exemplum praeter illum versum apud Aristotelem non legisse, quem iisdem verbis, quibus Aristoteles ipse, *ἐπὶ τοῦ εἰρημένου*, referri voluit. Quare quem cum illo coniunxit versum *γένοιτο Ζεῦ τὸν σῦν καταβαλεῖν ἐμέ*, qui est Euripideus, saepe ab aliis *ἀμφιβολίας* causa citatus, non ex Aristotele sumpsit sed addidit ultro neque pluribus explicuit, propterea quod cum hac causa quae nunc agitur coniunctus non est. Quae si recte disputata sunt, quanta fides habebitur ceteris quae ille praeter Aristotelis memoriam protulit? Qui quidem in iis quae ad *Σοφοκλέους ἰαμβεῖα* explicanda affert ipsa forma orationis indicat se sententiam et exempla non aliunde petiisse sed adiecisse ipsum, tam haec quam quae Sophocleis iambeis in contrariam vim apposuit de Euripideis. Quae omnia qui cum cura expenderit fatebitur parum esse ad Aristotelis mentem accommodata (velut Euripideis quod *εἰρομένην λέξιν* tribuit, repetit non suo loco quae supra a p. 1409 a 24 exposita erant). Quare si quis (cum Roemero) statuet verba illa *ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα* exemplis quibusdam aucta fuisse quae retractandi temeritas abstulerit, is ad scholiastae testimonium provocare non poterit.

Sed omisso paulisper scholiasta haec verba ipsa per se sunt perspicienda, quae praesertim in diversas partes rapi videamus. Ea

enim Herm. Dielsius collega noster in illustri commentatione academica a. 1886, qua tertium rhetoricae librum vere esse, quod dubitarant, Aristoteleum demonstravit, (p. 7 n.) falso in Aristotelis orationem illata ab hoc loco removenda esse posuit. Quibus rescissis sententia recte procedit *δεῖ δὲ τὴν περίοδον καὶ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι, καὶ μὴ διακόπτεσθαι, "Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα Πελοπείας χθονός"*, hoc versu, quod est exemplum *τοῦ διακόπτεσθαι*, libere interposito. Verum idem quod hac ratione haud inscite instituitur, licebat fortasse iisdem verbis non deletis sed transpositis assequi non improbabilius, hoc modo *δεῖ δὲ τὴν περίοδον καὶ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι, ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα, καὶ μὴ διακόπτεσθαι, "Καλυδὼν μὲν ἥδε" κτλ.* Nam sic quoque non offendendum est in eo, quod versus nullo auctore et ne particula quidem adnexus affertur: de quo genere nuper diximus in disputatione academica a. 1902 p. 177. Et haec quidem conformatio habet quo se probet scholiastae auctoritatem, qui eundem in enarrando ordinem secutus est, 195, 18 *δεῖ δὲ τὴν περίοδον ἀπαρτίζειν διάνοιαν τελείαν, οἷά εἰσι καὶ τὰ τοῦ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα* — — 25 *ἡ ὅλη γοῦν περίοδος ὀφείλει ἀπαρτίζειν διάνοιαν καὶ τὸ ὅλον κῶλον, μὴ μέντοι γε δὲ διακόπτεσθαι ταῖς στιγμαῖς κτλ.* Quid ergo est? credimusne hunc interpretem dispositionem servasse eam qua Aristoteles has sententias exsecutus erat? Quae Chr. Aug. Brandisii fuit opinio (Philol. IV 47) scholiastam in suo rhetoricae exemplari haec fere legisse coniicientis *δεῖ τὴν π. τῇ διανοίᾳ τετελεῶσθαι ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα, καὶ μὴ διακόπτεσθαι ὥσπερ τὰ τοῦ Εὐριπίδου, "Καλυδὼν μὲν ἥδε" κτλ.* At nos etsi non fugit quid commodi nanciscatur oratio sive sublatis verbis *ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα* sive traiectis, tamen dubitamus alteri utri harum emendandi rationi subscribere. Nos enim retinet non tam exigua fides quam scholiastae tribuimus, qui non solet adeo se auctori suo mancipare quin longius nonnumquam ab eius vestigiis abiens vagetur, quam quod quae in rhetorica leguntur librorum beneficio tradita ne ea quidem non sua explicatione tutari liceat: *δεῖ δὲ τὴν περίοδον καὶ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι καὶ μὴ διακόπτεσθαι ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα.* Quae enim copulata sunt *τετελειῶσθαι καὶ μὴ διακ.*, vulgo non apte distinctione separantur, quippe in unam sententiam coeuntia ex eo usu qui multus est, quo velut in rhet. I 9, 1367 a 20 scribitur (*καλὸν*) *καὶ τὸ τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι μᾶλλον*

καὶ μὴ καταλλάττεσθαι. Ad haec autem duo quae ex contrariis unum fiunt, non ad alterum, pertinet quod additur *ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα,* quae quo magis sententia aperiatur vel hoc modo licet suppleas *δεῖ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι καὶ μὴ διακόπτεσθαι ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα τετελειωμένα ἐστὶ τῇ διανοίᾳ καὶ μὴ διακοπτόμενα.* His autem quae intime inter se apta et colligata sunt versus *Καλυδὼν μὲν ἥδε γ. Π. χ.*, quod est exemplum vitiosi et illis contrarii, nulla re media intercedente subiici non potuit. Itaque credibile fit ibi quaedam vulgari oscitantis librarii errore praetermissa esse; quibus repositis tenor sententiarum qui fuerit integritati suae videatur restitui: *δεῖ δὲ τὴν περίοδον καὶ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι καὶ μὴ διακόπτεσθαι ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμ-* 14 *βεῖα, ⟨καὶ μὴ ὡς Εὐριπίδης⟩ "Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα Πελοπείας χθονός". τοὐναντίον γὰρ ἔστιν ὑπολαβεῖν τῷ διαιρεῖσθαι, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τοῦ εἰρημένου, τὴν Καλυδῶνα εἶναι τῆς Πελοποννήσου.* In qua re ne quis nos Brandisii coniecturam recoquere arguat, nos hoc obtinemus quod supra affirmavimus scholiastam nihil in hac parte legisse nisi quod librorum fide traditum est, cuius enarrationem qui curiosius rimabitur concedet quae de Euripidis iambeis dicuntur (24 *τὰ δὲ τοῦ Εὐριπίδου ἰαμβεῖα κτλ*) a citato versu *Καλυδὼν μὲν κτλ* longius diiuncta esse nec nisi interpretis ingenio praeter Aristotelis mentem inventa. Quare quod addendum suademus non scholiastae causa suademus, sed quia hoc Aristotelis oratione requiri videtur. Verum quidquid de interpositis nostro periculo verbis iudicatur, hoc nos pro certo habemus, quod disputatione nostra effectum est, neque ad Sophoclis *ἰαμβεῖα* ulla addita exempla fuisse, neque versum, quem constat Euripideum esse, Aristotelem Sophoclis nomine laudasse. Scr. m. Decemb. a. MDCCCCII.

LVIII. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1903/1904.

3 Ex M. Pacuvii poetae tragici reliquiis sumpsimus quae huic enumerationi lectionum academicarum praemitteremus. Eae enim nuper ab Ottone Ribbeckio una cum reliquorum tragicorum versibus superstitibus iam tertium editae habere nobis visae sunt quae non inutiliter disceptari possent. Etenim Ribbeckius in his emendandis versibus eas rationes sequi solitus est ut in ista perenni controversia qua cum orationis decore metri necessitas de principatu contendit numerorum legibus quas opinabatur orationis et sententiae venustatem non ita raro condonaret, cum praesertim nulla verecundia memoriae librorum retineretur quominus ad suum arbitratum conformaret quae antiquitus tradita sunt. Unde quae nascerentur prava aut improbabilia proxime in prooemio a. MDCCCCII (supra p. 448 ss.) disputatis nonnullis Accii poetae exemplis declarare studuimus, nunc ex Pacuvii reliquiis quaedam similia promimus hoc consilio ut alienis erroribus patefaciamus quid in hoc genere petendum, quid cavendum maxime videatur. Nam non hoc agimus in his scriptionibus ut doctos doceamus sed ut discentibus et quibus potissimum haec scribi soleant viam monstremus si poterimus qua via in his litteris cum fructu elaborare possint.

I. Itaque Ribbeckius in Pacuvii Chryse VII (93) haec edidit:

Mater terrast: parit haec corpus, animam [autem] aeter adiugat.

In quibus fortasse nihil est quod magnopere vituperetur, sive versus formam sive sententiam perspexeris. Ubi vero testes interrogamus quorum fide versus iste propagatus est, ilico nubes dubitationum oboritur. Etenim primum Nonius p. 75, 11 haec tradidit:

'*adiugare adiungere. Pacuvius Chryse "mater est terra: ea parit corpus: animam aeter adiugat". Idem Iliona "blandam hortatricem adiugat voluptatem".*'

4 Nam Nonius ipse dubitari non potest quin ita scripserit: quae

vero libri secus exhibent, scribendi incuria peccavit, eaque pridem correcta sunt. Merum enim librarii errorem esse apertum est quod duplex exemplum Plauti quod praecedit tertium excipit *Plautus Chryse* pro Pacuvio qui et Chrysem scripsit et Ilionam; et *anima mater* qui exaravit prave legisse quod erat *animam ater* (sive *aeter*). Nonii testimonio accedit alterum, Varronis, qui parte quidem sententiae Pacuvianae utitur cum ita scribit de lingua Latina v 60:

'*caelum et terra omnia ex se genuerunt quod per hos natura "frigori miscet calorem atque humori aritudinem". Recte igitur Pacuvius quod ait "animam aether adiugat" et Ennius "terram corpus quae dederit ipsam capere neque dispendi facere hilum".*'

Poterat uno versu Pacuvii defungi si totum attulisset, qui utrumque habebat, et corporis et animae originem, sed de corpore maluit Ennii versum et ortum et interitum testantis adscribere: quae vero Pacuvii affert, noli dubitare integram esse nec ulla parte mancam sententiam.

Ad hanc igitur normam quae testibus continetur cum versum a Ribbeckio edolatum referimus, admirabundi quaerimus qui hoc factum putemus ut ex his quae ille poetam scripsisse confidat

Mater terrast: parit haec corpus, animam autem aeter adiugat

orta sint ea quae testium auctoritas praestat

Mater est terra: ea parit corpus: animam aether adiugat.

Nam credibile non est vulgari scribendi errore hoc accidisse, ut in uno versiculo, qui vix decem verba tenet, tot et tanta immutata sint, una vox extrita, bis collocatio, bis forma vocabulorum inversa. Consilium autem corrigentis si statuitur, rursus hoc mirifice dicas evenisse, ut quae ille mutasse creditur non ex meliore in deterius sed invicem ex peiore in longe melius conversa sint. Qui enim quae supra composita sunt versiculorum exempla libero animo inter se contenderit, non poterit non fateri eam quae testibus accepta feratur orationem nativo sensu sermonis natam esse, quae ex Ribbeckii manu exierit tralaticiis philologorum machinis coactam habere cur subtiliori iudicio displiceat. Quo magis cavendum est ne quae proba et egregia et testium suffragio confirmata sunt nescio quam metrorum necessitatem nobis pervertere et conturbare patiamur.

Olim Ribbeckius versum ita dimensus ediderat:

Máter est terra: éa parit corpús, animam aether ádiugat;

postea ubi hos numeros ferendos non esse sibi persuasit, operae non pepercit, quin meliores redderet iis modis adhibitis quibus usum videmus. In illo versu quod prae ceteris videtur delicatas aures laesisse, *corpŭ́s animam*, id genus Richardus Klotzius in doctrina metrica priscorum poetarum Romanorum inde a p. 257 multis congestis exemplis, Plautinis potissimum et Terentianis, edocuit tam late patuisse ut paene nulla non sedes versus trisyllaba vel bisyllaba ferret in brevem exeuntia quae insequentibus duabus brevibus accentu feriretur. Quique talia non aspernati sunt *Aeschinŭ́s ego sum*, *Unŭ́s et item alter*, *Nullŭ́s homo dicit*, eos cur putamus abhorruisse ab ea forma quae est in versu Pacuvii *corpŭ́s animam aéther adiugat*? Itaque invito Ribbeckio ad pristinam eius rationem, quam olim nemo erat qui non sequeretur, redeundum arbitramur; nisi quis forte non hanc esse huius versus mensuram opinatur sed ita licere eum dimetiri:

Máter est terra: éa parit córpus: animam | aether adiugat,

in quo versu nihil est, nec proceleusmaticus *ea pari(t)* nec hians vox *animam**), quod non suis exemplis ex horum poetarum usu vindicari possit. Sed nos nihil asseveramus fidentius, nisi unum, par non esse metrorum causa peraptam orationem simplicemque sententiae gratiam pessum dari.

Simili ratione motus non feliciorem huic versui operam adhibuit L. Muellerus qui Nonium suum hac conformatione ornavit

terra mater est.

Éa parit corpús. [patér tum fétu], animam aether adiugat.

Cui cum hi numeri probentur, vix satis perspicuum est, cur deseruerit eos quos ex testium memoria olim Ribbeckius cum plerisque receperat. Quae vero addidit ut metra constarent (nam sententia nihil sibi addi requirebat, immo ne ferebat quidem), in iis non dicemus quid inesse inepti aut ridiculi videatur, verum hoc affirmamus, ea tam a Varronis mente quam a Nonii plenum versum laudantis testimonio respui.

---

*19) De hiatu, in Pacuvianis haec habentur (Perib. XXII 303 R.)

Béluarum | ác ferarum adventus ne taetret loca.

Sic enim haec Nonius p. 178, 8 scripsit; ex quibus hiatum tollere variis modis temptarunt; quorum quod praestabilius est aliis Buecheleri inventum *beluarum adventus ac ferarum* tamen habet quod deterius sit versu tradito, quem haud scias an praestet intactum relinquere.

Satin apparet vel uno exemplo superstitio metrica quas ruinas in his reliquiis poetarum priscorum pepererit et parere potuerit?

II. Non minori dubitationi sunt quae Ribbeckius in Atalanta VI (50 sq.) scripsit:

> *Viám quam insistam dúbito aut quod primórdium*
> *Capissam ad stirpem exquirendum.*

Nam Nonius haec ita perhibuit p. 226, 32

> *'stirpem generis feminini . . . masculino Ennius annalium libro* V [VI fr. IV]. *Pacuvius Atalanta "dubito quam insistam viam aut quod primordium capissam ad stirpem exquirentem".'*

In quibus hoc extremum vocabulum falso scriptum est et pridem restitutum *exquirendum.* Iam nos non inde primordium capessimus ut quos numeros haec habuisse apud Pacuvium videantur inquiramus, sed verba consideramus, quae nos ita perscripta et ordinata iudicamus ut qui ea mutatum eat non possit non insigniter depravare. Ribbeckius quidem, cum hanc orationem ita formavit ut supra scriptum est, verborum positum recuperavit qui quamvis quaesitus parum ad sententiam faciat. Atqui hos poetas, Pacuvium, Accium, de quo nuper diximus, si cui vacat hoc attendere, facile perspicere licet mira simplicitate dicendi cum in aliis tum maxime in ordinanda oratione uti, in qua vix a communi 6
more loquendi discedunt. Itaque nunc Atalanta Pacuviana, siquidem est Atalanta, Nonio auctore ita loquitur ut incipiat a *dubito,* a quo verbo pendeant duo *quam insistam viam* et *quod primordium capissam,* quae duo idem significant oratione varia ideoque per *aut* particulam iunguntur eo more quem alibi pluribus verbis persecuti sumus*): ab his autem duobus ita copulatis rursus suspensum est *ad stirpem exquirendum*, quod non ab altero tantum regitur, sed a duobus, ut ita dicat quam viam insistam aut quod primordium capiam ad exquirendum id quod volo dubito.

Quid ergo erat quod Ribbeckium adduceret ut hanc optime compositam orationem inversa verborum collocatione disturbaret?

---

*28) *Quid primum querar aut unde potissimum ordiar* Cicero.

Unde tuos primum repetam, m. C., fastus,
Quod mihi das flendi, C., principium

Propertius. Et sunt alia quibus haec varietas dicendi in sententia compa[…] illustretur: quo magis apparet haec *quam insistam viam aut quod primordi[um] capissam* tamquam par similium componi.

Nempe sibi persuaserat verba *aut quod primordium* non posse nisi extremum versus iambici locum obtinere: quod ut efficeretur omni ope nitendum ratus bis quod prius erat posterius fecit, de oratione securus modo numeris satisfieret. Hoc instituit et simul alteram condicionem proposuit; quoniam enim verba *quam insistam viam* non minus probum exitum versus praebent quam *aut quod primordium*, licere tres versus describere ad hunc modum

dubito quam insistam viam
◡ — ◡ — ◡ — *aut quod primordium*
Capissam ad stirpem exquirendum

cum trium pedum iactura in secundo. Qua re etsi verba *dubito quam i. v.* intacta manent, tamen veremur ne hoc sit πλέον θάτερον facere. Quid enim? tres pedes periisse volumus ubi in oratione nihil desideratur, immo ne inveniri quidem potest quod addatur his partibus sententiae intime connexis? Verumne est quod dicimus hos criticos metra tantum curare, verba nihili habere? Nos ita censemus vel hoc uno exemplo, quod se temptari non patitur, satis edoceri poetam hos numeros *aut quód primordium* ne a principio quidem versus procul habuisse. Quo probato pro trimetris licentia Ribbeckii procreatis nullo negotio octonarios nanciscimur, quos Nonii editores Quicherato principe ediderunt, integrum unum et dimidiatum alterum

dubito quam insistam viam
Aut quód primordium capissam ad stirpem exquirendum ◡ —*).

Eodem sensu ductus Ribbeckius in Periboea XVII (296) cum plerisque maluit duos trimetros constituere

precor veniam petens,
Utí quae [*ego*] *egi ago axim verruncent bene,*

quam quod L. Muellero placuit omnia uno octonario complecti

Precór veniam petens ut quae egi ago axim verruncent bene.

Sed Nonius cum bis tradat, p. 185, 26

'*verruncent id est vertant. Accius ... Pacuvius Periboea "precor veniam petens, ut quae egi ago axim* (*exim*) *verruncent bene*",'

---

*24) *meum* addidit Quicheratus, non inepte in re incerta; nam de argumento fabulae omnia obscura esse fatendum est, nisi quis vanis opinionibus fidem habebit quibus aut Ribbeckius in libro de tragoedia Romana p. 310 sqq. aut Nonii editor Muellerus ad Nonium p. 85 huius tragoediae tinera descripserunt. [*insistam viam aut Quód primordium* Plasbergius, dem Skutschius (per litt.) me non adsentiente.]

idem p. 505, 22

'*axim egerim. Pacuvius Periboea "aut quae egi* (*qua egi*) *ago vel axim everruncen*",'

quamquam fatemur magis ambiguam rem esse, tamen subductis rationibus probabilius existimamus, quem versum bis scripsit Nonius priore loco recte scriptum esse, certe idem altero negligentius exaratus est, in quo quod habetur *egi ago vel axim*, quo Nonii editores, Quicheratus, Onions, usi sunt ut trimetrum efficerent, nos librarii errori tribuere malumus. Quodsi recte statuitur, consequens est Nonium priore loco totum octonarium dedisse

Precór veniam peténs ut quae egi ago axim verruncent bene.

Et Ribbeckius qui haec *precor veniam petens* clausulam esse maluit, quibus modis alteram partem in integrum trimetrum de sententia Buecheleri supplevit

Utí quae [*ego*] *egi ago áxim verruncent bene*

iis diffidere licet propterea quod discedunt in iis quae consensus Nonii confirmat. Quamobrem dandum esse opinamur hunc numerum *precor veniam petens* non minus quam *aut quod primordium* ab intio octonarii iambici non abhorruisse.

III. In incertis Pacuvii Ribbeckius hunc versum fert XL (402 sq.)

eundem filios
Sibi procreasse per Calypsonem autumant,

qui quoniam Ulixem dicit, dubium non est quin olim recte Pacuvii Niptris adscriptus sit. De cuius versus conformatione ut certius iudicetur necesse est in grammaticorum testimonia inquiramus: sunt autem duo, primum Prisciani lib. VI p. 209, 14 H. qui haec tradidit:

'*in o productam desinentia Graeca sunt feminina et vel Graece declinantur ut Manto Mantus, Virgilius in* X [199]. . ., *vel addita nis faciunt genetivum ut Dido Didonis* [*Calypso Calypsonis Io Ionis, idque usus antiquorum comprobat*]. *Accius "custodem adsiduum Ioni adposuit virgini". Pacuvius "filios sibi procreasse dicitur eundem per Calypsonem autumant". Plautus in aulularia . . . Quod autem Ionis et Calypsonis et Didonis dicitur, ostendit hoc etiam Caesellius Vindex in stromateo his verbis: Calypsonem. ita declinatum est apud antiquos. Livius "apud nympham Atlantis filiam Calypsonem". Ennius . . . Accius . . .*'

In quibus quae verba post *Didonis* v. 3 uncis inclusa addidimus,

ea in codicibus infra post *autumant* v. 7 leguntur, ubi quia locum non habent ab editoribus pro interpolatis habentur, sed ea non falso adscripta sunt, cuius rei causa non dignoscitur, verum ut alia apud hunc grammaticum suo loco mota (cf. Ennii scen. 122), in quem reposita, quod iam unius codicis corrector instituit, non habent quod improbetur. In versu Pacuvii (6) quod legitur *dicitur* et orationem impedire nec mensurae parere apertum est: quare hoc a nescio quo ad explicandum *autumant* adiectum deleverunt. Id quod eo certius visum est quod hoc ipsum verbum ab altero quod afferendum est testimonio grammatici abest. Charisius enim p. 63, 17 K. haec scribit:

> '*nullum nomen o producta finitur nisi peregrinum, veluti Ino Sappho Dido. quae ideo quidam Graece declinare maluerunt, huius Didus Sapphus Inus. sed melius esset secundum Latinam consuetudinem huius Sapphonis Didonis dicere. nam et Pacuvius sic declinat, "filios sibi procreasse eundem per Calypsonem autumant" et Accius "custodem adsiduum Ioni adposuit virgini". Vergilius autem hanc Dido et Allecto dicere maluit.*'

Quae qui curiosius contulerit cum illis quae de eadem re Priscianus exposuit intelliget hunc, quem Charisio usum esse ipso teste constat, quae de hac doctrina explicat a Charisio non repetiisse. Sed Charisius in versu Pacuvii incommodum illud *dicitur* non habet, verum tamen versum cum dimetiri conamur aqua nobis haeret. Sive enim omnia uno versu amplexi trochaicum numerum describimus

> *Fílios sibi procreasse eundem per Calypsonem autumant,*

sive verbis in duo dispestis iambicam mensuram praeferimus,

> *filios*
> *Sibi prócreasse eundem per Calypsonem autumant,*

neutro modo contingit ut nanciscamur quo acquiescere liceat: ut enim alter legitimos quadrati fines excedit*), ita alter ne explet

---

*32) Non omnino hoc reiectaneum esse alibi tractatis exemplis Terentianis probare studuimus, de quibus videmus doctos pergere prave iudicare. In Pacuvii autem reliquiis quamquam talia occurrunt

114 *Hýmenaeum fremunt aequales, aula resonit crepitu musico,*
109 *Pérque nostram egregiam unanimitatem quam memoria deiugat,*

in promptu est, quibus haec dubitationibus obruantur. [Legitimum esse tetrametrum et sic dimetiendum

quidem iambici octonarii modos. Itaque Ribbeckius olim quo trochaico numero satisfieret addita voce scripsit

filios
[*Trís*] *sibi procreasse eundem per Calypsonem autumant,*

idem nuper iambicam mensuram praeoptavit quam mutato verborum ordine ea forma quam huic capiti praescripsimus instauravit

eundem filios
Sibi procreasse per Calypsonem autumant,

hoc ille ea qua solebat libertate usus: nam *eundem* pronomen locum mutare duo testes in ea re conspirantes vetant. Sed ne additam quidem vocem sive eam quam posuerat Ribbeckius sive nescio quam aliam sententia aut poscit aut recipit. Itaque a Charisio, qui sollicitudinem nostram non consopivit, relabimur ad Priscianum, apud quem ut Pacuvii versus scriptus est "*filios sibi procreasse dicitur eundem per Calypsonem autumant*", in eo *dicitur*, quod ut diximus oratio non fert, tamen eo acrius inspiciendum est quo minus sine eo metra stabiliri apparuit, quodque hoc 'glossema esse aiunt in codd. Prisciani illatum ad *autumant* pertinens', ratione utuntur vulgari illa quidem sed parum probabili: nam si erat qui hoc verbum explicandum duceret*) cur non *dicunt* apposuit et ibi quidem ubi inservire voluit? Quidni igitur potius credimus hoc intolerabile verbum errore librarii prave scriptum esse et condere vocem quae probe suscitata et orationem et versum adiuvare possit? Itaque coniectura usi suspicabamur non *dicitur* sed *dici* a Pacuvio scriptum et a Prisciano propagatum esse: '*filios sibi procreasse dici eundem per Calypsonem autumant.*' Quae non est mera abundantia loquendi, quod genus Plautus *sed finem fore quem dicam nescio,* Ennius *plus miser sim si scelestum faxim quod dicam fore*, alia, sed est dicendi forma quae sensum poetae accurate verbis expressum effert: autumant non procreasse, sed quoniam hoc nisi fando accipere non poterant, *dici* eum *procreasse* filios per Calypsonem. *Dici* autem si cum Pacuvio Priscianus scripsit, ex eo qui factum sit *dicitur,* in hac similitudine scripturae (*dici – dicit̄*) non est quod ambigatur, si quidem

Fílios sibi prócreasse eúndém per Cálýpsonem autumant
Plasbergius, item Skutschius maluerunt (per litt.), quo de habeo quod dubitem.]

*20) Nonius p. 237, 3 scribit 'autumare est dicere' adiectis exemplis, duobus Pacuvii, quem et hinc et aliunde cognoscimus eo verbo non raro usum esse.

hac verbi forma, qua saepe grammaticus in praeceptis grammaticis utitur, oscitanti librario videri poterat haec pars orationis claudi: *filios sibi procreasse dicitur.* Nec illud mirum est, apud Charisium praeteriri verbum sine quo oratio et sententia constare poterat. De metro autem si quaeritur, *dici* numerorum continuitati tam non adversatur ut vel maxime eam stabiliat:

Fílios sibi procreasse dici eundem per Calypsonem autumant.

Qui est perfectus pentameter trochaicus; sed quo magis *dici* firmari appareat, qui hoc genus cum Ribbeckio aspernatur poterit secluso *filios* octonarium iambicum describere:

filios
Sibi procreasse dici eundem per Calypsonem autumant.

Sed nos ita in animum induximus, non uno nomine praeferendum esse pentametrum, qui praesertim unam et totam sententiam ita complectitur ut verba numeris pedibusque se egregie accommodent; metrum autem, quo Ennium usum esse olim intellectum est nec potest denegari, et cuius ope nuper complures versus Accii male habitos ad integritatem revocare licuit (ut mittamus nunc Terentium), non est profecto quod a Pacuvio abiudicemus, etiamsi hodie non plus uno exemplo servatum sit.

IV. In armorum iudicio XIV Ribbeckius hos duos versus (38 sq.) posuit

Nám canis, quando est percussa lapide, non tam illum adpetit
Quí sese icit quam illum eumpse lapidem, qui ipsa icta est, petit.

Quae a Nonio p. 124,2 ita traduntur

'*icit significat percutit, ab ictu. Plautus . . . Pacuvius armorum iudicio: "nam canis quando est percussa lapide, non tam illum adpetit, qui se icit quam illum eum ipsum lapidem, qui ipsa icta est, petit".*'

In quibus fortasse nihil peccatum est nisi cumulata pronomina *illum eum ipsum*, quae sic certe ferri non posse apparet: satis erat aut *illum ipsum* aut *eum ipsum* posuisse. Itaque de Is. Vossii coniectura *eumpse* formam antiquitus pro *ipsum* usitatam restituerunt: quae ex iisdem pronominibus *eum ipsum* in ipso limine compendiosae doctrinae (1, 20) recuperata est in versibus Caecilii: '*in senectute hoc deputo miserrimum, sentire ea aetate* e u m p s e *esse odiosum alteri.*' Sed novissimi Nonii editores recepta *eumpse*

forma *illum* sustulerunt et versus qui tetrametri videbantur in duos trimetros redegerunt:

nam canis
Quando ést percussa lapide, non tam illum adpetit
Qui se ícit quam eumpse lapidem, qui ipsa icta est, petit.

Ita Quicheratus et Onions; Muellerus quo tetrametros retineret cum *illum* et ipse reiiceret eam iacturam addita *morsu* voce resarcire studuit:

Nám canis quandost percussa lapide, non tam illum adripit
Quí sese icit quam eumpse morsu *lapidem qui ipsa ictast petit.*

Nolumus exagitare singula quae ille suo periculo novavit, in quibus nihil est quod sua probabilitate niteat. Illud monemus, prave doctos *illum* pronomen delevisse, quod coniunctum cum *eumpse* h. e. *ipsum* inprimis aptum erat ad hanc sententiam: canis quando lapide percussa est non tam illum qui se icit appetit quam illum ipsum lapidem quo icta est petit. Visque eorum pronominum quae esset, poterant exempla Plautina docere, quale est in Curculione IV 3, 1 sqq. (534 sqq.)

TH. *Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,*
Sed eapse illa qua excidionem facere condidici oppidis.
LY. *Non edepol nunc ego te mediocri macto infortunio,*
Sed eopse illo quo mactare soleo quoi nil debeo,

aut in Rudente IV 8, 14 (1278)

PL. *Etiamne eam adveniens salutem?* TR. *Censeo,*

deinde pergit quaerere *Etiamne adveniens complectar eius patrem? Quid, matrem? Quid, eampse illam,* scilicet quam ante dixit.

Itaque Ribbeckii rationes probandae sunt, qui duos tetrametros descripsit, in quorum altero *Qui sese icit* recte scribi concedendum est, nisi quis maluerit *Quí se icit quam | illum eumpse* cum hiatu.

Sed nos non hoc agebamus, ut horum versuum scripturas rimaremur, quorum sententia, quidquid scribitur, plana est ac perspicua; sed quoniam haec verba comparationi inservire apertum est, non ineptum videbatur quaerere, unde hoc simile ductum cui rei a poeta adhibitum putaretur: de qua re nuperi editores nihil aut nihil probabile attulerunt.

Itaque Plato in πολιτείας quinto p. 253, 10 Bekk. haec scribit: τί δαί; σκυλεύειν, ἦν δ' ἐγώ, τοὺς τελευτήσαντας πλὴν ὅπλων, ἐπειδὰν νικήσωσιν, ἦ καλῶς ἔχει; ἢ οὐ πρόφασιν

μὲν τοῖς δειλοῖς ἔχει μὴ πρὸς τὸν μαχόμενον ἰέναι, ὥς τι
11 τῶν δεόντων δρῶντας ὅταν περὶ τὸν τεθνεῶτα κυπτάζωσι, πολλὰ δὲ ἤδη στρατόπεδα διὰ τὴν τοιαύτην ἁρπαγὴν ἀπώλετο; Καὶ μάλα. Ἀνελεύθερον δὲ οὐ δοκεῖ καὶ φιλοχρήματον νεκρὸν συλᾶν, καὶ γυναικείας τε καὶ σμικρᾶς διανοίας τὸ πολέμιον νομίζειν τὸ σῶμα τοῦ τεθνεῶτος ἀποπταμένου τοῦ ἐχθροῦ, λελοιπότος δὲ ᾧ ἐπολέμει; ἢ οἴει τι διάφορον δρᾶν τοὺς τοῦτο ποιοῦντας τῶν κυνῶν, αἳ τοῖς λίθοις οἷς ἂν βληθῶσι χαλεπαίνουσι τοῦ βαλόντος οὐχ ἁπτόμεναι; Οὐδὲ σμικρόν, ἔφη. Ἐατέον ἄρα τὰς νεκροσυλίας καὶ τὰς τῶν ἀναιρέσεων διακωλύσεις.

Eorumque summa a verbis *Ἀνελεύθερον* ad *διακωλύσεις* Ioannes Stobaeus in florilegium recepit tit. 125, cui inscriptum est *Ὅτι οὐ χρὴ παροινεῖν εἰς τοὺς τετελευτηκότας* (Mein. IV p. 138, 16). Ipsam imaginem Platonicam non omisit Aristoteles ibi ubi hoc genus *εἰκόνων* pluribus exemplis explanavit (rhet. III 4 p. 1406 b 32):

καὶ τὸ ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ Πλάτωνος, ὅτι οἱ τοὺς τεθνεῶτας σκυλεύοντες ἐοίκασι τοῖς κυνιδίοις, ἃ τοὺς λίθους δάκνει τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμενα.

Denique huc pertinent quae apud Suidam leguntur (II 2 p. 238 Bernh.)

περιχαίνω αἰτιατικῇ, οἷόν τι ποιοῦσιν οἱ κύνες τοὺς λίθους οἷς βάλλονται περιχαίνοντες.

De verbo *περιχαίνειν*, quod Platoni restituendum censet, hoc quidem prave, erudite egit Iohannes Toupius in emendationibus in Suid. p. III (opusc. crit. p. 349), cuius doctrinam nec Plato cum Stobaeo neque Aristoteles nec denique Pacuvii versus fugerunt. Ut nihil nobis supersit quod disputemus nisi hoc unum, quoniam versus Pacuvii ex eius armorum iudicio petiti sunt, quem ibi locum habuerint quamve sententiam. Atqui quod Plato dicit et unde profectus est *σκυλεύειν τοὺς τελευτήσαντας**) vel *νεκρὸν συλᾶν*, hoc nisi quid nos fugit ab illius tragoediae fabula alienum erat, sed quae scribit idem *σμικρᾶς διανοίας τὸ πολέμιον νομίζειν τὸ σῶμα τοῦ τεθνεῶτος ἀποπταμένου τοῦ ἐχθροῦ, λελοιπότος δὲ ᾧ ἐπολέμει*, quibus deinceps exemplum de canibus adnectit, haec ita comparata sunt ut similem in modum Ulixes potuerit apud Pacuvium Atridis

*31) [Aliena quamvis cognata est sententia ipsius Aiacis quam Philostratus Heroic. p. 186, 19 ed. Lips. refert *πολέμιόν τε ἑλὼν ἀπείχετο τῶν ὅπλων· τὸ μὲν γὰρ ἀποκτείνειν ἀνδρὸς εἶναι, τὸ δὲ σκυλεύειν λωποδύτου μᾶλλον.*]

contra dicere Aiacis corpus insepultum proiici iubentibus. Quibus ut Ulixes apud Sophoclem (1344) respondit *ἄνδρα δ' οὐ δίκαιον, εἰ θάνοι, βλάπτειν τὸν ἐσθλόν, οὐδ' ἐὰν μισῶν κυρῇς*, ita in armorum iudicio illis regessisse videatur, ne vellent in corpus mortui saevire ex quo quem odio habuissent iam evolasset, simili adiecto: hoc enim esse idem agere quod canes, quae lapide percussae lapidem petunt, eum qui lapidem iecerit non attingunt. Fuisse autem in Pacuvii quoque tragoedia similem Sophocleae contentionem de sepeliendo Aiace ex fr. XVI *pro imperio agendum est. — Quis vetat, quis, ne attollat*, haud iniuria colligi videtur. Illos versus Ribbeckius nec Platonis nec Toupii memor prave explicuit nec suo loco posuit, non magis is qui de Pacuvii fabulis separatim egit (Berolini 1889) L. Muellerus.

V. Praeclaros quosdam versus Pacuvii de Iliona Cicero servavit eo modo quo solebat versus tragicorum poetarum, Ennii inprimis, suae orationi includere, non ut totos versus afferret sed ut tantum quod satis esset ad commonefaciendos lectores eorum quae ipsi 12
scirent, et ut poetarum verbis quasi interpretandi causa sua misceret. Itaque scribit in Tusculanis disputationibus I 44, 106:

'*Ecce alius exoritur e terra qui matrem dormire non sinat.*
1. *Mater, te appello, tu quae curam somno suspensam levas,*
2. *Neque te mei miseret, surge et sepeli natum.*

haec cum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinuntur, difficile est non eos qui inhumati sint miseros iudicare.

3. *prius quam ferae volucresque*

metuit ne laceratis membris minus bene utatur, ne combustis, non extimescit.

4. *Neu reliquias semiassi reis denudatis ossibus*
Per terram sanie delibutas foede divexarier.

non intelligo quid metuat, cum tam bonos septenarios fundat ad tibiam.'

Notum est haec Polydori verba esse, qui a Polymestore enectus matrem Ilionam precibus adit ut corpus mortui sepeliat neve se inhumatum in agro iacere patiatur. Quorum illa priora qui addita voce continua esse voluerunt, Ciceronis morem parum perspexerunt, miramurque quod Ribbeckius praeeunte quidem Bentleio etiam tertia recognitione haec ita adornanda curavit:

Mater, te appello, tu, quae curam somno suspensam levas,

Neque te mei miseret, surge et sepeli natum tuum *prius quam ferae*
Volucresque.

At nec prima illa sententia integra affertur et haec *prius quam ferae volucresque* apertum est e media oratione sumpta esse, ut indicio essent quid poeta sentiret.

Sed haec utut iudicabuntur, graviora sunt quae insequuntur, in quibus dubium non est quin aliquid prave scriptum sit, si quidem in libris Tullianis haec ita exarata traduntur, ut supra posita sunt: *neu reliquias ſemiaſſi reiſ denudatis o.* Quorum quae esset primitiva forma, in prooemio a. 1879/80 (P. I p. 92 ss.) quaerebamus et explanata pluribus verbis sententia lenissimo emendandi genere usi scribendum proposuimus

13 *Neu relliquias semustas sireis denudatis ossibus*
Per terram sanie delibutas foede divexarier.

Haec Ribbeckii insolentia irrisit, cum ita scriberet *neque Polymestor Polydori corpus semustum abiecit nec Ilionam fraterni corporis tam incuriosam fore cogitari poterat, ut rogo quidem mandaret sed nondum concrematum* a b r i p e r e t *et feris dilacerandum relinqueret.* In quibus quae de Polymestore scribit, quamquam non nesciit ab ista prooemii disputatione plane aliena esse, tamen a fide sua impetravit ut haec quae absurda sunt cavillandi causa simul cum altero afferret. Quae vero de Polydoro et matre eius effutivit, quam temere et incogitanter iacta sint, haud ita difficile est demonstratu, modo quis intelligere cupiat quae scripta sunt. Sed initium nobis facimus ab ea forma orationis quam Ribbeckius iam tertium commendavit:

Neu reliquias quaeso mias *sireis denudatis ossibus*
Per terram sanie delibutas foede divexarier.

Omittimus interim emendandi genus quo usus est quod vix sperandum est multis placiturum esse: illud quaerimus, *reliquiarum* quoniam varia est significatio, quas Ribbeckius *reliquias* dici voluerit, et qua ratione mater hoc providere potuerit quod iubetur, ne eae reliquiae denudatis ossibus per terram divexentur. Ab explicanda quidem sententia Ribbeckius tam in editione quam in libro de tragoedia Romana (p. 234) abstinuit, sed quoniam nostram interpretandi rationem repudiavit, non videtur nisi corpus insepultum sive ossa corporis inhumati intelligere velle quae sane poterant a feris per terram divexari. Sed hoc si statuitur, relabamur necesse est ad superiorem sententiam nec contingit ut apte progredientem orationem nanciscamur: 'sepeli natum, prius quam ferae membra dilacerent;

neve reliquias (h. e. ossa inhumati corporis) per terram trahi patiare'. Nam quod Ribbeckius nunc, non olim (ne nihil eum ex nostra disputatione didicisse censeas) haec *neu reliquias* a superioribus diiuncta esse indicat, nihil est tamen ex ipsius rationibus quo ea referantur nisi quae praecedunt in versu secundo et tertio. Mater autem, hoc erat alterum quod quaerebamus, non apparet, quo modo caveat ne ossa insepulta per terram rapiantur a bestiis, si quidem hoc ea re sola quod humatum h. e. terra obtectum est corpus satis certo effici non potest*). Ergo hac interpretandi via fieri non potest ut res recte expediatur. Et tamen Cicero indicaverat fuisse in Pacuvii cantu quod afferre verbis noluit, quod nos putamus probe acceptum non posse non obscuritatem diluere. Qui cum ad illa *prius quam ferae volucresque* adiiciat *metuit ne laceratis membris minus bene utatur, ne combustis non extimescit*, fidem facit Polydorum non solum flagitasse a matre ut corpus sepeliret, sed hoc etiam ut se rogo daret comburendum: unde enim, nisi hoc erat in verbis, Cicero colligere potuit Polydorum non extimuisse ne combustis membris non bene uteretur? Hoc autem ubi medium intercessit, habemus cui tamquam altera pars iussi adhaereat *neu reliquias* eqs, et patefactum est quas *reliquias* Polydorus dixerit. Etenim permultis hoc testimoniis constat antiquitus moris fuisse comburi mortuorum corpora et combustorum reliquias colligi atque condi. Cuius rei selecta quaedam exempla posuisse non inutile erit. Itaque de tribus heroibus Achivorum vel Troianorum occisis et sepultis Homerica carmina haec tradunt, primum de Patroclo Il. XXIII 216—254, ex qua prolixa narratione, quae tota ad hanc rem pertinet, paucos versus tollamus

250 *πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊὴν σβέσαν αἴθοπι οἴνῳ,*
ὅσσον ἐπὶ φλὸξ ἦλθε, βαθεῖα δὲ κάππεσε τέφρη·
κλαίοντες δ' ἑτάροιο ἐνηέος ὀστέα λευκὰ
ἄλλεγον ἐς χρυσέην φιάλην καὶ δίπλακα δημόν,
ἐν κλισίῃσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν;

secundo autem loco de Hectoris sepultura Il. XXIV 785—795 14

786 *καὶ τότ' ἄρ' ἐξέφερον θρασὺν Ἕκτορα,*
ἐν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ νεκρὸν θέσαν, ἐν δ' ἔβαλον πῦρ.
ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς,

---

*9) Cf. Tibullus I 5, 53 in exsecratione lenae:
Ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
Quaerat et a saevis ossa relicta lupis.

τῆμος ἄρ' ἀμφὶ πυρὴν κλυτοῦ Ἕκτορος ἔγρετο λαός.
791 πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊὴν σβέσαν αἴθοπι οἴνῳ
πᾶσαν, ὁπόσσον ἐπέσχε πυρὸς μένος· αὐτὰρ ἔπειτα
ὀστέα λευκὰ λέγοντο
καὶ τά γε χρυσείην ἐς λάρνακα θῆκαν ἑλόντες κτλ.

(conf. XXI 320); tertium de Achille mortuo et combusto haec sunt in Odyssea XXIV 65—72

65 ὀκτωκαιδεκάτῃ δ' ἔδομεν πυρί
67 καίεο δ' ἔν τ' ἐσθῆτι θεῶν καὶ ἀλείφατι πολλῷ
71 αὐτὰρ ἐπειδή σε φλὸξ ἤνυσεν Ἡφαίστοιο,
ἠῶθεν δή τοι λέγομεν λεύκ' ὀστέ', Ἀχιλλεῦ,
οἴνῳ ἐν ἀκρήτῳ καὶ ἀλείφατι· δῶκε δὲ μήτηρ
χρύσεον ἀμφιφορῆα .
76 ἐν τῷ τοι κεῖται λεύκ' ὀστέα, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ κτλ.

Cf. Il. VII 333 sqq. Porro in Sophoclis Electra (757 sqq.) Orestis interitu narrato haec addit paedagogus

καί νιν πυρᾷ κέαντες εὐθὺς ἐν βραχεῖ
χαλκῷ μέγιστον σῶμα δειλαίας σποδοῦ
φέρουσιν ἄνδρες Φωκέων τεταγμένοι,
ὅπως πατρῴας τύμβον ἐκλάχοι χθονός,

quaeque Electra ἄγγος cinerum tenens lamentatur 1138 sqq.

κοὔτ' ἐν φίλαισι χερσὶν ἡ τάλαιν' ἐγὼ
λουτροῖς σ' ἐκόσμησ' οὔτε παμφλέκτου πυρὸς
ἀνειλόμην, ὡς εἰκός, ἄθλιον βάρος,
ἀλλ' ἐν ξέναισι χερσὶ κηδευθεὶς τάλας
σμικρὸς προσήκεις ὄγκος ἐν σμικρῷ κύτει

consuetum harum rerum iter clare ostendunt. In Euripidis vero Supplicibus pueri patrum occisorum et concrematorum ossa sive reliquias ferentes inducuntur: 1114 τάδε δὴ παίδων καὶ δὴ φθιμένων ὀστᾶ φέρεται inquit chorus, deinde 1124 παῖδες clamant

φέρω φέρω,
τάλαινα μᾶτερ, ἐκ πυρὸς πατρὸς μέλη,
βάρος μὲν οὐκ ἀβριθὲς ἀλγέων ὕπερ,
ἐν δ' ὀλίγῳ τἀμὰ πάντα συνθείς.

Apud eundem Euripidem quae Orestem inter et Menelaum interrogando et respondendo de matris nece et Orestis furore aguntur Or. 401 sqq.

ME. ἤρξω δὲ λύσσης πότε; τίς ἡμέρα τότ' ἦν;
OP. ἐν ᾗ τάλαιναν μητέρ' ἐξώγκουν τάφῳ.

ME. πότερα κατ' οἴκους ἢ προσεδρεύων πυρᾷ;
OP. νυκτὸς φυλάσσων ὀστέων ἀναίρεσιν,

ea vel maxime habent, quae ad hunc usum et ad nostram causam spectant. Non secus Vergilius Aen. VI 212 sqq. in Miseni inferiis:

215 *Ingentem struxere pyram . . .*
congesta cremantur
225 *Turea dona*
226 *Postquam conlapsi cineres et flamma quievit,*
Relliquias vino et bibulam lavere favillam
Ossaque lecta cado texit Corynaeus aeno.

Quibus addantur quae Servius ad vv. 216. 226. 228 memoravit. Idem Aen. XI 185 sqq.

Constituere pyras. huc corpora quisque suorum
More tulere patrum, subiectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine caelum.
Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos
199 *tum litore toto*
Ardentes spectant socios semustaque servant
Busta neque avelli possunt, nox umida donec
Invertit caelum stellis ardentibus aptum.

Cf. ibidem 210 sqq. Neque hic negligenda sunt quae Servius adnotavit ad 185. 201. 210 *mos enim erat tertia die ossa crematorum legi.* Ex eadem mente cum Tibullus locutus est I 3, 5

non hic mihi mater
Quae legat in maestos ossa perusta sinus,
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,

tum Lygdamus 2, 17 sqq. In Hercule autem Oetaeo, quae nuntius posteaquam Herculem flammis consumptum enarravit 1753 sqq.

cumque iam voltum minax
Appeteret ignis, lamberent flammae caput,
Non pressit oculos

admirabundus adiicit 1755 sqq.

sed quid hoc? maestam intuor
Sinu gerentem reliquias magni Herculis
Crinemque iactans squalidum Alcmene gemit,

et quae Alcmene ipsa 1823

reliquias magni Herculis
Quis populus aut quae templa, quae gentes rogant?

16 denique eadem 1828 sqq. expromit

> *Quid, anime, trepidas? Herculis cineres tenes;*
> *Complectere ossa: reliquiae auxilium dabunt,*
> *Erunt satis praesidia: terrebunt tuae*
> *Reges vel umbrae,*

haec quis non videt eam quam diximus consuetudinem dilucide afferre et quam vim esse veteres in reliquiis vellent patefacere, quam Servius etiam aperte testatus est, cum ita scriberet in Aen. II 539

> '*funere: cadavere: ab eo quod praecedit id quod sequitur. funus enim est iam ardens cadaver: quod dum portatur exsequias dicimus: crematum reliquias: conditum iam sepulcrum.*'

quae eadem Isidorus orig. XI 2, 35 ex Servio repetita tradidit. Postremo addimus quae Suetonius de funere Augusti (100) perhibuit

> *senatorum humeris delatus in Campum crematusque: reliquias legerunt primores equestris ordinis ac Mausoleo condiderunt.*

His igitur testimoniis et exemplis veterum mos sepeliendi cognoscitur, qui mortuorum corpora cremari nolebant nisi ita ut collapsis cineribus rogorumque flammis exstinctis ossa legerentur eaeque reliquiae conditae servarentur. Atque ad hunc morem dicimus Polydorum Pacuvianum suam accommodavisse orationem. Qui cum Cicerone teste corpus suum cremari vellet, alterum addidit quod cum illo perpetua consuetudine coniunctum erat*), ut matrem utrumque iuberet et rogo corpus imponere et exstincta flamma ossa perusta legere neque reliquias sinere a feris raptari. Hanc enim verborum sententiam esse iam putamus apparere, quidquid statuitur de emendanda voce quam depravatam esse diximus: nam *sireis* h. e. *siveris*, quod coniunctis syllabis nulla littera mutata prodit, ambiguum non est, *neu* autem simile sibi praemitti poscit, quod ex nostra disputatione non potuit esse nisi ossa legas, ut ita fere dixisse videatur *prius quam ferae volucresque* membra dilacerent corpus imponas rogo et ossa perusta in sinum tuum legas *neu reliquias* sinas *per terram divexari*.

Ex corrupta scriptura quae est in libris Tullianis *ſemiaſſi reis* quod restat postquam *sireis* separatum est, *ſemiaſ*, ex eo Ribbeckium

---

*23) Cf. Isaeus 4, 19 ὃ δὲ μέγιστον, καὶ μάλιστα τῆς Χαριάδου ἀναιδείας καταμαρτυρεῖ, τοῦτο σκέψασθε· ὅπου γὰρ τὸν αὐτὸν ποιησάμενον οὔτ' ἀποθανόντα ἀνείλετο οὔτ' ἔκαυσεν οὔτε ὠστολόγησεν ἀλλὰ πάντα τοῖς μηδὲν προσήκουσι παρῆκε ποιῆσαι, πῶς οὐκ ἂν ἀνοσιώτατος εἴη;

diximus *(reliquias) quaeso mias* effecisse tribusque deinceps editionibus retinuisse: in quibus *quaeso* mirum est eum numquam sensisse quam absonum esset, quod, ut mittamus ascia edolatum esse, non solum nihil facit ad sententiam neque eam ullo modo adiuvat, sed decorem lugubris huius orationis misere corrumpit; ne *mias* quidem, ut largiare ea forma Pacuvium usum esse quod non probatum est, potest placere, quod perficiendae emendationis causa inventum pronomen affert non solum supervacaneum sed si quid sentimus parum in hac sententia appositum, ut ita dicat *neu reliquias meas* sinas divexari. Nos in *ſemiaſ* non plus una voce delitescere [17] opinati, ut *semiesas* Bentleius coniecerat, ea quae esset (nam illud ferri non potest) ex ipsa sententia augurari conabamur: ut enim reliquiae quae de rogo sublegantur perustae sint oportet, ita quas quis reliquias a feris divexari sinit, semiustae non inepte appellari poterant: quod nomen additum non solum quadrat in sententiam quam explicuimus sed eam explet ac perficit, ut paene posci ab ea videatur; concinneque coniungitur cum *denudatis ossibus* h. e. postquam ossa visceribus ignis vi peresis denudata sunt*). Itaque versum sic scriptum fuisse affirmabamus

*Neu rélliquias semustas**) *sireis denudatis ossibus*
Per térram sanie delibutas foede divexarier;

et *semias* quidem ex *semustas* qua via ortum sit si quaeritur, nihil est quod facilius expediatur: nam si *ſemuſtaſ* scriptum erat ut scribi poterat *ſem' τaſ* velut in Ennii ann. 252 quod erat *paratus* in Festi codice *parat' τ*, exaratum est, paene in oculos incurrit quo errore natum sit quod Tulliani codices tradiderunt *ſemiaſ*.

Atqui quod ira aut ulciscendi cupidine nonnumquam fiebat, ut semusta cadavera destituerentur aut abiicerentur, quemadmodum Silius Italicus Punic. II 267 scribit

Hinc letale viri robur tegimenque tremendum
In flammas iaciunt; ambustoque ore genisque
Deforme alitibus liquere cadaver Hiberis

aut Cicero pro Milone 13, 33 Sex. Clodium appellans

---

*19) Cf. Apuleius met. VIII 15 *denique ob iter illud, qua nobis erat commeandum, iacere semesa hominum corpora suisque visceribus nudatis ossibus cuncta candere*, nisi quod haec non ad combusta corpora sed ad insepulta iacentia referenda sunt.

*20) De dicendi genere cf. Tacitus ann. II 69 *reperiebantur . . semusti cineres ac tabo obliti.* [Lucanus VIII 786 *semusta rapit . . Ossa.*]

Tu P. Clodi cruentum cadaver eiecisti domo, tu in publicum abiecisti, tu . . . infelicissimis lignis semustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti)*,

id nimirum etiam incuria committi potuit, ut de rogo reliquiae non colligerentur sed semustae feris divexandae relinquerentur, cum praesertim, quod testimonia docuerunt, haec opera assidendi rogo et exspectandi dum cineres collaberentur et flamma quiesceret molesta esset nec cuivis aut quovis tempore concessa esse posset. Nihil igitur miri in eo quod Polydorus matrem admonet non solum ut corpus rogo mandet sed etiam ut ossa perusta legat neve reliquias semustulatas destituat: nam Polydorus, qui matrem accusabat verbis *neque te mei miseret*, habebat quod vereretur ne mater duplicem istam curam non plene persequeretur, qui quidem ea sollicitudine anxia tenebatur, quam Cicero deridet, ut non solum quid se fieret si corpus insepultum iaceret, sed etiam corpore rogo imposito quid de reliquiis futurum esset sibi prospiciendum duceret. Quamobrem Ribbeckius nihil dixisse existimandus est quod hanc sententiam, quae aperta est et eadem quidem sive *semustas* additur sive omittitur, ob eam causam vituperavit quia impietatis esset
18 filium matrem hoc quoque monere ut corpore cremato ne reliquias desereret. Nihil enim erat quod aut huic cantui aut Polydori personae magis esset accommodatum.

VI. Ilionam Pacuvii nondum relinquimus nisi prius ex reliquiis a Ribbeckio editis unum versum a Pacuvio alienum argumentando seclusimus. Etenim apud Nonium p. 382, 5 haec vulgo feruntur:

'*rimari dicitur scrutari quaerere. Vergilius lib.* XI [748] "*et partes rimatur apertas*". *idem lib.* VII [507] "*quod cuique repertum rimanti, telum ira facit*". *Pacuvius Atalanta* [XX] "*cum incultos pervestigans rimarem sinus*". *Pacuvius Ilione* "*aut stagnorum umorem rimarem loco*".'

Non de versu loquimur quem esse de Pacuvii Iliona [VI] volunt, sed prius de poeta. Nam non potest non legentem offendere quod haec se excipiunt *Pacuvius Atalanta . . . Pacuvius Ilione.* Et

*3) [Suetonius de vita Domitiani c. 15 extr. *sepeliri accuratissime imperavit* (ne eveniret quod mathematicus eius praedixerat se brevi laceratum iri a canibus): *quod cum fieret, evenit ut repentina tempestate deiecto funere semiustum cadaver discerperent canes.* Idem de Caligula c. 59 *cadaver eius tumultuario rogo semiambustum levi caespite obrutum est.* Cf. Tiber. c. 75.]

Muellerus qui adnotavit 'olim haud dubie pro altero nomine fuisse *idem*' fatetur ipse illa quae tamen sequitur probabilia non esse. Accedit quod hoc poetae nomen minime testium memoria nititur sed mera coniectura criticorum repertum est. Plerique enim libri *Accius* exhibent sive *Actius* quod idem est, et *accuius* quod habet unus cod. Leidensis propius certe ab *Accio* quam a *Pacuvio* est. Itaque dubitari non debuit quin haec in hunc modum a Nonio perscripta essent: *Pacuvius Atalanta* . . . *Accius Ilione.* Quid vero fuit quod *Pacuvium* pro *Accio* ponerent, quamquam hoc tam codicum scripturis dissuadebatur quam Nonii consuetudine qui non solebat idem nomen poetae una serie bis ponere. Nempe Pacuvii Ilionam fuisse multa testimonia tradunt, Accii Ilione nusquam memoratur. Cum igitur alicubi peccatum sit in Nonii glossa, tamen nimis cito poetae nomen labem traxisse statuerunt, quod vidimus quam firmiter stabiliretur. Ergo in tragoediae titulo erratum est: cuius rei indicium vel in eo apparet quod *Ilione* scriptum est in libris, cum Nonius in afferendis Ilionae versibus qui multi sunt numquam nisi *P. in Iliona* scripserit. Illa forma quod fuerunt qui in emendando versu uterentur, verendum est, ne hac via unicum quod erat indicium veri tollatur. Nos ex ea scriptura profecti leni manu titulum recuperamus qui recte scribi poterat: una enim mutata litterula ex iis quae tradita sunt *Accius ilione* prodit *Accius inione* h. e. *in Ione.* Nam haec erat tragoedia Accii, quae paucis certe testimoniis fertur. Et quod, quo probabilitas coniecturae continetur, *in Ione* scripsimus (ut apud Priscianum et Festum legitur), reminiscendum est, Nonium quidem persaepe in his afferendis titulis a praepositione addenda abstinere, sed tamen toties in bonis libris eam praepositionem adiectam legi, ut hunc usum ab hoc grammatico abiudicare non liceat. Qui, ut mittamus alia exempla, quae plurima sunt, vel in eadem pagina hanc varietatem afferendi exhibet: p. 258, 4 sq. *Accius Aeneadis aut Decio . . . idem in Neoptolemo* . .; p. 256, 16 sqq. *Accius Eurysace* . . .; *idem in Tereo* . . .

De Ione Accii duo sunt testimonia Prisciani (quorum alterum habet etiam Charisius), unum Festi. Ad haec nunc novum accedit, Nonii, neque hoc mirum haberi debet, Nonium hanc Accii tragoediam semel omnino memorare, qui quidem Ennii Nemea semel, 19
semel eiusdem Alcmaeonem citavit. Denique versum ipsum, quem ex Iliona petitum rati ad eam sententiam explicare et emendare conabantur, non minus bene ad Ionis argumentum referas. Verba

enim tradita *aut stagnorum umorem rimarem loco*, in quibus fortasse nihil est depravatum et quorum sententiam vel hoc modo supplere liceat *ut] aut stagnorum umorem rimarem loco [Movebar aut ut**), ipsius esse Ionis verba putaveris, quae quid sibi in bovem conversae acciderit nescio cui narret: cui opinioni non adversa sunt Ionis fr. II et III, favent autem quae Ovidius de Ione mutata refert met. I 632

Frondibus arboreis et amara pascitur herba,
Proque toro terrae non semper gramen habenti
Incubat infelix, limosaque flumina potat.

Cf. Propertii II 28, 17 *Io versa caput primos mugiverat annos: nunc dea, quae Nili flumina vacca bibit.* Sed de ea re quidquid statuitur, nemo, opinamur, hunc versum Ilionae magis quam Ioni aptum esse et accommodatum iure asseverabit. Scr. m. Maio a. MDCCCCIII.

---

*8) Nihil tribuimus huic generi coniecturae; sed temptamus animo informare, qualis fuerit aut esse potuerit oratio ex qua pauca verba servata sunt.

LIX. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1904.

In prooemiis scribendis cum discipulorum studia ad expositam 3
lectionum academicarum dapem vocamus, fieri non potest quin interdum doctorum quoque vicissitudinem respiciamus, qua alii eorum cursu exacto in communem locum abeant, alii in illorum sedem succedant. Itaque nunc lugemus Ulrici Koehleri obitum, viri egregii et qui in sua parte doctrinae cum libris scriptis tum fructuosa institutione sibi laudem aliis insignem utilitatem peperit: qui aetate vegeta mentis acie qua pollebat per morbi vim obscurata flebili sorte litteris et amicis ereptus est. Ac nobis simul maioris viri amissio deploranda est, Theodori Mommseni. Hic vita ad extremam senectutem producta haud inclementi fato diem supremum obiit, nobis vero sempiternum sui desiderium reliquit, qui etiam cum senex scholas habere desiit, noster esse et Universitatis saluti adesse quoad vixit non desiit. Cuius illustre nomen quoniam nunc primum in hoc indice lectionum suo loco non apparet, decoris causa in hoc exordio commemorandum duximus, non ut incomparabilis magnitudo viri pluribus verbis exponeretur sed ut uno verbo profiteremur quantum auctoritas eius in doctrinarum cultum valeret, qui suo exemplo docuit vel maximam ingenii vim nisi cum indefessa laboris contentione coniunctam fructus ferre non posse. Hoc sibi dictum tollant memores qui litterarum studia capessunt in iisque vitam non inutilem consumere cupiunt.

Tantum dandum erat piae defunctorum recordationi. Itaque nunc repetimus consuetum nostrum tramitem disputationis grammaticae.

Sophoclis Electrae in codice Laurentiano (XXXII 9) haec quae 4
infra scripsimus praemissa sunt:

> *Ὑπόθεσις Ἠλέκτρας. Ὑπόκειται ὧδε, τροφεὺς δεικνὺς τῷ Ὀρέστῃ τὰ ἐν Ἄργει. μικρὸν γὰρ αὐτὸν ὄντα κλέψασα ἡ Ἠλέκτρα, ἡνίκα ὁ πατὴρ ἐσφάζετο, δέδωκε τῷ τροφεῖ, φοβουμένη μὴ καὶ αὐτὸν φονεύσωσι σὺν τῷ πατρί.*

Τροφεύς ἐστιν ὁ προλογίζων πρεσβύτης παιδαγωγός, ὁ ὑποκείμενος καὶ ὑπεκθέμενος τὸν Ὀρέστην εἰς τὴν Φωκίδα πρὸς Στρόφιον καὶ ὑποδεικνὺς αὐτῷ τὰ ἐν Ἄργει. μικρὸν γὰρ αὐτὸν κλέψας ἐκ τοῦ Ἄργους ὁ παιδαγωγὸς ἔφυγεν, καὶ διὰ εἴκοσιν ἐτῶν ἐπανελθὼν εἰς τὸ Ἄργος μετ' αὐτοῦ δείκνυσιν αὐτῷ τὰ ἐν Ἄργει.

Quibus quae in exemplo O. Iahnii Ad. Michaelis cura perpolito (v. 4) ex uno codice Vindobonensi media interposita sunt *ἔπεμψε δὲ αὐτὸν εἰς Φωκίδα εἰς τὸν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ [. . . ἐπὶ Ἀναξιβίαν ἀδελφὴν αὐτοῦ] ἐξάδελφον Στρόφιον*, ea se ab hoc argumento aliena esse liquido patefaciunt; neque magis suum locum obtinere potest quod ex alio quo codice alteri parti praefixum est *καὶ ἄλλως*, si quidem his referuntur non eadem alio modo, sed alia, quae tamen eiusdem narrationis sunt. Quam vocem librarii etiam alibi inconsulte inseruerunt, velut quid potest esse importunius, quam quod in editis equitibus Aristophanis ne accedente quidem potiorum codicum fide fertur *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν ἄγαν καλῶς πεποιημένων.* II. *Ἄλλως. Ὁ σκοπὸς αὐτῷ πρὸς τὸ καθελεῖν Κλέωνα κτλ*, cum apertum sit extremam prioris partis sententiam cum principio alterius in unius orationis continuitatem coire: *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν ἄγαν καλῶς πεποιημένων. ὁ σκοπὸς αὐτῷ* (scil. *τῷ δράματι*) *πρὸς τὸ καθελεῖν Κλέωνα.*

Sed quae *Ὑπόθεσις Ἠλέκτρας* inscribitur, eius superstites sunt partes duae, quarum quae prior est (1—4) non videtur habere sive a sententia sive oratione quod vituperetur aut offendat. In altera (5—10) est quod criticorum arbitratu ferendum non esse affirmetur, qui participium *ὑποκείμενος* (6) sive hoc solum sive una cum pluribus verbis deleri iusserunt. Quos si cumulatorum participiorum molestia moverit, quamquam facile concedas relativam sententiam *ὃς ὑπόκειται* pro participio poni potuisse, tamen cavendum est ne fastidiamus quod potissimorum scriptorum usus comprobat; exstincto autem hoc participio veremur ne deteriorem ex proba orationem effecerint: nam non hoc voluit auctor dicere *ὁ καὶ ὑπεκθέμενος* h. e. qui illum summovit, sed illud potius *ὁ ὑποκείμενος καὶ ὑπεκθέμενος τὸν Ὀρέστην καὶ ὑποδεικνὺς**) *κτλ* h. e. quem poeta finxit (posuit) esse eum qui et clam summoverit et nunc *τὰ ἐν Ἄργει* ostendat. Qui usus verbi *ὑποκεῖσθαι*

*35) Malis *καὶ νῦν δεικνύς.*

vulgaris est in his ὑποθέσεων reliquiis quae hodie exstant; quod genus in Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ ὑποθέσει in Euripidis Orestem non solum (p. 136, 6 K.) scribitur ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Ἄργει, quod saepe similiter occurrit, sed etiam (12) πρὸς τὰ τοῦ Ἀγαμέμνονος βασίλεια ὑπόκειται Ὀρέστης κάμνων καὶ κείμενος ὑπὸ μανίας ἐπὶ κλινιδίου, et in ὑποθέσει equitum Aristophanis (p. 3, 2 Z.) ὑπόκειται δὲ ὡς Παφλαγὼν νεώνητος δουλεύων τῷ Δήμῳ καὶ προαγόμενος παρ' αὐτῷ περιττότερον, h. e. ὑπόκειται δουλεύων, id quod prave distinguendo obscuratur. Quare in principio nostrae ὑποθέσεως quod legitur ὑπόκειται ὧδε, τροφεὺς δεικνὺς τῷ Ὀρέστῃ τὰ ἐν Ἄργει corrumpunt, si qui cum Bergkio δείκνυσι legi malunt pro δεικνύς, quod non obstante ὧδε particula interposita ab ὑπόκειται suspensum est.

Sed haec altera pars quid sibi velit requirentibus apparet verba quidem quaedam eadem esse cum priore parte, sed in iis etiam, quae cum illa communia habet, alia et plura afferri, agi autem proprie de condicione eius qui ὁ προλογίζων πρεσβύτης παιδαγωγὸς*) dicitur, quem scriptor τροφέα esse, Orestis scilicet, affirmat, hoc ea de causa, quia quem superior pars bis simpliciter τροφέα dixit (1) τροφεὺς δεικνὺς τ. Ὀ. et (3) δέδωκε τῷ τροφεῖ vulgo παιδαγωγὸν vocabant. Quare hoc intererat hunc πρεσβύτην παιδαγωγόν, quem cum duobus adulescentibus advenientem et prologum recitantem spectabant, fortasse habitu quoque παιδαγωγὸν esse agnoscebant (cf. personarum laterculus), ex poetae mente, qui numquam παιδαγωγὸν appellat, non παιδαγωγὸν sed τροφέα esse Orestis cum pondere quodam quasi controversia nata asseverari, rationibus additis, unde factum est ut quaedam iterum sed plenius narrarentur.

Haec eo consilio disputantur, ut patefiat hanc alteram partem non inepte superiori potuisse adnecti et has duas unum et totum conficere. Sed ut hoc addubitetur, illud apertum est attendenti, ambae particulae tantum abesse ut ὑπόθεσις sint Ἠλέκτρας, quae dicitur in inscriptione, ut non referant nisi argumentum prologi, ex quo cum alia sumpta sunt, velut quod πρεσβύτης dicitur παιδαγωγὸς vel τροφεὺς ex versibus 42 sq., tum quae est in utraque parte summa sententiae ex versibus 11 sqq. ὅθεν σε πατρὸς ἐκ

*18) Haec sic iungenda sunt; cf. in ὑποθέσει Pluti Aristophanis πλάττει πρεσβύτην τινὰ γεωργὸν Χρεμύλον τοὔνομα et in Euripidis Medea 53 τέκνων ὀπαδὲ πρέσβυ.

φόνων ἐγώ ποτε πρὸς σῆς ὁμαίμου καὶ κασιγνήτης λαβὼν ἤνεγκα κἀξέσωσα κἀξεθρεψάμην τοσόνδ' ἐς ἥβης, quibus addas licet etiam quibus Clytaemnestra Electram insimulasse dicitur 297 ἥτις ἐκ χερῶν κλέψασ' Ὀρέστην τῶν ἐμῶν ὑπεξέθου. Prologi autem argumentum reddi et προλογίζοντος res et personam describi si recte statuimus, consentaneum est huic parti ὑποθέσεως, quae hodie servata est, olim praemissum fuisse de more προλογίζει δὲ ὁ τροφεύς, quae excipi poterant a verbis quae nunc prima sunt ὑπόκειται ὧδε, τροφεὺς δεικνὺς τῷ Ὀρέστῃ τὰ ἐν Ἄργει. Hoc enim ordine ὑπόθεσις Antigonae, cui Aristophanis grammatici nomen inscriptum est, res refert cum scena et choro memoratis addit προλογίζει δὲ ἡ Ἀντιγόνη· ὑπόκειται δὲ τὰ πράγματα ἐπὶ τῶν Κρέοντος βασιλείων, quibus verbis ea quae in prologo inter sorores aguntur recte definita sunt.

Iam si quis quaerat, quo pertineant haec quae disseruimus, respondebimus illuc, ut recte iudicetur altera Electrae Ὑπόθεσις, quae inscribitur, in Iahnii exemplo codicis Parisini fide edita, quae iuxta illam superiorem collocata cum ea facile conferri potest. Est autem haec:

6 Ὑπόθεσις. Ὑπόκειται ὧδε· τροφεὺς δεικνὺς Ὀρέστῃ τὰ ἐν Ἄργει. μικρὸν γὰρ ὄντα αὐτὸν κλέψασα Ἠλέκτρα, ἡνίκα ὁ πατὴρ ἐσφάζετο, δέδωκε τῷ τροφεῖ, δείσασα μὴ καὶ αὐτὸν κτείνωσιν, ὁ δὲ ὑπεξέθετο αὐτὸν εἰς Φωκίδα πρὸς τὸν Στρόφιον· νῦν δὲ μετὰ εἴκοσιν ἔτη ἐπανιὼν σὺν αὐτῷ πρὸς τὸ Ἄργος δείκνυσιν αὐτῷ τὰ ἐν Ἄργει.

Ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Ἄργει. ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐξ ἐπιχωρίων παρθένων. προλογίζει δὲ ὁ παιδαγωγὸς Ὀρέστου.

Apparet eius quoque esse partes duas, quarum quae prior est (1—6), qui paulo curiosius perspexerit, intelliget ex ambabus partibus Laurentianae quam dicimus esse excerptam, eo modo ut paucis mutatis, pluribus quae sine detrimento aut cum commodo orationis abesse poterant eiectis, integram narrationem prae se ferret. His tamquam pars altera subiiciuntur illa vulgaria ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος κτλ, quae extrema sunt multarum hypothesium, velut Antigonae, quam supra tetigimus, Oedipi Colonei ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν τῇ Ἀττικῇ . . ὁ δὲ χορὸς . . προλογίζει Οἰδίπους, aliarum, et quae si forte tradita non erant facile a quovis addi poterant: cf. Ed. Schwartzii adn. ad hypothesim

Hecubae p. 9. Atqui si recte diximus hypothesim Laurentianam non hypothesim esse Electrae, verum prologi argumentum non excedere, necesse est idem cadat in hypothesim Parisinam, quae ut pleraque iisdem verbis tradit, ita nihil habet quod non expositum sit in illa. Quod si est, consectarium fit, prave illa extrema (7) ἡ σκηνὴ et quae sequuntur huic narrationi subiecta esse, quae eam praecedere oportebat, ut extrema προλογίζει δὲ ὁ παιδαγωγὸς Ὀρέστου exciperentur a principio ὑπόκειται ὧδε, τροφεὺς δεικνὺς Ὀρέστῃ τὰ ἐν Ἄργει et reliquis quae referuntur ex prologo*). In qua rerum serie quam statuimus nihil esse quod alienum sit ab harum hypothesium ratione vel Aiacis exemplo demonstratur, in cuius hypothesi expositis aliis quae ad argumentum fabulae pertinebant deinde haec adduntur: ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ἐν τῷ ναυστάθμῳ πρὸς τῇ σκηνῇ τοῦ Αἴαντος. δαιμονίως δὲ εἰσφέρει προλογίζουσαν τὴν Ἀθηνᾶν. ἀπίθανον γὰρ τὸν Αἴαντα προϊόντα εἰπεῖν περὶ τῶν αὐτῷ πεπραγμένων κτλ, latius explicata persona et materia prologi.

Quibus expositis ita rationem concludimus ut nullam fidem esse hypothesi Parisinae affirmemus, quae unde et quo modo orta sit manifestum est. Quo magis apparet parum consulte agere Sophoclis editores, in quibus Georgium Kaibelium, qui Electrae repudiata hypothesi Laurentiana, quae sola vetustam memoriam praestat, Parisinam praemittunt ex istis partibus conflatam quae se sic esse connexas aegre ferrent et horrerent, si mente uterentur. Quibus auctores simus, ut nisi istud scriptum Parisinum ut par est expellere volent, huic certe alteram et pretiosiorem hypothesim Iahnii exemplo adiectam edant: sic certe cuivis pate-

*10) Kaibelius, qui hypothesim Parisinam, quam fidissimam prae se ferre memoriam dicit, prolixa adnotatione instructam edidit, id quidem intellexit, argumenti narrationem ab hypothesi Electrae abesse, sed quae narrarentur in ea τὸ ὑποκείμενον actionis esse voluit ad exemplum ὑποθέσεως Persarum Aeschyli, ubi haec leguntur καὶ ἔστιν ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος παρὰ τῷ τάφῳ Δαρείου, ἡ δὲ ὑπόθεσις, Ξέρξης στρατευσάμενος κατὰ Ἑλλάδος καὶ πεζῇ μὲν ἐν Πλαταιαῖς νικηθείς, ναυτικῇ δ' ἐν Σαλαμῖνι, διὰ Θεσσαλίας φεύγων διεπεραιώθη εἰς τὴν Ἀσίαν. At his quidem verbis ὑπόθεσις quae proprie vocatur Persarum haud incommode referri poterat: in hypothesi Electrae summa est sententiae, a qua orditur et in qua desinit, τροφεὺς (sive παιδαγωγὸς) δεικνὺς τῷ Ὀρέστῃ τὰ ἐν Ἄργει h. e. nihil quod ultra prologum progrediatur. — Ceterum Kaibelium non fugit, in extrema parte huius hypothesis ἡ σκηνὴ eqs inesse quae antiquitus tradi non potuerint, tamen veram rationem non perspexit.

fiet quid in his prius quid posterius fuerit et utra ex altera originem ducat*).

Haec olim a nobis cum G. Kaibelio qui modo Sophoclis Electram ediderat (a. 1896) summatim per litteras communicata sunt: qui si hodie viveret, haec etiamsi fortasse non omni ex parte probaret tamen non invitus opinamur legeret. Eo enim candore erat animi, ut in iis quae suis adversarentur, si qua aliena probanda censeret, non refugeret, quae vero reprobanda, modo ne cum levitate quaesita essent, non fastidiose repudiaret. Ac nos cum haec nunc hoc loco exponimus, non id agimus ut de egregio libro detractemus, si possimus, sed ut iis quibus haec prooemia scribere solemus, non doctis hominibus sed strenuis adulescentibus ad haec studia tendentibus, etiam atque etiam commendemus eximium commentarium, quo Sophoclis fabulam ita explanavit ut exemplar quoddam iustae interpretationis Sophocleae ederet. Cuius libri singulares virtutes vehementer laudamus, quamquam sunt in quibus ab interpretis sententia nobis discedendum esse videamus. Quare ut iis quibus has scriptiones dicatas esse volumus aliquid incitamenti addamus, quo intentius ad huius libri studium se dare velint, controversias quasdam disceptabimus de quibus nobis cum Kaibelio non convenit: sunt autem exiguae ac levioris argumenti, quibus tamen fortasse aperiatur, quid in hoc genere quibusve rationibus quaeri oporteat.

Incipimus a postremis prologi versibus. Oresti enim morari et Electrae planctus audire cupienti haec paedagogus obiicit

82 *ἥκιστα. μηδὲν πρόσθεν ἢ τὰ Λοξίου*
πειρώμεθ' ἔρδειν κἀπὸ τῶνδ' ἀρχηγετεῖν
πατρὸς χέοντες λουτρά· ταῦτα γὰρ φέρει
85 *νίκην τ' ἐφ' ἡμῖν καὶ κράτος τῶν δρωμένων.*

In extrema harum sententia primus Ed. Turnerius Sophoclis tragoediis a. 1862 editis se malle dixit (*nous lirions volontiers*) ratione non addita *ταῦτα γὰρ φέρειν νίκην τε φημί κ. κ.* Eumque secutus Fridericus Blaydesius qui Sophoclis Electram solam a. 1873 ediderat hoc idem iterum proposuit, simul, quae est eius mirifica coniiciendi facilitas, complura alia quae non minus bene traditorum loco scribi potuisse affirmat: quae recensere nihil attinet. Tertius

*2) Ex hac ratione quae inter has hypothesium formas intercedit quid colligatur de universa necessitudine qua cum codice Laurentiano coniunctus sit Parisinus nunc dedita opera persequi nolumus.

Benedictus Niesius successit eadem scriptura inventa et commendata in Herm. xii 398; et is solus aperte locutus est cum contenderet prave dici *νίκην φέρειν ἐφ' ἡμῖν*, sermonis lege posci *ἡμῖν φέρειν νίκην*. Horum opinioni accessit Kaibelius, sed ita, 8 non ut de dicendi usu verba faceret, verum ex sententia probare vellet *φημὶ φέρειν* paedagogum decentius dicere ob eam causam quia hanc admonitionem proprie ad deum haec sacra praecipientem redire appareret; quam referre ad Apollinem quia paedagogus parum de dei iussu edoctus non potuisset, de se dicere quae volebat de deo. Non dubitamus quin recte scribi potuerit quod Kaibelius exempli causa proposuit, *ταῦτα γὰρ φέρει νίκην τε, φησίν* (*θεὸς* scilicet), *καὶ κράτος*. De paedagogo autem si agitur, nos ita sentimus eum magis decere simplicem orationem quam pendentem ex hoc magnifico *φημί* quod gravitatem paene ultra servilem habeat. Itaque redit controversia unde profecta est ad perquirendum sermonis morem; nam ex ea parte si nihil obstat quominus perstemus in librorum scriptura, non nos lenociniis speciosae opinationis corrumpi patiemur. Quid ergo est quod *ταῦτα φέρει νίκην ἐφ' ἡμῖν* minus recte dici affirmemus quam quod est in Odyssea xvi 375 *λαοὶ δ' οὐκέτι πάμπαν ἐφ' ἡμῖν ἦρα φέρουσιν*, quorum similia notum est saepius in carminibus Homericis legi: in quibus si sunt, quae *ἐπὶ* per tmesim a suo verbo seiunctum habent (cf. Buttmanni lexilog. i p. 143 sqq.), nec hoc in omnia cadit et si tamen, ne sic quidem non aliquid adminiculi Sophocleae orationi afferunt. Aeschylus autem scripsit in Agamemnone 1402 sq. (1448)

τίς ἂν ἐν τάχει μὴ περιώδυνος
μηδὲ δεμνιοτήρης τὸν ἀεὶ μό-
λοι φέρουσ' ἐφ' ἡμῖν
μοῖρ' ἀτέλευτον ὕπνον.

Credimus enim cum G. Hermanno aliisque doctis interpretibus scripsisse poetam ita, quando quod traditur *ἐν ἡμῖν* absonum esse apparet.

Haec simplicia sunt: impeditiora quae deinceps dissertamus, primum haec quae idem paedagogus in eodem prologo a versu 15 exponit

νῦν οὖν, Ὀρέστα καὶ σὺ φίλτατε ξένων
Πυλάδη, τί χρὴ δρᾶν ἐν τάχει βουλευτέον·
ὡς ἡμὶν ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας
ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ

μέλαινά τ' ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη.
πρὶν οὖν τιν' ἀνδρῶν ἐξοδοιπορεῖν στέγης,
ξυνάπτετον λόγοισιν· ὡς ἐνταῦθ' ἐμέν,
ἵν' οὐκέτ' ὀκνεῖν καιρὸς ἀλλ' ἔργων ἀκμή.

Hos versus, in quibus multa novavit Nauckii effrenata audacia, Kaibelius ita edidit ut librorum auctoritas praestabat: qui, quod non sine causa memoramus, duos extremos horum versuum plane ad eum modum adornavit et explicuit quem in prooemio anni 1883 (P. I p. 201) exposuimus, hoc professi, sententiam egregiam esse et poeta unice dignam, quae emendando non posset non depravari; dubii quid relinqui in forma verbi ἐμὲν quam nisi uno Callimachi exemplo stabilire non liceret. Quae quamvis aperte explanata essent, Ewaldus Bruhnius in doctis lucubrationibus Euri-
9 pideis a. 1886 editis vituperare maluit quam intelligere; qui Ludovici Langii inventum tamquam ἕρμαιον ex oblivione suscitatum identidem aliis commendavit. Qui quod scribendum proposuit

ξυνάπτετον λόγοισιν, ὡς ἐνταῦθ' ἔνι,
ἵν' οὐκέτ' ὀκνεῖν καιρός

non solum ineptum est et a poetae stilo alienum, sed pro exemplo haberi potest eius modi quo vulgo coniecturae pariuntur eorum, qui se in sententias poetarum penitus insinuare nescientes litteras rimantur et quid eae condere videantur undique temptant et perspiciunt: velut ille posito ἐμὲν falsum esse in eo quid delitesceret quaesivit: quid? nisi ἔνι: hoc ergo poetae reddatur. Sed haec in transcursu, ne Bruhnius dubitet, quid nos, ad quorum iudicium provocavit, de ista opinione sentiamus. Nam disceptare ex illis versibus non volebamus nisi undevicesimum

μέλαινά τ' ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη,

in quo versu genetivus ἄστρων ingenia interpretum exercuit. Quorum Kaibelius repudiatis aliorum conaminibus et exemplis eo denique devenit, ut εὐφρόνην sua vi primitiva positam ratus nigram astrorum hilaritatem (*die schwarze Sternenheiterkeit*) intelligi vellet. At ille nobis non videtur probasse εὐφρόνην ullum umquam poetam Graecum, cum noctem nominare vellet, propria significatione usurpasse. Nam ne in Aeschylum quidem hoc quadrat, qui cum in Agamemnone scribit 251 (264)

εὐάγγελος μέν, ὥσπερ ἡ παροιμία,
ἕως γένοιτο μητρὸς εὐφρόνης πάρα

aut 266 (279) τῆς νῦν τεκούσης φῶς τόδ' εὐφρόνης λέγω

non plus intellexit quam noctem. Sophocles autem in illo versu, si voluit originem vocis cogitari, oratione usus est, quae isti sententiae aperte refragetur, nedum eam adiuvet. Itaque εὐφρόνην dicimus esse noctem et quaerimus quam vim habeat nomini genetivus adiectus. Quod si ratiocinando efficere velimus, ita dicamus, non inepte, opinamur, et satis simpliciter, noctem dici astrorum noctem, quia habet astra, quae nisi nocte aspici non possunt: idemque cadit in eam quam poeta dicit, non ἄστρων εὐφρόνην, sed μέλαιναν ἄστρων εὐφρόνην, si quidem atram noctem eo certius astrorum noctem appellare licet, quo splendidiora habet astra. Sed in hac ratione etsi nihil est quod non cum genetivi natura multiplici admodum conciliari possit, tamen notum est plus profici exemplorum fide quam ratiocinandi probabilitate. In Euripidis Oreste Electra dicit de Oreste (225)

ὦ βοστρύχων πινῶδες ἄθλιον κάρα,
ὡς ἠγρίωσαι διὰ μακρᾶς ἀλουσίας

ad quae scholiasta adnotavit: κατὰ ἀναστροφὴν εἶπεν· οὐ γάρ ἐστι τῶν βοστρύχων τὸ κάρα, ἀλλὰ τοῦ κάρατος οἱ βόστρυχοι, plane ut Sophoclis scholiasta ad illum versum scribit ἐχρῆν οὕτως εἰπεῖν 'μελαίνης νυκτὸς τὰ ἄστρα ἐκλέλοιπεν': ne ambigas haec gemina esse exempla et Graece tam recte εὐφρόνην ἄστρων appellari quam βοστρύχων κάρα potuisse. In Odyssea VI 128 Ulixes dicitur

ἐκ πυκινῆς δ' ὕλης πτόρθον κλάσε χειρὶ παχείῃ
φύλλων, ὡς ῥύσαιτο περὶ χροῒ μήδεα φωτός

nec negari potest, πτόρθον φύλλων eandem rationem sequi quam βοστρύχων κάρα et utrobique parem esse genetivi vim et significationem.

His addimus Iliad. XV 668

τοῖσι δ' ἀπ' ὀφθαλμῶν νέφος ἀχλύος ὦσεν Ἀθήνη,

quamvis non nesciamus hunc versum cum insequentibus antiquitus ἀθετεῖσθαι, et Euripidis Phoeniss. 1491

στολίδα κροκόεσσαν ἀνεῖσα τρυφᾶς.

Quae etsi habent quod ab illis videatur distare, tamen studiosius inquirenti eadem natura genetivi apparebit, qui aut ἀναστροφὴν quam interpretes Graeci dicunt recipiebat aut affert quod adiectivi usu commodius exprimebatur*).

---

*36) In adnotatione ponimus exemplum Latinum fortasse non indignum quod in hac causa conferatur. Cicero scribit parad. 3, 1 *auri navem evertat*

Sed de genetivo Graeco amplius disserendi necessitatem imponit versus alter Electrae, qui hac parte laborat. Paedagogus enim narrato Orestis interitu haec de funere mortui nuntiat v. 757

καί νιν πυρᾷ κέαντες εὐθὺς ἐν βραχεῖ
χαλκῷ μέγιστον σῶμα δειλαίας σποδοῦ
φέρουσιν ἄνδρες Φωκέων τεταγμένοι,
ὅπως πατρῴας τύμβον ἐκλάχοι χθονός.

In quibus versibus Kaibelius *ἐκλάχοι* retinuit ad easque rationes explicuit quas in prooemio aest. a. 1887 (P. I p. 375 ss.) exsecuti sumus. De genetivo autem quem libri tradunt *δειλαίας σποδοῦ* in scholiis adnotatur *ἀντὶ αἰτιατικῆς*, quibus addidit manus altera *ἀντίπτωσις*. Eamque viam duplicem quam explicando interpretes Graeci indicant critici nostri emendando persecuti sunt. Quorum alii reponi iubent quem scholiasta postulabat accusativum, ut haec sit oratio *ἐν βραχεῖ χαλκῷ μέγιστον σῶμα, δειλαίαν σποδόν, φέρουσιν*, alii *ἀντιπτώσει* admoniti casus inter se permutantes *μεγίστου σώματος δειλὴν* (*βαιὰν*) *σποδὸν φ.* poetae restitui suaserunt. Quarum haec scriptura mutandi audacia reprobatur, illa habet quo se tueatur, eamque cum Ad. Michaelis tum Kaibelius receperunt Madvigii maxime auctoritate ducti, qui ut contrariorum ratio constaret in illis *ἐν βραχεῖ χαλκῷ μέγιστον σῶμα*, ab iis segregari et per appositionem addi oportere *δειλαίαν σποδὸν* oratione et sententia poscente contendit, idque illis ut videtur persuasit*). At tamen nostrum si sensum consulimus, nescio quid debile ac languidi hoc genus appositi affert: quod contra est si in unam orationem coeunt haec inter se opposita *ἐν βραχεῖ χαλκῷ*
11 *μέγιστον σῶμα δειλαίας σποδοῦ φέρουσιν*. Sed Madvigius negavit huius genetivi rationem reddi posse: nam *σῶμα σποδοῦ* de pondere vel multitudine cineris accipiendum non esse. Et hoc quidem ille verissime dixit neque credibile est quemquam hoc cogitasse. De ratione autem genetivi si quaeritur, ita statuimus, eum esse qui materiae significandae inserviat. Quod genus M. Hauptius

---

gubernator an paleae, in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest; idem de fin. IV 27, 76 *gubernator aeque peccat si palearum navem evertit et si auri*. Etenim auri navem dicit non, ut poculum auri, quae aurea sit, sed quae aurum habeat, ferat, vehat; item palearum navem, quae paleas. Neminem fugiet, quid similitudinis habeat hoc genus genetivi cum illis, quae supra dicimus. [Cf. *τὸ πλοῖον τῶν ταρίχων* apud Diogen. Laert. VI 1, 4.]

*24) non item S. Meklero, qui corruptum esse versum fatetur sed retinuit quod traditum est.

(opp. II 215), ut tueretur quod Ionis Chii carmini restituit *ὁ δὲ χρυσοῦ δῖνον ἔχων*, compluribus exemplis declaravit, Pindari *λεβήτεσσιν φιάλαισί τε χρυσοῦ*, Platonis *φιάλας ἅμα χρυσοῦ καὶ χαλκοῦ*, Homeri *πλῆμναι δ' ἀργύρου*. Quae multis augeri possunt, velut eiusdem Pindari est Olymp. 2, 79 *ἄνθεμα χρυσοῦ φλέγει* h. e. *χρύσεα* (de quo Boeckhius dixit ad h. l. p. 131); Odyss. XIX 226 *περόνη χρυσοῖο τέτυκτο αὐλοῖσιν διδύμοισι*; ibid. VII 87 *περὶ δὲ θριγκὸς κυάνοιο*; Apollonii Rhod. IV 973 *Λαμπετίη δ' ἐπὶ βουσὶν ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ πάλλεν ὀπηδεύουσα καλαύροπα*; ibid. 1177 *ἐν δ' ὅγε χειρὶ σκῆπτρον ἔχεν χρυσοῖο δικασπόλον*; 1190 *μείλιά τε χρυσοῖο*. Ad eorumque analogiam accedunt etiam talia, Euripidis Hercul. 1009 *δεσμὰ σειραίων βρόχων ἀνήπτομεν πρὸς κίονα*; Orest. 145 *σύριγγος ὅπως πνοὰ λεπτοῦ δόνακος φώνει μοι*; Aristophanis av. 672 *ἀλλ' ὦ κακόδαιμον ῥάμφος ὀβελίσκοιν ἔχει*; ibid. 686 *ἄνδρες ἀμαυρόβιοι . . . ὀλιγοδρανέες, πλάσματα πηλοῦ**), *σκιοειδέα φῦλ' ἀμενηνά*; Thesmophor. 778 *ἄγε δὴ πινάκων ξεστῶν δέλτοι, δέξασθε σμίλης ὁλκούς*. Ad horum igitur similitudinem putamus formata esse illa quae paedagogus dicit *ἐν βραχεῖ χαλκῷ μέγιστον σῶμα δειλαίας σποδοῦ φέρουσιν*, quibus corpus mortui dicitur quod iam non est ossium et nervorum corpus sed miserabilis cineris, utpote quod cinere constet non secus atque homines, quos ille *πλάσματα πηλοῦ* appellat, luto. Hoc autem genetivi genus apparet quam longe absit ab eo quod supra tetigimus cum *ἄστρων εὐφρόνην* defensitabamus, et hoc caveri oportet, ne quae diversa sint in unum confundantur ac nihil certi et definiti demonstretur. Contra huic generi adscribimus quod est in Antigona 114 *ὀξέα κλάζων αἰετὸς ἐς γᾶν ὑπερέπτα, λευκῆς χιόνος πτέρυγι στεγανός*. Quam enim poeta *λευκῆς χιόνος πτέρυγα* dicit, quamvis in simili dicatur, tamen genetivus non possit nisi in sensum materiae explicari*).

---

*15) [ut Pausanias scribit IV 12, 9 *ποιησάμενος ὡς ἔτυχε πηλοῦ τρίποδας ἑκατόν*, quem genetivum vim adiectivi habere patefacit quod idem paulo post *ἀναθεὶς τοὺς τρίποδας τῷ θεῷ τούτους δὴ τοὺς πηλίνους* dicit: qui ut saepe multa habet genetivi materiae exempla, ita V 13, 8 scribit *πεποίηται δὲ (βωμὸς) ἱερείων τῶν θυομένων τῷ Διὶ ἀπὸ τῆς τέφρας τῶν μηρῶν . . τέφρας γὰρ δή ἐστι καὶ τῇ Ἥρᾳ βωμός* et V 14, 8 *θεῶν πάντων βωμοί, καὶ Ἥρας, πεποιημένος τέφρας καὶ οὗτος* et alibi similiter.]

*30) Eiusdem generis sunt, nisi fallimur, Francogallica talia *sous ses bandeaux de neige; ses yeux d'eau de source*, quae quidem habent vim similitudinis sed ut non alia ratio genetivi agnoscatur.

Unam etiam quaestionem grammaticam, cui Sophoclis Electra et Electra Kaibelii occasionem dederunt, quamvis late patentem perstringemus brevi. Paedagogus enim in enarranda ficta Orestis calamitate postquam felicitatem certaminum gymnicorum extulit, transitum ad infortunium curriculi equorum describendum parat ita ut dicat

καὶ ταῦτα μὲν τοιαῦθ'· ὅταν δέ τις θεῶν
696 βλάπτῃ, δύναιτ' ἂν οὐδ' ἂν ἰσχύων φυγεῖν.

In quo versu ἰσχύων quod subiecti loco est multifariam criticorum fastidium movit, qui aut τίς quod desiderabant artificiis quibusdam inculcare versui temptaverunt, aut δύναι' ex δύναιτ' efficientes ad secundam haec pro tertia persona applicuerunt, aut ut orationi quam plenissime satisfieret pro ἰσχύων audacter ὁ σθένων reposuerunt. Horum Kaibelius nihil probavit, qui in illa forma τίς pronomen omissum vindicabat cum hoc legum formulis aut generalibus sententiis licuisse affirmaret, adhibitis exemplis, uno certo Hesiodeo τὴν μέν κεν ἐπαινέσσειε νοήσας 'id est εἴ τις νοήσειε' ut dicit Lobeckius qui eo usus est ad Sophoclis Aiacem 155

περὶ γὰρ σοῦ νῦν
εὔπιστα λέγει, καὶ πᾶς ὁ κλύων
τοῦ λέξαντος χαίρει μᾶλλον
τοῖς σοῖς ἄχεσιν καθυβρίζων.
τῶν γὰρ μεγάλων ψυχῶν ἱεὶς
155 οὐκ ἂν ἁμάρτοι· κατὰ δ' ἄν τις ἐμοῦ
τοιαῦτα λέγων οὐκ ἂν πείθοι,

ubi ἁμάρτοι diserto scholiastae testimonio constat, ἁμάρτοις quod est in codice Laurentiano correctum esse credas ne subiectum deesset Meinekii exemplo in Electrae v. 696, sed subiectum cum Kaibelius ex πᾶς quod praecedit, scholiasta ex τίς quod insequitur repetendum ducat, nos cum Lobeckio statuimus ipso participio (ἱείς) contineri. Ac licet non ignoremus, τίς, τί pronomen aliis quoque condicionibus praetermitti, cui rei Kaibelius nimis angustos fines scripsit, nos nunc nisi de participiis subiecti loco positis non agemus. Quod genus Immanuel Bekkerus, subtilissimus sermonis Graeci observator, quem miramur in hac re a Kaibelio (sed a quo non?) neglectum, compluribus exemplis, etiam pedestris orationis, declaravit (sched. Homer. II p. 41), in quibus sunt Homerica duo, Odyss. VI 294

ἔνθα δὲ πατρὸς ἐμοῦ τέμενος τεθαλυῖά τ' ἀλωή,
τόσσον ἀπὸ πτόλιος ὅσσον τε γέγωνε βοήσας

h. e. ὃς ἂν βοήσῃ; et Odyss. XXIV 107

πάντες κεκριμένοι καὶ ὁμήλικες; οὐδέ κεν ἄλλως
κρινάμενος λέξαιτο κατὰ πτόλιν ἄνδρας ἀρίστους,

h. e. *εἴ τις κρίναιτο.* His addimus Hesiodi op. 33 Kirchh.

τοῦ κε κορεσσάμενος νείκεα καὶ δῆριν ὀφέλλοι
κτήμασ' ἐπ' ἀλλοτρίοις.

Sic enim *ὀφέλλοι*, non *ὀφέλλοις*, quod sententiarum tenor respuit, Schoemanno et Kirchhoffio assentimur recte scribi ut subiectum sit in participio *κορεσσάμενος*. Aeschyli Agamemn. 69

οὔθ' ὑποκαίων
οὔθ' ὑπολείβων οὔτε δακρύων
ἀπύρων ἱερῶν
ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει,

ubi (ad 69) scholiasta adnotat *λείπει τὸ τίς**).

Theocritei autem carminis XIV cum in prooemio aest. a. 1885 (P. I 13
p. 295 s.) hanc sententiam (v. 10 sq.) stabilire conaremur

τοιοῦτος μὲν ἀεὶ τὺ φίλ' Αἰσχίνα, ἀσυχᾶ ὀξὺς
πάντ' ἐθέλων κατὰ καιρόν, ὅμως δ' εἶπον τί τὸ καινόν,

non dubitabamus, exemplo Sophocleo, ex quo nunc exorsi sumus, confirmati, quin participium esset pro subiecto, quasi diceret *ἀσυχᾶ ὀξύς, ὅστις* (sive *εἴ τις*) *πάντ' ἐθέλει κατὰ καιρόν.* Qui loqui videtur ut Cicero locutus est de offic. I 2, 5 *fortis vero dolorem summum malum iudicans aut temperans voluptatem summum bonum statuens esse nullo modo potest,* cum posset *qui iudicat* et *qui statuit.* Quae vero idem Theocritus scripsit XVII 42

θαρσήσας σφετέροισιν ἐπιτρέποι οἶκον ἅπαντα
ὁππότε κεν φιλέων βαίνῃ λέχος ἐς φιλεούσης,

ea saepe multi prave interpretati sunt quia non viderunt *φιλέων*

---

*16) Difficilius iudicatur de Aristophane, apud quem cum scriptum sit in Pluto 506

οὔκουν εἶναί φημ', εἰ παύσει ταύτην βλέψας ποθ' ὁ Πλοῦτος,
ὁδὸν ἥντιν' ἰὼν τοῖς ἀνθρώποις ἀγάθ' ἂν μείζω πορίσειεν

reponunt *ἥν τις*, quo nihil opus erat; in Ecclesiaz. 611

ἢν μεῖρακ' ἰδὼν ἐπιθυμήσῃ καὶ βούληται σκαλαθῦραι,
ἕξει τούτων ἀφελὼν δοῦναι;

exstitit qui corrigendo *ἐπιθυμῇ τις* orationem corrumperet. Sed huius poetae sermoni hoc permissum erat, ut sine participio quo subiectum significaretur tertiam personam verbi nullo indicato subiecto ponere liceret.

τις, utpote in sententia universa, non ad Ptolemaeum applicata, intelligi.

Sed quod in his exemplis nominativis participiorum accidisse vidimus ut subiecti vice fungerentur, idem ne a reliquis quidem participiorum casibus abhorret. Cum enim haec in Electra dicantur 1322

ΟΡ. σιγᾶν ἐπῄνεσ'· ὡς ἐπ' ἐξόδῳ κλύω
τῶν ἔνδοθεν χ ω ρ ο ῦ ν τ ο ς. ΗΛ. εἴσιτ' ὦ ξένοι,
ἄλλως τε καὶ φέροντες οἷ' ἂν οὔτε τις
1325 δόμων ἀπώσαιτ' οὔτ' ἂν ἡσθείη λαβών

vix dubium esse potest quin haec sint pro *χωροῦντός τινος κλύω*. At fuerunt qui, ne pronomen abesset quod intelligi diximus, *τινός* pro *κλύω* reponi suaderent ut haec esset oratio *σιγᾶν ἐπῄνεσα ὡς ἐπ' ἐξόδῳ τινὸς τῶν ἔνδοθεν χωροῦντος*. Quae licet reiectanea non sit, emendandi ratio non ea est probabilitate quae fidem faciat. Sed de his versibus plenius agendum est cogente Kaibelii sententia, qui eos parum feliciter tractasse visus est. Is quidem non negat ad *χωροῦντος* pronomen mente addi posse, quod nunc non difficilius sit, quam 610 *ὁρῶ μένος πνέουσαν*. Quamquam in hoc exemplo ambiguum est, utrum *ὁρῶ αὐτὴν μένος πνέουσαν* dici intelligas, de ea, quae modo locuta est, quamvis ante significata non sit, an universe *ὁρῶ τινα μ. πν.* Per formam enim orationis utrumque licebat, etiamsi chori mulieres certam personam indicarent, Electram, ut Leo Parmenterius in confusaneis Weilianis a. 1898 probavit. Sed ut hoc in medio relinquamus, in promptu est alterum Electrae exemplum quo certius declaratur quod volumus. Cum enim Clytaemnestra dicat (771)

14 δεινὸν τὸ τίκτειν ἐστίν· οὐδὲ γὰρ κακῶς
π ά σ χ ο ν τ ι μῖσος ὧν τέκῃ προσγίγνεται,

apertum est intelligi *οὐδ' ἄν τις κακῶς πάσχῃ*. Quare hoc nomine non est quod negemus *χωροῦντος κλύω* esse *χωροῦντός τινος κλύω*. Sed Kaibelium aliae offensiones moverunt ne hac sententia acquiesceret. Qui primum genetivus partitivus *τῶν ἔνδοθεν* veretur ut satis recte a mero participio *χωροῦντος* pendeat. At *χωροῦντος* si est quod esse vidimus *χωροῦντός τινος*, cur dubitamus de genetivo, cum praesertim hi genetivi saepe nullo pronomine adiecto poni soleant, velut, ne desint in re notissima exempla, Aristophanes scribit in Nubibus 1128 *κἂν γαμῇ ποτ' αὐτὸς ἢ τῶν ξυγγενῶν ἢ τῶν φίλων*, Aristoteles autem in rhetorica II 8 p. 1386 a 2

ὅταν ἔχῃ οὕτως ὥστ' ἀναμνησθῆναι, τοιαῦτα συμβεβηκότα αὐτῷ ἢ τῶν αὐτοῦ. Porro *ἐπ' ἐξόδῳ* suspectum habet cum participio iunctum, cui tamen necessarium erat addi, quia nisi *ἐπ' ἐξόδῳ χωροῦντος* sonitus percipi non poterat. Maxime autem haesitavit in eo quod Electra in medio versu sermonem excipit: cuius rei quae alibi rationes agnoscerentur, earum in hoc versu nullam apparere. De qua re nos ita iudicamus, ut nihil potuisse scitius a poeta institui fateamur. Ubi enim Orestes periculum a nescio quo interveniente significavit, non tacet Electra, ut ille voluit, sed fraudis faciendae causa festinat ea loqui quae sine suspicione ulla a quovis audiri poterant: hospites appellat et admonet ut iam intrare domum velint, ubi quae ferant libenter accipiantur. His ille rationibus adductus est ut hanc mutilam esse orationem sibi persuaderet. Cuius quae supplementa proposuit sententiae significandae causa, in ea inquirere supersedemus. Sit nobis satis intellexisse, illam orationem integram esse nec defectu aut ullo vitio laborare.

De participiis autem quoniam agimus iis quae per se stant nec subiecti nota aut articulo aucta sunt, non inutile erit etiam talia attulisse, quale hoc est Xenophontis quo Bekkerus usus est cum aliis eiusdem scriptoris, *μεσταὶ αἱ ὁδοὶ πορευομένων παρ' ἀλλήλους, μεστοὶ δὲ οἱ χῶροι ἐργαζομένων*, aut illud Platonis (de re p. X p. 595 c) *πολλά τοι ὀξύτερον βλεπόντων ἀμβλύτερον ὁρῶντες πρότεροι εἶδον*, sed praecipue memoranda ducimus ea quae genetivum absolutum habent nullo subiecti indicio adiecto, qualia sunt apud Aristophanem equit. 298 *νὴ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀγοραῖον κἀπιορκῶ γε βλεπόντων*, i. e. si qui viderunt, ibid. 29 *ὁτιὴ τὸ δέρμα δεφομένων ἀπέρχεται*, quod quia captum librariorum superabat *τῶν δεφομένων* scriptum est in libris (cf. Acharn. 538), apud Aristotelem poet. 7 p. 1451 a 13 *ἐν ὅσῳ μεγέθει κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἐφεξῆς γιγνομένων συμβαίνει . . μεταβάλλειν*, quae et ipsa olim prave attemptata sunt.

Haec a nobis disputata si quid utilitatis habebunt, erit fortasse qui approbet quae in libello *περὶ ὕψους* a. 1887 post Iahnium edito (c. 10, 7), itidem a. 1905 tertium edito p. 27 scripta sunt:

> *ἀλλὰ τὰς ἐξοχὰς ὡς ἂν εἴποι τις ἀριστίνδην ἐκκαθήραντες ἐπισυνέθηκαν, οὐδὲν φλοιῶδες ἢ ἄσεμνον ἢ σχολικὸν ἐγκατατάττοντες διὰ μέσου. λυμαίνεται γὰρ ταῦτα τὸ ὅλον,*

ὡσανεὶ ψύγματα ἢ ἀραιώματα ἐμποιοῦν τὰ μεγέθη συνοικονομούμενα τῇ τε πρὸς ἄλληλα σχέσει συντετειχισμένα,

in quibus nihil a codicis testimoniis discedit nisi quod *ἐμποιοῦν τὰ* positum est pro *ἐμποιοῦντα*. Contra dixerunt enim homines docti et acuti, qui editorem adeo soloecismi in hunc libellum illati accusarunt propterea quod participium articulum non haberet, vulgarem opinionem amplexi. Quae quam falsa esset Bekkerus docere poterat, idemque nobis videmur pluribus argumentis confirmasse. Nisi qui forte sic ratiocinatur, in participiis masculini generis hoc quod statuimus, non in neutrius locum habuisse*). Nos istam sententiam, qua vitia orationis cum aedificii exstruendi vitiis contenduntur, ut illa horum similitudine explanentur, satis simplicem esse nec ulla obscuritate impeditam arbitramur; interpretamur autem, ut brevissime possumus, ita: *λυμαίνεται γὰρ ταῦτα* (scil. *τὰ ἐγκατατασσόμενα διὰ μέσου* velut *φλοιῶδες* et *ἄσεμνον*) *τὸ ὅλον* (quod mediis est oppositum, ne de adverbio cogitetur; cf. *ἕν τι σῶμα* p. 22, 15) *ὡσανεὶ ψύγματα ἢ ἀραιώματα ἐμποιοῦν* (h. e. *ὃ ἐμποιεῖ* sive *ὃ ἂν ἐμποιῇ*) *τὰ μεγέθη* (*λυμαίνεται*) *συνοικονομούμενα τῇ τε πρὸς ἄλληλα σχέσει συντετειχισμένα.*

Tantum est: *περὶ δὲ τούτων ὅπως ἕκαστος αὐτὸς ἑαυτὸν πέπεικεν οὕτως ὑπολαμβανέτω.* Scr. m. Decembri a. MDCCCCIII.

*10) Articuli participiis addendi ne nimis cupidi simus fortasse haec quoque quae Platonis sunt non frustra admonebunt (de re p. x p. 611 b) *οὐ ῥᾴδιον ἀΐδιον εἶναι σύνθετόν τε ἐκ πολλῶν καὶ μὴ τῇ καλλίστῃ κεχρημένον συνθέσει*, hoc est *ὃ σύνθετόν ἐστιν καὶ μὴ κεχρημένον*.

LX. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1904/05.

Enumerationi lectionum academicarum quae prisco more prae- 3
mittere pergimus prooemia, ea saepe voluimus disserendi materiam
repetere ex disceptandis veterum scriptorum vel poetarum locis
sive parum emendate scriptis sive nondum satis ad verum intel-
lectis. In qua re ita fere versati sumus, ut quae in singulis dis-
putando efficiebamus, simul ad universum sermonis usum aut ad
poetarum scriptorumve proprietatem quandam recte aestimandam
referremus. Sic enim putabamus fieri posse ut hae scriptiones
etiam ultra eos quibus inprimis destinatae sunt iis qui in alienis
litterarum campis habitant aliquid si minus utilitatis at iucundi-
tatis afferrent; iis vero qui proprie ad haec studia tendunt eo con-
silio ut quae didicerint aliquando idonei sint alios docere ita con-
sultum voluimus, ut in disceptationibus nostris explicatis rationibus
itinera argumentandi quibus quid in hoc genere confici posset
exemplorum usu patefaceremus: quippe nihil iis utilius aut magis
necessarium esse arbitrabamur quam vias et modos cognitos habere
quibus veterum scripta tractari oporteret. Quodsi qui hodie pu-
blicae institutioni prospicere cupientes in explicandis veterum libris
res magis quam verba, sententias potius quam dicendi formas at-
tendendas et persequendas esse clamant, liceat nobis in contrarium
sensum asseverare nec res posse recte cognosci ac iudicari nisi
penitus perspecta verborum vi et natura neque sententiarum causas
et consilia aperiri nisi orationis structura, quae varia est et saepe
implicata, accuratissime expedita et explanata.

Quod quam verum sit Horatii exemplo probaturi sumus h. e.
eius poetae quo nullum magis in discipulorum scamnis teri notum
est et cuius sunt qui vix esse versiculum credant quem non per-
ennis ista et indefessa doctorum opera sua luce impertiverit. A 4
quibus nos longe discedentes ita existimamus multum abesse in
Horatii carminibus ut interpretum cura nihil reliqui fecerit aut in

eorum consensu acquiescere possis securus; ac forsitan nostra disputatio quamvis tenuis aliquid ad confirmandam eam persuasionem contulerit.

Dicemus autem de carmine libri quarti quarto, quo notum est poetam Augusto rogante Neronis Claudii Drusi minoris privignorum eius clarissimam de Vindelicis victoriam meritis laudibus extulisse. Quod ille ita instituit ut exorsus a magnificis imaginibus quibus et iuvenis animosam virtutem et hostibus terrorem ducis impetu iniectum depingeret victoriae ex repugnantibus prudenti consilio partae memoriam cum Augusti meritis coniungeret, qui insitam filiorum naturam sua cura et cultu proveheret, deinde novum sententiarum cursum ingressus, quod huic Claudio Neroni honori esset, alterius Claudii Neronis incluta facta, quibus is primus Hannibalem posse vinci edocuit, insigni laude praedicaret et ad populi Romani gloriam converteret.

Haec pars altera carminis, ut singula recte percipi possint, necesse est proponatur tota.

quid debeas, o Roma, Neronibus,
testis Metaurum flumen et Hasdrubal
devictus et pulcher fugatis
ille dies Latio tenebris

qui primus alma risit adorea,
dirus per urbes Afer ut Italas
ceu flamma per taedas vel eurus
per Siculas equitavit undas.

post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et inpio
vastata Poenorum tumultu
fana deos habuere rectos,

dixitque tandem perfidus Hannibal
cervi, luporum praeda rapacium,
sectamur ultro, quos opimus
fallere et effugere est triumphus.

gens, quae cremato fortis ab Ilio
iactata Tuscis aequoribus sacra
natosque maturosque patres
pertulit Ausonias ad urbes,

duris ut ilex tonsa bipennibus
nigrae feraci frondis in Algido,
per damna, per caedes ab ipso
ducit opes animumque ferro.
non hydra secto corpore firmior
vinci dolentem crevit in Herculem,
monstrumve submisere Colchi
maius Echioniaeve Thebae.
merses profundo, pulchrior evenit;
luctere, multa proruet integrum
cum laude victorem, geretque
proelia coniugibus loquenda.
Carthagini iam non ego nuntios
mittam superbos: occidit, occidit
spes omnis et fortuna nostri
nominis Hasdrubale interempto.
nil Claudiae non perficiunt manus,
quas et benigno numine Iuppiter
defendit et curae sagaces
expediunt per acuta belli.

In quibus sunt sane quae etiam nunc interpretis videantur indigere, sed nos dedita opera non agemus nisi de ultima carminis stropha, cui hoc contigit, ut ne hodie quidem inter enarratores conveniat, utrum haec Hannibalis verba sint orationem suam concludentis an a poeta ipso ex sua mente, ut carmini finem quaereret, subiecta. Fuerunt quidem Horatii editores tam superiore aetate quam novissimis temporibus qui hanc stropham partem esse orationis Hannibalicae nota significarent aut certe eam nulla adhibita distinctione ab ea non segregarent. Qui vero Horatium commentariis illustrandum curarunt, eorum nonnulli eandem illam opinionem verbis defendere conantur, in quibus I. C. Orellius et qui eius opus renovarunt vel secuti sunt: sed maior pars interpretum contrariam rationem amplexa extremum carminis colon ab Hannibalis oratione secernendum decrevit, si quidem post Franciscum Ritterum Horatio a. 1856 edito acriter pro ea pugnantem cum Adolfus Kiesslingius Horatium bis iam a. 1884 et 1890 ingeniose interpretatus tum L. Muellerus opere postumo a. 1900 ab amicis eius publicato in eandem sententiam ierunt eamque suis

uterque rationibus stabilire studuerunt, ac ne Martinus Hertzius quidem cum a. 1892 Horatii libros brevibus adnotatiunculis instructos ederet ab ea recedere ausus est, qui extrema verba quasi cancellis ab Hannibale seclusit hac subiecta adnotatione *v.* 73—76 *Horatio tribuunt scholiastae, Hannibali plerique editores recentiores.* Haec cum consideramus, quidquid ait Hertzius, non iniuria videmur affirmare, quae praesertim Kiesslingii apud plerosque esse auctoritas solet, hanc hodie potiorem sententiam haberi. Quam quoniam falsam esse iudicamus et poetae poematique detrimento verti, fortasse non inepti videbimur quod hanc causam agendam suscepimus, eo minus quod ne ii quidem qui probe iudicarunt id iudicium argumentis probis et ad persuadendum appositis fulcire
6 potuerunt. Velut Orellius quae scripsit 'honorificentius esse Neronibus hostem iis utpote iustum eorum virtutis aestimatorem prosperam fortunam vaticinari et magis poetam decere carmen in hoc vaticinium Hannibalis exire', etiamsi quid veri habere largiare, quid quantumve valere dicas in hac controversia nata, aut ante Orellium qui prolixa adnotatione similiter interpretatus est Christianus D. Ianius (a. 1782), ab Ottone Kellero (Epilegom. Horat. vol. II p. 314) idem fere sentiente non immerito laudatus, cum sententiarum viam ita describit *Hannibal ingenti Claudii Neronis facto in interempto Hasdrubale perculsus nunc iam nihil esse iudicat quod tam ab ipso hoc Claudio quam omnino a viris Claudia gente ortis perfici in posterum non possit, cum illi genti et dii inprimis favere et prudentia sagacitasque bellica sese tamquam ministram adiutricemque addixisse videretur* et cetera, ut mittamus quae in his et in iis quae porro exsequitur peccata sunt, quid hac verborum luxuria effecisse putandus est quod ratiocinandi necessitate convincat? Certe nec hi duo nec alii si qui eidem opinioni astipulati sunt ullum eorum argumentum attulerunt quibus rem confici posse nobis persuasum est.

Alteram autem sectam rationemque secuti, Ritterus et qui cum eo fecerunt, dici vix potest quanto opere cum verborum vim et pondus tum sententiarum conformationem et nexum negligentes vel prave interpretati a vero poetae sensu aberraverint. Ritterus quidem etiam a scholiastarum iudicio erroris sui praesidium requisivit, quibus ne Hertzius quidem nihil tribuere videtur. Quorum Porphyrio quod ad v. 73 *nihil Claudiae n. p. m.* adnotavit *haec iam poetae verba sunt, non enim adhuc Hannibalis,* item Acro qui dicitur ad

eundem versum *iam hic poeta loquitur Drusum Neronem significans* aut ad v. 75 *et curae sagaces* adscripsit *optima Augusti consilia*, haec fila esse apparet quibus suam Ritterus interpretationem consuerit, qui hac fide fretus *curas sagaces* ad Augusti sapientissimi principis consilia (coll. c. 14, 33 sqq.) referri eodemque *Iovis favorem* cum illis apte compositum affirmat, Hannibalem autem negat propter Claudium Neronem sibi ducem incognitum nec nisi una victoria clarum illa de *Claudiis manibus nihil non perficientibus* dicere potuisse. Quae si absurda sunt et ab ipsis poetae verbis respuuntur, plurisne faciemus scholiastarum intellectum, qui si quando scitu digna tradiderunt quae sine eorum testimonio cognosci non poterant laudandi sunt, sed si nihil quam poetae verba enarrant, quam fidem merebuntur praeclari grammatici qui totiens in hoc genere et tam turpiter peccarunt. Nec tamen, omissis scholiastarum ineptiis, prudentius Rittero, ne quis censeat, aut Kiesslingius iudicavit qui Hannibalem in deplorata Carthaginis calamitate subsistere voluit, reliqua verbis *benigno numine* et *curas sagaces*, iuvenis consilia (v. 24) indicari opinatus, nisi ipsius poetae ori non vindicari contendit, aut Muellerus ita ratiocinatus, Hannibalem populi Romani ingenita natura amplissimis verbis declarata ab eo, non ab unius gentis virtute quamvis magna victoria nobilitatae finem Carthaginis repetiturum fuisse. Quae omnia mera opinandi libidine ac levitate procreari apertum est, vix ut iis refutandis operae pretium feceris aut ab hac parte severius argumentandi principium ducere liceat. Quid ergo est? Ab intelligendis verbis proficiscendum est, ac nos ordimur ab extremis *et curae sagaces ex-* 7
pediunt per acuta belli. Quae suapte natura singularia sunt adeo ut ultro fidem faciant aut hic aut nusquam sententiae veritatem repertum iri. Hoc enim quaerendum est quid sibi velint aut illae *curae sagaces*, quas poterant ad Augusti consilia referre ne id quidem perspicientes *curas sagaces* non dici nisi propter *acuta belli* per quae illae *expedirent*, aut haec *acuta belli*, quae ne ipsa quidem quid valeant intelligentes grammaticam crepant et sibi placent quod genus hoc dicendi *acuta belli* multis exemplis, *subdita rerum*, *abdita belli*, declarare sciunt, illud non quaerunt, quae ratio his *acutis belli* cum istis *curis sagacibus* intercesserit. Nam si illa interpretere ancipitia belli, summa belli discrimina, quibus ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς, ut dicere solent, stare res videantur, hoc satis non est, nisi illud addideris unde sumptum hoc poeta dicat per talia *acuta belli*

curas sagaces expedivisse. Quod ut recte aestimetur, necesse est temporum memoriam adeamus. Nam hoc reminiscendum est quo rerum statu clara illa ad Metaurum flumen victoria, a qua Horatius alteram carminis partem repetiit, M. Livio C. Claudio Nerone consulibus a. u. c. 547 parta sit. Quarum rerum partem potiorem Claudius Nero sibi vindicavit, qui cum in Lucania castra Hannibalis castris opposita haberet castra sua cum optima parte copiarum insciente Hannibale reliquit eo consilio ut Hasdrubali Alpibus traiectis per Galliam provinciam pergenti et cum Hannibale fratre se coniungere tendenti obviam iret et suis copiis cum exercitu alterius consulis illam provinciam tuentis clam Hasdrubale coniunctis duplici impetu Poenorum ducem omnium rerum ignarum aggrederetur, et qui ambobus fratribus periculosissima fraude deceptis alterum devicit prius quam alter se elusum esse animadverteret. Haec qui perpetravit, is ut opinamur si quis alius umquam *curas sagaces* exhibuit idemque *per acuta belli,* h. e. duobus exercitibus Romanis in summum discrimen adductis ne a coniunctis fratribus Poenis ingenti clade prosternerentur, se suasque copias *expedivit,* quas clarissimam victoriam adeptas integras reduxit Hannibalique frustrato rursus opposuit. De his rebus quid Romani iudicaverint locuples testis est Livii narratio, ex qua facere non possumus, quo magis sensus carminis Horatiani patefiat, quin selecta quaedam afferamus. Qui condicionem rerum eo anno in quem C. Claudius Nero et M. Livius consules creati erant in hunc modum describit lib. XXVII 38, 6 *cum omnes censerent, primo quoque tempore consulibus eundum ad bellum (nam et Hasdrubali occurrendum esse descendenti ab Alpibus ne Gallos Cisalpinos neve Etruriam erectam in spem rerum novarum sollicitaret, et Hannibalem suo proprio occupandum bello, ne emergere ex Bruttiis atque obviam ire fratri posset) Livius cunctabatur —;* ibid. 40, 1 *consules diversis itineribus profecti ab urbe velut in duo pariter bella distenderant curas hominum — —* 6 *nunc duo bella in Italiam accepta, duo celeberrimi nominis duces circumstare urbem Romanam, et unum in locum totam periculi molem, omne onus incubuisse; qui eorum prior vicisset, intra paucos dies castra cum altero iuncturum.* Interceptis autem et a consule Claudio lectis Hasdrubalis litteris quas is ad Hannibalem miserat, ita Livius de Claudio c. 43, 6 *tum Claudius, non id tempus esse rei publicae ratus, quo consiliis ordinariis provinciae suae quisque finibus per exercitus suos cum hoste destinato*

ab senatu bellum gereret: audendum aliquid improvisum, inopinatum, 8
quod coeptum non minorem apud cives quam hostes terrorem faceret, perpetratum in magnam laetitiam ex magno metu verteret, litteris Hasdrubalis Romam ad senatum missis, simul et ipse patres conscriptos quid pararet edocet et ut cum in Umbria se occursurum Hasdrubal fratri scribat legionem a Capua Romam arcessant, dilectum Romae habeant, exercitum urbanum ad Narniam hosti opponant. praemissi item per agrum Larinatem, Marrucinum, Frentanum, Praetutianum, qua exercitum ducturus erat, ut omnes ex agris urbibusque commeatus paratos militi ad vescendum in viam deferrent, equos iumentaque alia producerent ut vehiculorum fessis copia esset. De hoc tam audaci consulis itinere Romae quid cogitaverint, his verbis declaratur c. 44, 2 *castra prope Hannibalem hostem relicta sine duce, cum exercitu cui detractum foret omne quod roboris, quod floris fuerit; et consulem in Lucanos ostendisse iter, cum Picenum et Galliam peteret, castra relinquentem nulla alia re tutiora quam errore hostis, qui ducem inde atque exercitus partem abesse ignoraret. quid futurum, si id palam fiat et aut insequi Neronem cum sex milibus armatorum profectum Hannibal toto exercitu velit aut castra invadere praedae relicta sine viribus, sine imperio, sine auspicio?* Porro c. 46, 4 *ad Senam castra alterius consulis erant et quingentos ferme inde passus Hasdrubal aberat. itaque cum iam appropinquaret, tectus montibus substitit Nero, ne ante noctem castra ingrederetur. silentio ingressi ab sui quisque ordinis hominibus in tentoria abducti cum summa omnium laetitia hospitaliter excipiuntur* — — et 8 *Nero non suadere modo sed summa ope orare institit, ne consilium suum quod tutum celeritas fecisset temerarium morando facerent: errore, qui non diuturnus futurus esset, velut torpentem Hannibalem nec castra sua sine duce relicta aggredi nec ad sequendum se iter intendisse. antequam se moveat deleri exercitum Hasdrubalis posse redirique in Apuliam. qui prolatando spatium hosti det, eum et illa castra prodere Hannibali et aperire in Galliam iter, ut per otium ubi velit Hasdrubali coniungatur.*

Haec ex iucundissima Livianae narrationis ubertate sparsim sublata qui attentius consideraverit, intelliget non felicius potuisse Horatium illud Claudii inceptum tam prudens quam audax et periculosum verbis exprimere quam ut *Claudias manus* dicerentur *curae sagaces per acuta belli expedivisse.* Et quoniam haec verba tam plene et accurate illi conamini accommodantur, iam non dubi-

tabimus quin poeta ea Hannibalis esse voluerit. Cui quod fuerunt qui verba *quas benigno numine Iuppiter defendit* aptari posse negarent, haec reputari volumus, primum Hannibalem loqui, sed loquentem eum inducere Horatium, qui quem supra dicentem fecit 53

gens quae cremato fortis ab Ilio
iactata Tuscis aequoribus sacra
natosque maturosque patres
pertulit Ausonias ad urbes,

ei cur ambigeret illa quoque attribuere, quibus is, quae vera est Romanorum persuasio, non sine divini numinis favore hoc acci-
9 disse fateretur ut Claudius ingens illud facinus feliciter perficeret. Quod quantopere ex intimis Romanorum sensibus promptum fuerit, idem Livius, ut hoc utamur in ea re quam multis licebat confirmare*), indicat cum scribit XXVII 33, 11 *ceterum deos immortales miseritos nominis Romani pepercisse innoxiis exercitibus, temeritatem consulum ipsorum capitibus damnasse;* in illa autem narratione ipsa cum alia tum haec affert c. 40, 2 *cum illa angeret cura quos tam propitios urbi atque imperio fore deos, ut eodem tempore utrobique res publica prospere gereretur* et 45, 8 *deos omnes deasque precabantur ut illis faustum iter felixque pugna ac matura ex hostibus victoria esset,* nec aliena quae post reportatam victoriam refert c. 51, 7.

Quodsi his quae disseruimus iam ambiguum non est quin extrema carminis verba ad Claudii de Hasdrubale victoriam conformata sint, illud superest quod quaeratur quo sensu quove consilio dicamus ea Hannibalem illarum rerum memorem pronuntiasse. In priore orationis suae parte Hannibal Romanorum gentem ita depinxit, ut ex cladibus, quas plures et graviores semper ipso duce acceperat, haud infirmiorem sed opibus ac vigore auctiorem progredi affirmaret. Quibus generatim expositis et per imagines et exempla lucide explanatis subiicit illud quod singulare est et suam magis fortunam quam Romanorum indolem attinet

Carthagini iam non ego nuntios
mittam superbos: occidit occidit
spes omnis et fortuna nostri
nominis Hasdrubale interempto.

---

*14) Quod interpretes unus ex altero ad haec verba afferunt Tacitus quae scribit ann. IV 64 *sanctos acceptosque numinibus Claudios*, ea qui suo loco suoque tenore perspexerit, videbit nihil ad nostram causam pertinere nec utilia esse nisi ut Horatii sententia confundendo diversa obscuretur.

Haec verba qui Hannibalis ultima esse volunt, velut Kiesslingius in hoc eiulatu mortis fraternae Poenum titubante lingua utpote singultu impeditum*) desinere fingit, eorum sensum non perspexerunt. Nam etsi haec quae dicit quodam modo nituntur iis quae universe de Romanorum ingenio explicuit, quibus sibi spem praecidi agnoscit victoriis etiam ex Romanis potiundi, tamen eadem singularem colorem prae se ferunt, adeo ut eorum non possit non singularis ratio exspectari: hoc enim quaeras oportet, quare se *iam non* (*nicht mehr*, scilicet ut antea, post cladem Cannensem) nuntios superbos Carthaginem missurum fateatur, quare spem omnem et fortunam nominis sui Hasdrubale mortuo occidisse affirmet; neque enim Hasdrubalis mors illorum quae fatetur causa est, sed eius mortis ipsius quae causa fuit illa quoque effecit. Ita si quis quaesierit, hoc sibi dicat necesse est, non potuisse Hannibalem in illo gemitu finem facere, ad 'quare' autem illud nostrum aperte responderi ultimo colo carminis, quod cum paene ultimo intime cohaeret ita ut *nam* particula interiecta harum sententiarum continuitatem declarare possis: *non iam victoriae nuntios Carthaginem mittam, spes omnis et fortuna nostra caede Hasdrubalis occidit: nam Claudiae manus, quae illud grande conamen, quo cum maxima Poenorum clade Hasdrubal interiit, favore Iovis et sua sagacitate adiuti perfecerunt, nihil non perficere censendae sunt.* Hunc sententiarum nexum, quamquam alienis immixtis nec suis rationibus stabilitum, sensit quidem Ianius, sensit etiam Muellerus, qui, quod paene incredibile est, tamen alteram stropham Hannibali, Horatio alteram adscribit eo scilicet errore adductus quo quae Hannibal universe de Romanorum virtute exposuit non ut oportebat segregavit ab iis quae idem de sua fortuna singulariter confessus est.

Illud addendum est hoc de Claudiis manibus non esse vaticinium, quod nonnulli vaticinium sive Hannibalis sive Horatii esse putant et ob eam causam *perficient* Horatio reddi iubent pro eo quod vetustissimi codicis testimonio firmatur *perficiunt.* Sed et haec verbi forma et reliqua quae cum ea in unam sententiam coeunt

---

*3) In adnotatione afferimus verba ipsa sine quibus hoc genus elegantiae gustari non potest; scribit igitur *mit der Schmerzensklage um den gefallenen Bruder schliesst Hannibals Rede, deren letzte Worte nur stockend wie in verhaltenem Schluchzen über die Lippen treten und ohne männlichen Wortschluss fast auseinander zu fallen scheinen.* Talia finguntur ab ingeniosis et nostrae aetatis delicatulos obstupefaciunt: a veterum sensu longissime absunt.

hoc non esse vaticinium persuadent, sed iudicium esse, quod Hannibali rerum gestarum fides, quas vidit et expertus est, excussit. Hoc autem iudicio de Claudii rebus facto quod Horatius orationem cum carmine finiri voluit, simul assecutus est, ut sententiarum ordo, quem exorsus erat ab his (37)

quid debeas, o Roma, Neronibus
testis Metaurum flumen et Hasdrubal
devictus,

sic ut par fuit eadem redeunte sententia ad finem suum deduceretur, eo gravius quod non ex poetae mente sed hostis ore hoc quod est eximiae laudis profertur. Loquitur autem et Hannibalem loquentem facit plurali numero *quid debeas Neronibus* et *nil non perficiunt Claudiae manus,* quamquam nec Horatius nec Hannibal plus quam unum C. Claudium Neronem cogitavit: prave enim quidam his ampliorem vim tribuunt ut Claudium Drusum Neronem amplectantur, cui hoc magnum est praeconium quod ipsius res praeclare gestae memoriam suscitarunt rerum quas C. Claudius Nero, unus ex maioribus eius, tumultus Hannibalici tempore cum sua fama et salute urbis perfecit. Neque erat quod Horatius ad Drusi res, quas priore carminis parte exsecutus erat, post Hannibalis orationem interiectam reverteretur ipse, quod si forte nostratibus placuerit, veterum consuetudine repudiatur.

Tantae molis erat, non condere urbem, sed unam stropham carminis Horatiani ex erroribus quibus obtecta iacebat protrahere intellectuique nostro patefacere; et erunt qui tantis ambagibus disputandi hoc 'nihil' effectum esse rideant, sed nos consolabitur Socrates qui ait *κρεῖττον γάρ που σμικρὸν εὖ ἢ πολὺ μὴ ἱκανῶς περᾶναι.* Scr. m. Aprili a. MDCCCCIV.

LXI. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1905.

Quod abhinc sex menses prooemiandi causa exemplum quale- 3 cumque interpretationis Horatianae in expendenda una carminis stropha proponere voluimus, idem reveniente hac scribendi opportunitate in Vergilio instituimus, cuius unam et alteram stropham carminis bucolici disceptabimus ita ut excussis variis criticorum rationibus veram poetae mentem explorare periclitemur. Est autem carmen octavum, de quo a. 1888 (P. I p. 387 ss.) eadem occasione nonnulla disseruimus, quae novae disputationis causa necesse erit in memoriam revocentur. Sed de Vergilio cum agamus, facere non possumus, quin quae nuper duo viri eruditi de Aeneide docte et ingeniose exsecuti sunt cum laude nostra si tanti est memoremus, quorum alter, Ricardus Heinzius, nuper collega noster, epicae poesis artem Vergilianam in sua genera distributam explanavit, alter autem, Eduardus Nordenus, Aeneidos sextum locupletissimo commentario auxit, praeter cetera sermonis naturam varie ad varietatem sensuum excultam versuumque conformationem persecutus. Haec dum respicimus eorumque studiis, quos vel his scriptionibus instituere cupimus, impense commendamus, paene pudet tenuitatis eorum quae nos nunc afferimus, sed 'non omnia possumus omnes' ait poeta, et nos qui non scribimus nisi discentibus ita sentimus etiam exiguis quaestionibus et alienis erroribus monstratis posse probos argumentandi modos edoceri.

Itaque in Damonis cantu infelix amator Nysae perfidiam conquestus saevitiam Amoris increpat cum ita dicit

42 *Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.*
Nunc scio, quid sit Amor. duris in cotibus illum
Aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes
45 *Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.*
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus. 4
47 *Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem*

Commaculare manus: crudelis tu quoque mater.
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

Non totam carminis compositionem enarramus, verum tamen illud non possumus non transeundo animadvertere, quod Ribbeckius, praeeunte quidem Hermanno, ter edito Vergilio versus intercalares pericoparum ultimos fecit, quos poeta se primos esse voluisse certissimis indiciis aperuit: vide 21. 22 et 68. 69. Sed primi illi tres versus ex imitatione Theocriti expressi, quibus communi poetarum usu inhumani mores origine non humana describuntur, non habent quod curiosius expendatur. Alteris autem quattuor (47—50) dici vix potest utrum criticorum licentia plus an socordia interpretum nocuerit: certe ne hodie quidem in quibusdam recentissimis libris recte et ut par fuit perscribuntur, et si qui enarrando tueri tradita conati sunt, ambigas an hi longius aberraverint a vero. De his igitur versibus temptabimus ecquid certi ratiocinando efficere liceat. Quos supra posuimus sicut exarati exstant in libris quorum testimonia Ribbeckius recensuit. Accedit, quo fides memoriae altius quam a librorum auctoritate repetatur, quod veteres interpretes se non aliter eos versus legisse interpretando patefaciunt. Nam cum Servius ad v. 47 adnotat *Saevus Amor docuit: quasi novam artem insinuavit et infudit. et bene fabulam omnibus notam per transitum tetigit: quis enim ignorat Medeam ab Iasone contemptam suos filios interemisse? utitur autem optima moderatione: nam nec totum Amori imputat, ne defendat parricidam, nec totum matri, ne Amorem eximat culpa; sed et illam quae paruit et illum qui coegit incusat:* idem ad v. 50 *Improbus ille puer c. t. q. m. non est superflua haec verborum iteratio: nam syllogismus est plenus, qui constat ex propositione, assumptione, conclusione,* liquide constat eum quattuor illos versus interpretari, eodem modo scriptos et distinctos, quo eos librariorum cura propagavit; neque clementius iudicanti negandum est universe grammaticum eam sententiam suo modo declarare quam quivis verba non occupata mente rimatus intelligat. Quare ne illud quidem nobis persuadetur quod H. Georgius (philol. suppl. IX 1902 p. 246) confidenter posuit, Servium ita interpretatum nescio quibus vetustioribus interpretibus aliter sentientibus repugnare; qui vir doctus, si verum fateri licet, nec de poeta, cuius paucos versus omni genere conviciorum cumulat, nec de eius interprete iuste et intelligenter iudicat: illud recte affir-

mavit, nec hunc interpretem nec ceteros alia legisse quam fide librorum tradantur. Servianae adnotationi ad v. 47 quae adiecta habet codex Lemovicensis *alii hoc loco cum Amore matrem Venerem culpari volunt: eam enim crudelem, quia permittat; illum autem improbum, quia supra modum noceat, ita ut ad parricidia quoque sui violentia plures impulerit* inepta illa quidem sunt, ut quae crudelem m a t r e m non eam intelligant quae natorum sanguine manus commaculaverit, sed quo tendant apparet; quippe ne qua pars crudelitatis ad Medeam veniret, totam maluerunt Amori et eius Veneri matri attribui. Eiusdem fili sunt quae in eodem codice ad 5 Serviana v. 50 addita leguntur, ne ipsa quidem satis dilucide exarata *multi sic distinguunt, quia et intentio loquentis ab initio sic fuit, ut a saevitia Amoris inciperet, in secundo loco accusaret et matrem, ita tamen, ut criminis eius invidiam crudelitati Amoris adscriberet et ideo geminandum 'ille': 'ille, Improbus ille puer crudelis* (49. 50)' et quae sequuntur eandem sententiam clarius prodentia. Idem enim consilium agnoscitur: cavent ne quid de Amoris saevitia detrahi videatur. Quocirca '*improbum illum puerum*' dici '*crudelem*' accipiunt, quasi *improbus*, qui ad v. 47 haud inscite '*supra modum nocere*' dicebatur (cf. Nonius p. 327, 7), non pari lance cum *crudeli* coniungeretur. Omittimus quae appendix Vergiliana Hageni nimis illa concisa ad hos versus et partim falsa exhibet. Quae supra perscripsimus ex Servii supplementis quamvis prava hoc boni habent quod intelligitur unam antiquitus traditam esse horum versuum conformationem. Quam unum Servium vidimus non improbabiliter explicare: quod alii se torserunt interpretando nec ab ineptiis abstinuerunt, facile perspicitur non sine culpa sententiae accidisse. Eam vero sententiam, quam vetustiores interpretes hariolando expedire frustra temptarunt, quid miramur recentiores machinis criticis, quas habent in promptu, ad sanam rationem, quam libens accipere noluit, violentius coegisse?

Itaque Christ. Gottl. Heynius ex quattuor istis versibus duo posteriores 'ab inepto homine esse ex margine illatos' suspicatus est, in margine positos duorum hominum opera, quorum alter 'pro suo iudicio' *crudelis mater magis an puer improbus ille?*, alter autem 'ac si iudex sederet' adscripsisset *improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.* Sic solent critici, si quaerunt, quod plerumque ne quaerunt quidem, sed si quaerunt, unde natos credamus versus quos a poeta abiudicandos censent, fingunt incredibilia:

velut hoc loco, quis non sentit quam ridicula sint ista quibus Heynius additorum versuum causam et originem sibi visus est declarare. Sed Heynius, ut saepe erat incerto ac fluctuanti iudicio, ita nunc posse quidem quattuor versuum sententias ac tenorem explicari fatetur, ad Servii fere mentem interpretatus, verum 'aliquid ieiuni et inepti lusus inesse' affirmat. Cui Phil. Wagnerus ita obloquitur ut duos versus solos

Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus: crudelis tu quoque mater

ferri posse neget propterea quod hemistichium illud extremum inane sit, nisi ex proximis vim et lucem accipiat. Quod ita verum est ut haec oratio quamvis sit absoluta pro carminis natura nimis esse angusta videatur; quo vero interpretandi genere idem quattuor versus a ieiuni lusus crimine liberare studet, cum sensum nominum *crudelis* et *improbus* in diversa trahat, de quibus Heynius rectius iudicaverat, id apertum est non posse satisfacere.

Fortius et ingeniosius eandem causam aggressus est Godofredus Hermannus, qui Bionis et Moschi carminibus a. 1849 editis, cum aequabilitatem carminum bucolicorum instaurandam duceret, duos pastorum cantus quos Vergilius hoc poemate complexus est, ita tractavit (p. 46 sqq.) ut et universe versuum numerum in am-
6 bobus exaequaret et singulas pericopas inter se compares esse eodemque se ordine ac numero excipere flagitaret. Unde hoc primum consequens erat ut stropham quae nobis est in manibus praeter intercalarem non quattuor versus sed tres tantum habere vellet. Quod ut efficeret non dubitavit tertium abiicere (49) ita ratus istam quaestionem *crudelis mater magis an puer improbus ille* ab hac oratione repudiari, in qua non ageretur nisi de saevitia Amoris, Medeae crudelitas 'modo leviter tangenda fuisset'. Quam ob rem tolerabile esse extremo versu hemistichium *crudelis tu quoque mater* affirmat, non tolerabile idem secundo, ubi nec sermonis legi satisfaceret, quae *quidem*, non *quoque* requireret, nec sententiae, si quidem nemo dubitare posset, quin crudelis esset mater quae liberos suos interfecisset. His rationibus ductus Hermannus, cum versum secundum integrasset de suo, Vergilium sibi persuasit nihil amplius scripsisse quam hoc

47 *Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem*
48 *Commaculare manus: puer, a puer improbus ille:*
50 *Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater,*

in eaque re sibi qui versus accurate consideraverint assensuros esse confidit. Neque eum haec fiducia fefellit. Primum enim M. Hauptius, homo inprimis acutus, Hermanni scripturam per duas quas fecit Vergilii editiones a. 1858 et 1873 tamquam rem certam et indubitatam propagavit; eidemque auctoritati Th. Ladewigius subscripsit qui a. 1850 Vergilii carmina scholarum in usum interpretatus his versibus ad illum modum adornatis adnotatione subiecta summam argumentationis Hermannianae his verbis complectitur: *die Bemerkung* 'crudelis tu quoque mater' (v. 48) *ist nicht nur völlig überflüssig, sondern auch ganz ungehörig, denn es ist hier nur die Rede von der Grausamkeit des Amor, der unter Anderem die Medea zum Morde ihrer Kinder getrieben habe.* Credasne hunc hominem doctum legisse versus quos ut Vergilianos ipse edidit? Nec tamen defuit qui contra diceret. G. A. Gebauerus enim in libello quem a. 1856 'de poetarum Graecorum bucolicorum inprimis Theocriti carminibus in eclogis a Vergilio adumbratis' ad Reinholdum Klotzium scripsit p. 43 versus integros esse persuadere studuit: is exorsus a diversa notione nominum *crudelis* et *improbus* a Wagnero proposita quaestionem istam ab Hermanno damnatam hanc vim habere contendit, 'utrum in matrem magis crudelitatis an in puerum magis improbitatis opprobrium conveniat', eamque dubitationem ab eo qui posuerit dissolvi censet ita ut (v. 50) 'gravior improbitatis nota puero, levior crudelitatis matri attribuatur'. Ab hac autem interpretatione, quam falsam haberi oportet, utpote a principio falso, quod supra diximus, ductam, denique auctor delabitur eo, ut tam integram sententiam quam ab Hermanno mutilatam 'frigidi' vitio teneri fateatur ob eam causam quod Medeae crudelitas, quam ne Hermannus quidem penitus removerit, praeter consilium loquentis memoretur.

Itaque relapsi sumus ad rationes Heynianas Wagnerianasque. Omittimus interim qui praeterea ab Hermanno defecerunt non tam id agentes ut illum refutarent quam ut sua inventa stabilirent. Nos ut de Hermanni coniectura iudicium faciamus nondum quaerimus, quam probabilis fuerit ista quam sequitur stropharum congruentia, quae totam eius argumentationem regit, sed ea ducente 7
quid emendando effecerit nobis diligentius perspiciendum est, qui non infitiamur versus ab Hermanno instauratos et maxime ea quae suo periculo finxit *puer, a puer improbus ille: Improbus ille puer**)

*38) Cf. bucol. v 51

per se spectanti et ad horum carminum consuetudinem referenti placere posse, ut multis placuerunt: qui vero quae ingeniosa opinatione parta sunt ad fidem traditorum, quae unica norma est, exegerit, dubitare incipiet, opinamur, quam vera sint quae speciosa esse facile concesserit. Itaque Hermannus ut tres versus essent, non quattuor, medium (49) *crudelis mater magis an puer improbus ille* delevit, quippe ab hac sententia, qua saevitia Amoris probanda erat, abhorrentem. Quem a quo aut quo consilio adiectum dicas nec Hermannus quaesivit et nobis est incompertum. Sed eo sublato quae restant ilico apparet labefactari:

47 *Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem*
48 *Commaculare manus, crudelis tu quoque mater.*
50 *Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.*

Quis enim ferat hos duos versus continuos eodem hemistichio conclusos? Quorum hemistichiorum rursus alterum cum necesse esset exstingueretur, Hermannus prius (48) removit, quod suo loco inutile esse et absurdum arguit. Atqui iam versum istum, quem suo arbitrio ex incolumi mancum reddidit, ut redintegraret supplementa adhibuit verba quae nec sententia requiruntur nec eam adiuvare possunt, sed cum geminant quae exstant inutiliter orationem cumulare videantur:

48 *puer, a puer improbus ille:*
Improbus ille puer.

Quae haec est probabilitas? praesertim cum teneatur haec non suapte sponte institui, quamvis hoc ita videri voluerit, sed aliunde urgente necessitate, quam ultro emendator paravit. Quod genus criticae, in quo alterum ab altero et tertio pendet quemadmodum anuli catenae invicem suspensi, quamquam saepe multis probatur, aegre nobis persuademus efficere posse quod fidem nanciscatur. Quid quod his artificiis quibus usus est Hermannus ne assecutus quidem videtur quod voluit? Nam quod crudelitati Medeae locum esse noluit in hac oratione, quae hoc agat ut saevitiam Amoris deploret, refragatur alterum hemistichium (50) *crudelis tu quoque mater*, quod suo loco ne per violentiam quidem se tolli passum est, ex eo ut in contrarium potius colligi oporteat, crudelitatem maternam non nihili fuisse in hac pastoris sententia. Hanc autem

---

Daphninque tuum tollemus ad astra,
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
Catullus (61, 139; 63, 61) *miser a miser.*

alteram Medeae commemorationem (50) quid credimus leviorem esse, superiorem (48) absurdam nec orationi convenientem, cum apertum sit huius hemistichii sententiam utrobique eadem contrarii ratione elatam eandem prae se ferre orationis formam. Nam supra quoque (48) interpretari licet: saevus Amor qui matrem natorum sanguine manus commaculare docuit, crudelis tu quoque mater, 8
quae commaculasti manus sanguine natorum. Quae convenientia ea est, ut a quo alterum utrum profectum sit ab eo credibile fiat utrumque additum esse. Quam ob rem sic rationem concludimus, si necesse sit tres versus esse istius coli, non quattuor, tamen eos Hermanni modis restitui non posse, sed veremur ne aequabilitatis studio inducente ingeniosissimum hominem iter huius cogitationis pastoriciae fefellerit.

Ab Hermanno deflexit O. Ribbeckius quoque, qui eius rationes, in quibus refellendis operam non sumpsit, 'non plane satisfacere' professus, aliam restituendi viam ingressus est. Crudelitatem enim Medeae, quae filios suos interemisset, his versibus ita tantum commemorari apte potuisse censuit, ut multo maior esse Amoris saevitia diceretur, qui illi auctor eius crudelitatis fuisset. Non negamus hanc quoque sententiam in miseri pastoris cantu exprimi potuisse, sed eam praestabiliorem esse aliis aut unice veram et necessariam non est quod concedatur. Verum et illa quoniam abest a verbis quae scripta sunt in libris, videamus necesse est quonam emendandi modo eam e versibus traditis elicuerit. Sic igitur Ribbeckius hanc stropham scribi voluit

47 *Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem*
48 *Commaculare manus, crudelis! tu quoque, mater,*
49 *Crudelis mater, magis at puer improbus ille,*

versu quarto (50) *Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater* ab ea secluso et in marginem reiecto. Eam scripturam postquam primum in Fleckeiseni annalibus a. 1857 (LXXV) p. 78 sq. memoravit et paucis stabilivit, tribus editionibus Vergilianis, etiam postrema a. 1894, nulla dubitatione interveniente servavit securus. Adeo sua cuique etiam in re critica placere solent. Nam primum qua ratione enuntiata distinguendo separavit, eam vix credibile est ab homine docto et acuto potuisse proponi ac probari, exclamatione (*crudelis!*) ei sententiae adiecta quae incipit a verbis *saevus Amor docuit*, et altera nata per ambages molesta *tu quoque, mater, Crudelis mater*. Quae eo magis reiectanea sunt, quia ipsa orationis

conformatio paene cogere videtur ut haec in hunc modum recitemus *Commaculare manus: crudelis tu quoque mater. Crudelis mater*; eaque apparet non minus recte, immo melius etiam cum ea versus forma coniungi quam Ribbeckius emendando suscitavit:

Crudelis mater, magis at puer improbus ille.

Sed haec sententia ipsa, quam una littera mutata (*at* pro *an*) recuperavit, quaerendum est quam probabiliter restituta videatur. Nihil dicimus de orationis forma, quamquam habet quod addubitetur, sed illud attendi volumus, hoc versu ita scripto necessarie consequi, ut quartus qui est in libris *Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater* locum suum obtinere nequeat. Nam hoc ambiguum non est, hos duos versus

Crudelis mater, magis at puer improbus ille.
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater

se excipientes ferri non posse. Neque hoc fugit Ribbeckium, qui eorum alterum indicta causa condemnatum exsulare iussit. En
9 iterum hoc emendandi genus, cuius sublestam fidem supra notavimus. Nihil quaeritur unde natum dicamus versum quem falso additum exstinguimus, neque num quid forte in ipso prave scriptum sit, quod interpolatoris manum prodat, sed quia cum eo versu quem ipsi correximus et ipsius correctionis causa coniungi non potest proscribimus innocentem. Nonne magis consentaneum fuerit, in contrariam partem ex eo qui insequitur versu colligere veram non esse quae priori adhibita est emendatio? Qui versus duo, si non detorquentur a sententia sua, eam iuncturam ineunt, ut quae est in altero interrogatio, ad eam alter nescio quid habeat responsi:

Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

Ribbeckio sponsor non defuit. Ladewigius enim, olim Hermanni assecla, a. 1866 iterum recognitis Vergilii carminibus Ribbeckii scripturam puram putam exprimendam curavit, et Ribbeckius laetatus est (prol. p. 363) se tandem Ladewico, ut scribit, persuasisse.

Fuerunt etiam Vergilii editores qui illius strophae versus quattuor defendere conarentur, sed ii cum criticorum offensiones sive mutata versuum stropharumque serie sive intentius explicando tollere studerent, poetae plus damni quam salutis attulisse nobis videntur. Velut hunc ordinem a C. Schapero inventum ac nescio per quot editiones propagatum

43 *Nunc scio, quid sit Amor; duris in cotibus illum*
44 *Aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes*
45 *Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.*
46 *Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.*
52 *Nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae*
Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
Pinguia corticibus sudent electra myricae,
55 *Certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus,*
56 *Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.*
57 *Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.*
47 *Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem*
Commaculare manus, crudelis tu quoque, mater! —
49 *Crudelis mater magis an puer improbus ille?*
51 *Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.*
50 *Improbus ille puer, crudelis tu quoque, mater* —
58 *Omnia vel medium fiant mare. vivite silvae* eqs

quis qui vel obiter perceperit, non intelliget stropham a suo naturali tenore temere secerni, versus vel intime coniunctos violenter separari et omnia in sententias cogi huius carminis ingenio vehementer repugnantes? Quae qui reputaverit (neque enim opus est haec singillatim comprobari), nonne fatebitur hunc emendatorem nullo versu dempto poetam peius depravasse quam ullum eorum criticorum quorum opinationes refutavimus?

Quattuor versus servavit et suo loco positos retinuit W. H. Kolsterus, qui Lipsiae a. 1882 Vergilii eclogas instaurata stropharum concinnitate cum commentario edidit; sed is, si recte intelligimus hoc confusum loquendi genus, nec criticorum rationes probe perspexit aut quibus debebat argumentis reprobavit, et ipse interpretando effecit quod immane quantum ab horum versuum sensu abhorret. Summam enim sententiae inesse voluit in Amoris et Medeae crudelitate contendenda (p. 169), eamque Damonem, quem dicit, hoc fere modo, si reddere possumus, explicare, ut primum materni facinoris quod significavit horrore percussus in eam orationem erumperet, ad quam extremam evasurus erat, *crudelis tu quoque mater;* deinde Medeam quidem innatae crudelitatis argueret, quae pudicitiam honorem patrem fratremque et patriam amoris causa prodidisset, maioris vero crudelitatis Amorem quippe docentem cuncta quae illa perpetrasset, ut tamen ipsa ne sic quidem crudelitatis expers haberi posset (p. 170). Quod vero postremo

in idem quod antea posuit hemistichium *crudelis tu quoque mater* rursus recurrit, quod plerisque offensioni fuit, nihil miri esse, si quis Vergilii quod eo tempore fuerit 'emphaseos' studium etiam v. 1—4 conspicuum consideraverit: nimirum interpretis inscitia convertitur in culpam poetae. Haec qui rettulerit ad verba scripta in libris, ultro perspiciet quam longe haec absint aut a verborum vi simplicissima aut a sententiarum forma et iunctura, denique, quod summum erat, a cantus consilio.

Restant duo viri docti, quorum sententias afferre iuvat, primum Francisci Skutschii, qui in iucundissimo libello quem de Vergilii adulescentia edidit (1901) cum negaret Culicis versum 202

Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu

ex nostris versibus expressum esse, hos in hunc modum perscripsit (p. 128)

Saevos Amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus. crudelis tu quoque, mater,
Crudelis mater, magis a t *puer improbus ille,*
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater,

spreta, ut par erat, Ribbeckii distinctione, de qua supra scripsimus, sed cum eodem recepta *at* particula pro *an*, extremo vero versu, quem Ribbeckius simul cum correcto priore sustulit, servato. Dubitamus quam recte hoc instituerit: ista enim asseveratio quam emendandi opera peperit *crudelis mater, magis at puer improbus ille* nec sibi addi quicquam desiderabat et quae insequitur sententiam vix recipiebat, quae ab illa in summa similitudine non leviter discreta est, quasi ex alio quo tenore deprompta. Pergimus igitur versu extremo teste uti quo teste confirmetur priorem prave correctum esse, ac fortasse nobis continget, ut viro acuto persuadeamus utrumque sanum ac salvum esse, modo recte enarretur.

In alteram partem, si quid sentimus, Georgius Thilo peccavit, a. 1886 Vergilio egregia arte edito cum tribus versibus ex librorum memoria perscriptis quartum (50) adderet sed uncis seclusum. Utinam delevisset versum quem alienum a poeta habebat: nam nunc legitur quamvis cancellis circumscriptus et fallit legentem
11 ut non sentiat quam grave incommodum accipiat oratio hoc versu inducto. An non manifestum est non potuisse subsisti in hac interrogatione

Crudelis mater magis, an puer improbus ille?

sed certe, ne ratio canentis excideret, aliquid responsi exspectandum

fuisse, quo adimeretur quae est in interrogando ambiguitas? Cumque adsit versus egregie factus ad sententiam absolvendam, eum delemus, quem si nescio quis, non poeta, addidisset, laudandus esset, culpandus autem poeta, qui hanc aream sine calce reliquisset.

Peragravimus itinere molesto magis quam iucundo criticorum commenta et interpretum lusus quibus paucos versus Vergilianos si qui alii innocentissimos tot per annos infestarunt. Itaque iam nostrum est bono poetae restituere sua, si possumus, ac firmiter vindicare toties ab eo abiudicata et emendando enarrando variis modis depravata ac paene pessumdata.

Itaque pastor infelix, cuius carmen Damon recitat, cum vim et violentiam Amoris conqueritur, qua iam ipse periturus est, exemplum petit a Medeae ira laesi amoris causa in viscera sua furentis, quam Ennius dixit *animo aegro amore saevo sauciam* et de qua Propertius scribit (III 19, 17)

Nam quid Medeae referam quo tempore matris
Iram natorum caede piavit amor,

aut Ovidius (rem. am. 59) *si me audisset . . .*

Nec dolor armasset contra sua viscera matrem,

uterque Medeae caedem natorum a dolore contempti amoris repetentes. Itaque non inepte pastor hoc exemplo utitur, ut saevitiam Amoris declaret, cum scite oratione conformata dicit

Saevus) Amor docuit natorum sanguine matrem*
Commaculare manus.

Quid enim saevius esse potest quam quod matrem adducat ut sua manu natos interficiat? Sed huic sententiae addit alteram *crudelis tu quoque mater*, ea forma usus quae perfamiliaris est poetis qui saepe alloquuntur et appellant eos de quibus dicturi erant, velut Vergilius ipse Aen. VII 685

Hernica saxa colunt, quos dives Anagnia pascit,
Quos, Amasene pater.

Id genus late patet et nonnumquam perelegans est et sua sponte nasci videtur, alibi mera metri difficultate creari dicas. Quod qui recte perpenderit, cavebit ne nimiam vim tribuat isti pastoris orationi: *crudelis tu quoque mater*. Ceterum ea exclamatio non est quam fuit qui exclamationem esse diceret, sed est affirmatio,

---

*23) Hinc Lygdamus sumpsit (4, 65)
Saevus Amor docuit validos temptare labores,
Saevus Amor docuit verbera saeva pati.

compar ei quae praecedit. Licet enim duarum sententiarum rationem ita explanare latius (cf. p. 532): saevus fuit Amor qui docuit matrem commaculare manus natorum sanguine, saeva sive
12 crudelis (nam nihil interest) mater quoque quae perpetravit quod ille docuit. Crudelitatis autem maternae mentionem haberi non est quod vituperetur: veritas ipsa poscebat hoc non praeteriri. Quantacumque enim fuerit saevitia Amoris, qui coegit scelerosam caedem facere, aliqua pars crudelitatis fieri non potuit quin rediret etiam ad matrem quae eam exsecuta est quamvis coacta. Sed pastor hoc, quod monente rei natura oblivisci non debebat, ea oratione attulit, quae ultro indicaret matris crudelitatem quanto tenuiorem esse vellet saevitia Amoris, quod erat principium unde nata sunt omnia. Saevus Amor qui hoc docuit, crudelis mater quoque, quae perfecit. Quis non sentit quid quantumve intercedat? Quare non recte affirmarunt istam Medeae commemorationem ab hoc cantu procul habendam esse et evertere pastoris consilium, qui hoc tantum ageret ut Amoris saevitiam cum querimonia extolleret. Extulit ut voluit, neque eam minuit propterea quod Medeae quoque suum impertivit.

Quodsi hoc hemistichium ex mente canentis iure tuiti sumus, hoc indicio intelligimus poetam noluisse nullam esse Medeae in hoc cantu partem. Neque mirabimur quod insequitur

Crudelis mater magis an puer improbus ille?

Nam si saevus fuit Amor qui Medeam coegit liberos interficere, crudelis Medea quoque quae interfecit, non temere oritur quaestio utrum eorum crudeliorem habere oporteat. Quam quaestionem apertum est redire ad alteram, uter potius culpandus sit, qui auctor fuerit sceleris perpetrati an is qui perfecit quod alter suasit; et notum est veteres in hoc genus quaestionum mira quadam subtilitate inquisivisse, velut quod Pericles dicitur cum Protagora quaesivisse apud Plutarchum in vita Periclis c. 36, 3*).

Itaque pastor inita cogitatione trahente ad hanc interrogationem labitur qua semet interrogat quod ab alio ex eo quaeri poterat, et incipit a matre quae causa huius interrogationis fuit:

Crudelis mater magis an puer) improbus ille?*

---

*31) [Similes inquirendae culpae argutias prae se ferunt Antiphontis tetralogiarum altera et narrationes quae sunt apud Pausaniam v 27, 10 et vi 11, 6.]

*35) Amorem puerum dicebat v. 45; et saepe ita poetae amatorii, velut Ovidius rem. am. 149

Reliquus est versus ultimus

Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater,

quo videtur responderi interroganti. Sed eius responsi quae ratio sit necesse est accuratius explicetur, quam neminem criticorum putamus recte et ut decebat intellexisse. Repeti superiorem sententiam aiunt et hanc iterationem aut excusandam aut exstirpandam esse instant. Et tamen hoc primum animadverti par erat, pastorem non ad id quod proprium est huius interrogationis respondere: neque enim diiudicat istam controversiam, utri pars maior crudelitatis assignanda sit; sed responsi loco principalem refert sententiam, qua suum utrique parti tribuit ante, quasi dicat eam distributionem ratam esse neque ultra quaeri debere. Ergo 13 noluit de ista quam fecit quaestione decerni, et interrogationem interposuit, non ut ad eam responderet, sed ut ea media commode summam sententiae reponeret in eaque quae sola satisfaceret orationem cum vi finiret.

Subtili igitur ratione Vergilius hoc colon exaedificavit: quae si recte explicuimus, apparebit extremus versus tantum abesse ut supervacaneus aut prava iteratione vituperabilis sit, ut necessario sententiam et orationem claudat, interrogationem autem istam, quae maxime offensioni fuit, ut recte ex superioribus prodeat, ita perapte transitum parare ad extrema, denique unam eandemque canentis cogitationem a principio ad finem pertinere quattuorque versus suo ordine firmiter constringere. Quodsi quis tamen haec ferenda esse negaverit, non emendando temptare tradita debebit, sed reprehendere exemplum a poeta selectum quippe quod reliqua ex se pepererit, sed eo exemplo vidimus nullum inveniri efficacius potuisse ad eam rem quam poeta agebat.

Superest ut quam rationem satis artificiosam intercedere inter istam interrogationem et responsum voluimus, ne quid nos inauditi narrare videamur, exemplis quibusdam similiter formatae orationis confirmemus. Callimachus scribit IV 79

ἡ δ' ὑποδινηθεῖσα χοροῦ ἀπεπαύσατο νύμφη
αὐτόχθων Μελίη καὶ ὑπόχλοον ἔσχε παρειὴν
ἥλικος ἀσθμαίνουσα περὶ δρυός, ὡς ἴδε χαίτην

Adfluit incautis insidiosus Amor.
Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes.

ibid. 168

Sic venit ille puer, sic puer ille manet.

σειομένην Ἑλικῶνος. ἐμαὶ θεαί, εἴπατε, Μοῦσαι,
ἦ ῥ' ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες ἡνίκα Νύμφαι;
'Νύμφαι μὲν χαίρουσιν, ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει,
Νύμφαι δ' αὖ κλαίουσιν, ὅτε δρυσὶν οὐκέτι φύλλα.'

Quod nympha passa esse dicitur, interrogationis causam praebuit ἦ ῥ' ἐτεὸν ἐγένοντο τότε δρύες ἡνίκα νύμφαι; sed ad eam non respondetur, verum hac intercedente universe quae sit nymphis cum quercubus consociatio indicatur. In Euripidis tragoedia Hercule et Megara inter se sermocinantibus (558)

ΗΡ. οὕτω δ' ἀπόντες ἐσπανίζομεν φίλων;
ΜΕ. φίλοι γάρ εἰσιν ἀνδρὶ δυστυχεῖ τίνες;
ΗΡ. μάχας δὲ Μινυῶν ἃς ἔτλην ἀπέπτυσαν;
ΜΕ. ἄφιλον, ἵν' αὖθίς σοι λέγω, τὸ δυστυχές,

Megara non respondet Herculi de Minyis interroganti, sed repetit quam antea extulit sententiam universam, qua simul isti quaestioni satisfacit. Ne quis haec poetis tantum licere dicat, legimus in actis Francogallicis nescio quem auctorem haec de imperatricis Fridericae morbo et excessu narrantem: *elle espérait ainsi, par l'excès du mal, user sa force de résistance, user sa vitalité — et en finir. En vain! Le professeur Renvers, le grand médecin allemand, appelé auprès de l'auguste malade, l'arracha de force à ce suicide pitoyable entre tous. De force la pauvre martyre fut enlevée de ce lit qu'on n'avait pas approché depuis sa défense, et, après l'avoir fortifiée et soignée, on obtint de la faire souffrir*
14 *encore quelques mois de plus.* *Lui a-t-on rendu un service? On a fait son devoir.* Interrogatio subiecta re relata continebatur: respondetur autem non ad hanc, sed respondetur non minus vere et ad rem narratam accommodate.

Tantum de hoc colo, et ridebunt si qui haec legent tantum strepitus factum de re nihili. Sed priusquam ad iudicandam stropharum condicionem accedamus quae has controversias movit, duae etiam quae insequuntur huius cantus pericopae obiter inspiciendae sunt.

51 *Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.*
Nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae
Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
Pinguia corticibus sudent electra myricae,
Certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.

Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
58 *Omnia vel medium fiant mare. vivite silvae:*
Praeceps aerii specula de montis in undas
60 *Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.*
Desine Maenalios, iam desine, tibia, versus.

Non haec interpretabimur omnia: unum versum 58 tractabimus brevi, quem parum curare solent interpretes. Quod pastor pluribus exemplis declaravit ante, se velle cuncta mutari in contrarium, idem hoc versu complectitur

Omnia vel medium fiant mare. vivite silvae.

Fiat an *fiant* rectius scribatur, non facile est diiudicatu et antiquitus discedebant: neutrum usu poetarum respui exempla docent a M. Rothsteinio nostro congesta ad Propertii II 14, 24: itaque teneamus quae potiores codices tuentur. Sententiam verborum Ribbeckius in utraque editione Vergiliana ita reddidit *mare mihi instar omnium fiat:* in quo non possumus non mirari tam sententiam ipsam parum in hoc tenore appositam, quam ex his verbis esse repetitam: non minus mirum, quod Ribbeckius afferendum duxit, fuisse qui haec ex Theocriti verbis πάντα δ' ἔναλλα γένοιτο, scilicet a Vergilio prave acceptis (ἔναλλα voce cum ἐνάλια confusa) ducta esse opinaretur. Et tamen sententia quae esset similia multa testari poterant quale hoc est Propertii II 16, 46

Haec videam rapidas in vanum ferre procellas,
Quae tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua

et quae ad eum versum Rothsteinius adscripsit, qui ne nostrum quidem versum praetermisit. Sed nunc non simpliciter dicitur *omnia mare fiant*, sed ita *Omnia vel medium fiant mare*, et id quidem erat unum fortasse non indignum quod verbo declararetur. Nam *medium mare* quod dicitur non proprie dicitur, sed exaggerandi causa epitheton adiectum est, cuius vim nos nostro quoque sermone sentimus, velut si dicimus „*mag alles mitten zum Meere werden* vel *mitten im Meere versinken*"; eumque sensum adauget superaddita *vel* particula, quam saepe eo consilio superlativis addi 15
constat.*) Sed quod de *medii* usu diximus, non ignotum est interpretibus, sunt tamen quaedam insolentia et quae non ab omnibus satis recte intelligi soleant. Quare fortasse non inepti existimabimur, quod selecta quaedam eius generis exempla proponimus.

*34) [Cf. Plauti Epid. 679 *dum sine me quaeras, quaeras mea causa vel medio in mari.* Stich. 619 *Si arte poteris accubare.* G. *Vel inter cuneos ferreos.*]

Plurima habet Vergilius, cuius interpres Servius saepe se vexat interpretando, cum aut *manifestum* aut *legitimum* significare aut nescio quam similem vim habere scribit. Sed quod in medio quo loco sive in medio quo tempore esse aut fieri dicitur, id apparet oppositum esse extremae alicui parti sive loci sive temporis; et inde nascitur hoc quod eam vocem exaggerandi consilio inservire diximus. Sed videamus exempla: bucol. 10, 45 *Martis in armis Tela inter media . . detinet;* ibid. 65 *nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus;* georg. I 230 *et ad medias sementem extende pruinas;* Aen. VI 339 *exciderat puppi mediis effusus in undis;* 342 *medioque sub aequore mersit,* ubi ambigimus sitne Nordeno assentiendum in omnibus; cf. III 104; 270; X 763; VII 810 *vel mare per medium . . . Ferret iter;* III 149 *mediisque ex ignibus urbis Extuleram;* VII 296 *medias acies mediosque per ignes Invenere viam;* cf. XI 787; XII 201 *tango aras mediosque ignis et numina testor;* IV 620 *mediaque inhumatus arena;* XI 815 *mediis se immiscuit armis;* VII 372 *Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae;* cf. Ἄργεϊ μέσσῳ Il. VI 224; IV 204 *ante aras media inter numina divum;* cf. georg. III 486; IV 663 *illam media inter talia . . conlapsam;* IV 277 *mortalis visus medio sermone reliquit;* cf. IX 654 et IV 388; IV 76 *mediaque in voce resistit;* III 308 *deriguit visu in medio;* II 67 *conspectu in medio turbatus . . constitit;* XII 213 *conspectu in medio procerum;* II 533 *in media iam morte tenetur;* XI 648 *medias inter caedes exsultat;* VII 577 *medioque in crimine caedis et igni;* XII 469 *media inter lora . . excutit;* XII 337 *media inter proelia;* IX 546 *ubi se Turni media inter milia vidit;* cf. X 760; II 665 *ut mediis hostem in penetralibus . . cernam,* sed II 508 *vidit . . et medium in penetralibus hostem;* cf. V 288. 290. Catulli est (64, 149) *in medio versantem turbine leti.* Propertii I 11, 1 *te mediis cessantem . . Baiis,* quae veremur ne non recte Rothsteinius interpretetur; vituperationis enim quidquid est in solis *Baiis* est, et id augetur addita *mediis* voce; idem II 1, 70 *et a medio pectore pellet avem.* Ovidius cum multa tum illud posuit (rem. am. 491) *media torreberis Aetna.* Ciceronis talia sunt *in media re publica versatus; e medio est iure civili; a media philosophia repetitum; in media Graecia Diagondas Thebanus lege sustulit; in media stultitia; e medio cursu . . revocare.* Apuleio vel haec placuerunt *e mediis lanii manibus ereptus; praedam mediis manibus omittimus; mediis Orci manibus retractus;*

mediis Orci faucibus .. evasi; de mediis ungulis .. erepta. Claudianus scribit (XVII 9) *in mediis consul quaesitus aratris;* (VIII 270) *te totius medio telluris in ore.* Macrobius (Sat. II 8, 7) *in mediis voluptatum inlecebris;* (Sat. VII 1, 16) *in mediis saltare conviviis.* Sed sit hoc satis exemplorum ad significandam quae est huius usus proprietatem, quam eandem Graecis familiarem fuisse nemo nescit.

In Vergilii carmine sequuntur, ut diximus, haec 16

58 *vivite silvae:*
Praeceps aerii specula de montis in undas
Deferar; extremum hoc munus morientis habeto,

in quibus Hermannus primus, quia quattuor versus congruentiae causa, non tres, requirebat, et quia nimis nuda essent illa *Vivite silvae*, unum versum similis sententiae intercidisse coniectavit, cuius exemplum dedit *Vivite Maenaliae quondam mea pascua valles;* eumque secuti plerique defectum agnoverunt, Ribbeckius ita, ut aliud exemplum desiderati versiculi fingeret *Vive tuo felix digno cum coniuge, Nysa,* hoc ideo ne deesset quo referri posset quod est in proximo versu *munus m. habeto.* Sed nec hoc desiderabatur in carmine quod non agebat nisi de Nysae perfidia, et tota sententia quam addi vult in hunc locum nisi fallimur non quadrat. Facilius Hermanni supplementum feretur, cui concedi oportet, illa *vivite silvae* haud inscite potuisse gemina valedicendi formula amplificari. Sed hoc flagitari non contendet, nisi cum Hermanno quattuor versus pro tribus poposcerit. Nam Theocriti versus quibus Hermannus utitur (I 115):

ὦ λύκοι, ὦ θῶες, ὦ ἀν' ὤρεα φωλάδες ἄρκτοι,
χαίρεθ'· ὁ βουκόλος ὔμμιν ἐγὼ Δάφνις οὐκέτ' ἀν' ὕλαν,
οὐκέτ' ἀνὰ δρυμώς, οὐκ ἄλσεα· χαῖρ' Ἀρέθοισα
καὶ ποταμοί, τοὶ χεῖτε καλὸν κατὰ Δωρίδος ὕδωρ

quid habent similitudinis cum Vergilianis, ut hi ex illis potissimum expressi videantur? Quo exemplo si quid docetur, hoc doceri arbitramur, quemadmodum haec *ὦ λύκοι .. χαίρεθ'· ὁ βουκόλος ὔμμιν ἐγὼ Δάφνις οὐκέτ' ἀν' ὕλαν* in unam sententiam coeunt, sic apud Vergilium duas partes unius esse orationis *vivite silvae:* (*ego*) *praeceps de montis specula deferar in undas.*

Iam nihil impedit, quominus instauratam in duobus cantibus stropharum aequalitatem perspiciamus. Tres igitur ultimae strophae cantus prioris, si librorum memoriam consulimus, prima (46—50) et tertia (57—61) quinque, media (51—56) sex versus habent

(5+6+5); eaedem ex Hermanni rationibus primae uno versu (49) detracto, adiecto item uno (59) tertiae prima quattuor, secunda et tertia sex versus exhibent (4+6+6). Quae si contendimus cum alterius cantus strophis item tribus ultimis, intelligitur, numerorum consensum nullum esse in libris, sed ne Hermannum quidem suae rationi convenientes eas offendisse, quoniam se excipiunt tres strophae versibus sex (94—99), quattuor (100—103), sex (104—109) compositae (6+4+6), quae fuerunt in cantu priore versibus 4+6+6. Quid igitur instituit? Argumentis intrinsecus petitis probatum ivit stropham quam libri secundam exhibent (100—103) suo loco motam et primae (94—99) esse anteponendam: quo facto exsistunt numeri versuum (6+4+6) quos consensus desiderabat.

Atqui quam fidem, quaesumus, habere licet stropharum concinnitati, quae nisi ex utraque parte machina admota restitui non potuit. Quae emendandi conamina quamquam Hermannus suis
17 rationibus niti voluit, tamen quis non videt in hac novandi opera summam ducem fuisse eam quae opinatione ficta est aequalis et congruens duorum cantuum compositio. At nos dum nulla stropharum ratione habita sententias interpretamur nulla resecandi aut addendi versus necessitas vexavit; nec magis stropharum ordo mutatus in altera parte severius enarrata oratione habet quo se tueatur: id quod nobis videmur satis probasse in eo quod diximus prooemio a. 1888 (P. I p. 395 ss.) in quo extremam partem inde a v. 94 a criticis et interpretibus male habitam interpretandi cura vindicare studuimus. In quo quod stropham ultimam, in qua et ipse Hermannus unum versum, alium Hauptius transposuit, recte scriptam et in duas personas poscente sententia distributam esse exposuimus (p. 398 s.)

105 *Aspice, corripuit tremulis altaria flammis*
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit!
Nescio quid certe est, et Hylax in limine latrat.
Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

universe quidem nobis assensus est Ribbeckius, sed quod versus istos in Vergilio suo a. 1894 in hunc modum edendos curavit

AM. Aspice: corripuit tremulis altaria flammis
sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. DOM. bonum sit!
nescio quid certest, et Hylas in limine latrat.
credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

dupliciter peccavit, quod personarum indicia interposuit, quae huius carminis natura aspernatur, de quo genere nuper in prooemio a. 1902 (supra p. 446) disseruimus similem perversitatem in Ciceronis de re publica libris admissam redarguentes, et quod *bonum sit* (*sey's zum besten,* ait Goethius), quod non poterat nisi Amaryllidis esse, h. e. eius quae prima augurium*) conspexerat, *Dominae* adscripsit. Quod utrumque caveramus verbis l. c. (p. 398 s.), cum ita scriberemus 'poeta, quamquam carminis ratio vetabat loquentem indicari, oratione scite instituta cavit, ne consilium suum attente legentem falleret', et ibidem de Amaryllide, 'quae cum ex cinere, quem auferre iussa erat, dum moratur, sua sponte flammam nascentem aspiceret, id non potuit non ominis loco habere, quod ut bonum et faustum sit causa dominae suis votis precatur ancilla'.

Sed idem qui quae ab aliis didicerat incredibilem in modum depravavit, ne nihil ipse egisse videretur, nos vituperavit quod veterum interpretum testimonia praetermisissemus, quorum Servius Daniel. ad v. 105 adscribit *Aspice: hoc ab alia dici debet,* schol. Bern. p. 826 Hag. *Aspice: forsitan ancilla dicit.* Sed haec testimonia exstabant semper, nec tamen iis quisquam, ne Ribbeckius quidem ipse (qui ea se fugisse scribere debebat, non alios) motus est ut ancillae daret quod ancillae esset. Quos interpretes qui ne 18
viderunt quidem qua de causa *Aspice* necessario esset ancillae, non attulimus quia futiles esse intelleximus, quos qui in hac parte paulo interius perspexerit, agnoscet eos nihil harum quas diximus rationum recte percepisse. Sed docti homines saepe nesciunt internoscere qua parte veteres interpretes pretium habeant, qua nihil nos adiuvare possint: cuius rei exemplum nuper in commentatione Horatiana dedimus. Scr. m. Decemb. a. MDCCCCIV.

---

*6) Simile augurium cum Servius narrat tum Pausanias I 16, 1 *Σελεύκῳ θύοντι ἐν Πέλλῃ τῷ Διὶ τὰ ξύλα τὰ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ κείμενα προύβη τε αὐτόματα πρὸς τὸ ἄγαλμα καὶ ἄνευ πυρὸς ἥφθη.* Cf. idem V 27, 6. In Asinaria Plauti II 1, 14 Libanus servus sic secum loquitur: *Sed quid hoc quod picus ulmum tundit? haud temerariumst.*

LXII. INDEX LECTIONUM HIBERNARUM 1905/06.

3 In hac enumeratione lectionum academicarum quae proximo semestri habebuntur ne consueta prolusio litteraria desideretur, adnotationes quasdam Tullianas colligimus, leviores illas quidem sed fortasse non inutiles iis quibus haec scribimus.

1. Perpulchra sunt quae Cicero in principio quinti de finibus libri, cum sermonem Athenis habitum fingat, ex locorum natura exorsus de magna vi exponit quae insit in locis ipsis quorum aspectu memoria clarorum virorum qui ibi degere soliti fuerint moveatur et excitetur. Ibi (1, 2. 3) Pisonem et Quintum fratrem haec inter se sermocinantes induxit:

> *Tum Piso 'naturane nobis hoc' inquit 'datum dicam an errore quodam, ut, cum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moveamur quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus aut scriptum aliquod legamus? Velut ego nunc moveor. Venit enim mihi Platonis in mentem, quem accepimus primum hic disputare solitum'* — —. 3. *Tum Quintus 'est plane, Piso, ut dicis' inquit. 'Nam me ipsum huc modo venientem convertebat ad sese Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob oculos versabatur, quem scis quam admirer quamque eo delecter. Me quidem ad altiorem memoriam Oedipodis huc venientis et illo mollissimo carmine quaenam essent haec ipsa loca requirentis species quaedam commovit, inaniter scilicet, sed commovit tamen**).

---

*25) Haec est ista orationis forma qua Alciphro scribit in epistolis (III 37, 3) *καὶ ἔχω τὸν ἐξ ὕβρεως ἄνδρα, οὐχ ἑκοῦσα μέν, ὅμως δὲ ἔχω.* Idem I 27, 2 *σὺ δὲ οὐδεμίαν ὥραν ἔχεις ἐμοῦ διακαῶς φλεγομένου· ἀλλὰ χαῖρε καὶ ἄπιθι· ἐγὼ δὲ οἴσω, βαρέως μέν, οἴσω δὲ ὅμως τὴν ἀτιμίαν*, ubi licebit dubitare, quam recte novissimi cum Cobeto prius illud *οἴσω* deleant. Non secus tertio exemplo I 39, 2 *πᾶσαι παρῆμεν, Θεττάλη . . . ὅπου καὶ Φιλουμένη,*

In postremis his verbis Madvigius *Coloneus ille locus* mire dictum 4
esse adnotavit et aut *Colonus ille* scribendum fuisse quod Bremio in mentem venisset aut (ipsius verba non sine consilio afferimus) 'si nomen appellativum addere placeret, tali utendum fuisse, in quo proprietas aliqua notaretur, velut quod Valckenario (ad Callimach. p. 216) placuit *Coloneus ille lucus*'. Denique acquievit in eo ut Ciceronem diceret ista circumlocutione usum esse quod *Colonus* ambiguitatem haberet propter Latinam vocem earundem litterarum. Redarguit haec M. Hauptius in ind. lect. Berol. hib. 1867 (opp. II p. 367 sq.), qui iure suo negat istam ambiguitatem timendam fuisse in ea oratione qua de Sophocle ageretur, emendandi autem ista conamina affirmat nihil probabile assecuta esse, velut Valckenarii inventum *Coloneus ille lucus**) tolerari non posse propter ea quae insequuntur verba *cuius incola S.*, eiusdem autem Valckenarii commentum *ille locus* omisso *Coloneus* vel Bremii *Colonus ille* aut prava oratione aut incredibili genere emendandi esse reiectanea. Verum tamen Hauptius eodem quo ceteri sensu ducitur, ut *locum* parum aptae ac definitae significationis vocem habeat, quae eo minus placere possit quo saepius idem nomen in hac narratione iteratum quasi inculcari legentibus videatur. Quod reponi suasit non valde confidenter *Coloneus ille vicus* concedi oportet sine offensione legi potuisse. Sed non tam hoc quaeritur, quid substituere liceat in addubitatae vocis locum quam illud potius verene *locus* culpetur et ab hac orationis elegantia abiudicetur, an fortasse tantum nostratium iudicio displiceat in quo nemo veterum offendisset. De hac controversia haec dicta sunto.

Ut in quinti de finibus exordio, ita in prooemio libri de legibus secundi a locorum amoenitate, in quibus colloquentes versantur, disputandi principium sumitur. Similitudo argumenti similes utrobique sententias procreavit, nisi quod illic de Athenis, hic de Ciceronis patria Arpino agitur. Ex qua parte nonnulla nobis demonstrandi causa afferenda sunt, et afferimus libenter,

---

καίτοι γεγαμημένη προσφάτως . . . ὀψὲ μέν, ὅμως δὲ παρῆν, si quidem ex superiore *πᾶσαι παρῆμεν* cogitatur *ὅπου καὶ Φιλουμένη παρῆν*, deinde *ὀψὲ μέν, ὅμως δὲ παρῆν*.

*13) *Luci* commemoratio inepta non erat, ut Sophocles *Κολωνὸν* dicens semel et iterum *ἄλσος* memorat (98. 114. 126), poteratque apte scribi velut 'Coloneus ille lucus, cuius mentionem facit Sophocles', sed ille dixit *cuius incola S.* Ita, quod certissimum est, colligitur, *luco* ibi locum non fuisse.

quoniam sua venustate placent. Itaque M. Cicero c. 1, 3 '*sed hoc*' inquit '*ipso in loco cum avus viveret et antiquo more parva esset villa . . me scito esse natum; quare inest nescio quid et latet in animo ac sensu meo quo me plus hic locus fortasse recte delectet, si quidem etiam ille sapientissimus vir Ithacam ut videret immortalitatem scribitur repudiasse.* Cui Atticus respondet (2, 4) *Ego vero tibi istam iustam causam puto cur huc libentius venias atque hunc locum diligas; quin ipse, vere dicam, sum illi villae amicior modo factus atque huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es; movemur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum quos diligimus aut admiramur adsunt vestigia. me quidem ipsae illae nostrae Athenae* . . . Paulo post idem '*sed illud tamen*' inquit '*quale est, quod paulo ante dixisti, hunc locum, id enim ego te accipio dicere Arpinum, germanam patriam esse vestram*'. Videmus in hac parte sermonis non valde prolixa quoties *locorum* commemoratio legenti occurrat idemque in superiorem partem cadit, quam non perscripsimus; neque varietatem ullam scriptor quaesivit quia nullum aptius aut decentius nomen in promptu erat; et licet universam circa Arpinum regionem *loca* vel *locum* appellet, tamen quod dixit *hunc locum* esse patriam suam ipsum Arpinum intelligi voluit, id quod verbis ipsis quae extrema attulimus testatus est. Haec qui consideraverit, non mirabitur, opinamur, in gemina parte Finium et multum esse *loci* usum nec cum δῆμος Atticus appellandus sit aliud nomen poni. Sed res conficitur, nisi fallimur, iis quae Cicero ad Atticum scripsit, cum se apud hunc severum Latinitatis existimatorem excusaret quod *in Piraeea* praeter consuetudinem scripsisset. Scripserat autem VI 9, 1 *In Piraeea cum exissem.* Ad haec redit VII 3, 10 *Venio ad Piraeea, in quo magis reprehendendus sum quod homo Romanus Piraeea scripserim, non Piraeum (sic enim omnes nostri locuti sunt), quam quod addiderim in. Non enim hoc ut oppido praeposui sed ut loco. Et tamen*) Dionysius noster et qui est nobiscum Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piraeea. Sed de eo videro. Nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod non ut de oppido locutus sum sed ut de loco, secutusque sum non dico Caecilium: 'mane ut ex portu in Piraeum', malus enim auctor Latinitatis est, sed Terentium, cuius*

---

*31) Aut fallimur aut hoc recte scriptum non est: nihil enim concessivi in hac sententia agnoscitur: putabamus *Etiam*.

*fabellae propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi: 'Heri aliquot adulescentuli coiimus in Piraeum', et idem 'mercator hoc addebat captam e Sunio'**). *Quodsi δήμους oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium quam Piraeus. Sed quoniam grammaticus es, si hoc mihi ζήτημα persolveris magna me molestia liberaris.* Hinc enim persentiscere videmur, quod *Κολωνόν*, qui δῆμος erat Atticus, *Coloneum locum* appellavit, in eo sane aliquid proprii ac definiti inesse, quod cum Madvigio Hauptius desiderabat, eoque factum esse, ut *locum* mallet quam *vicum* vocare aut nescio quod aliud nomen ponere. *Coloneum* autem *locum* adiectivo nominis adiecto quod scribit, ne id quidem praeter morem scribit, quo saepe similiter nominum propriorum loco hac circumlocutione usus est, velut ad fam. XIII 13, 1 *municipii Lucensis;* XIII 7, 1 *municipii Atellani;* XIII 32, 1 *in Halaesina civitate;* quod genus pluribus exemplis congestis Wichertus persecutus est in libello Berolini a. 1875 edito, qui ne nostrum quidem locum praetermisit, quamquam nihil attulit quo eius scriptura confirmaretur.

Quod Pausanias in descriptione Atticae I 30, 4 scribit *δείκνυται δὲ καὶ χῶρος καλούμενος κολωνὸς ἵππιος, ἔνθα τῆς Ἀττικῆς πρῶτον ἐλθεῖν λέγουσιν Οἰδίποδα . . καὶ βωμὸς Ποσειδῶνος Ἱππίου καὶ Ἀθηνᾶς Ἱππίας κτλ*, ei rei quamquam ne nos quidem multum in causa nostra tribuimus (Madvigius enim Goerenzio adversatus negaverat hoc ad hanc rem pertinere), tamen 6
non inepte reminiscemur, Sophoclem similiter locutum esse, cuius Cicero ipse memor est cum dicat *Oedipodis illo mollissimo carmine quaenam essent haec ipsa loca requirentis:* in eo enim carmine, quo toties χῶρος χῶροι iteratur, ut mittamus alia, cum Antigona dicat (24)

τὰς γοῦν Ἀθήνας οἶδα, τὸν δὲ χῶρον οὔ

aut Oedipodi interroganti (52)

τίς δ' ἔσθ' ὁ χῶρος δῆτ' ἐν ᾧ βεβήκαμεν;

cum ξένος respondeat (54)

χῶρος μὲν ἱρὸς πᾶς ὅδ' ἔστ'· ἔχει δέ νιν
σεμνὸς Ποσειδῶν· ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς

---

*3) Eunuch. III 4, 1, ubi *coiimus in Piraeo* scriptum est; *in Piraeum* si scripsit Cicero, falso scripsit. Idem Eun. I 2, 34 ea qua solebat libertate citavit: ibi enim legitur

mercator hoc addebat, e praedonibus
unde emerat, se audisse, abreptam e Sunio.

Τιτὰν Προμηθεύς· ὃν δ' ἐπιστείβεις τόπον,
χθονὸς καλεῖται τῆσδε χαλκόπους ὀδός,
ἔρεισμ' Ἀθηνῶν· οἱ δὲ πλησίοι γύαι
τόνδ' ἱππότην Κολωνὸν εὔχονται σφίσιν
ἀρχηγὸν εἶναι καὶ φέρουσι τοὔνομα
τὸ τοῦδε κοινὸν πάντες ὠνομασμένοι,

idem paulo post (78)

τοῖς ἐνθάδ' αὐτοῦ, μὴ κατ' ἄστυ, δημόταις
λέξω τάδ' ἐλθών,

δῆμον Κολωνὸν intelligi ac describi apertum est.

2. In secundo invectivarum in Catilinam libro (2, 3) haec leguntur:

Ac si quis est talis, quales esse omnes oportebat, qui in hoc ipso in quo exsultat et triumphat oratio mea me vehementer accuset, quod tam capitalem hostem non comprehenderim potius quam emiserim, non est ista mea culpa, Quirites, sed temporum. Interfectum esse L. Catilinam et gravissimo supplicio adfectum iam pridem oportebat, idque a me et mos maiorum et huius imperii severitas et res publica postulabat. Sed quam multos fuisse putatis, qui quae ego deferrem non crederent, [quam multos, qui propter stultitiam non putarent], quam multos, qui etiam defenderent, [quam multos, qui propter improbitatem faverent]!

Sic haec C. F. W. Muellerus edidit, item A. Eberhardus, qui duo cola quae volunt esse interpolata cancellis circumscripserunt: nam Halmius prius eorum ne recepit quidem, sed cum quinque suorum codicibus ut ait delevit, altero uncis notato. Itaque iam in editione Turicensi a. 1851 haec pars hoc modo adornata est: *sed quam multos fuisse putatis, qui quae ego deferrem non crederent? quam multos, qui etiam defenderent? [quam multos, qui propter improbitatem faverent?]*; eamque conformationem Halmius per nescio quot editiones Weidmannianas propagavit, partim fide codicum nisus, ex altera autem parte rationibus explicatis, quibus cum priore alterum additamentum, quamvis nulla librorum auctoritate destitutum, reiiciendum edoceret. Denique qui post Halmii obitum
7 Weidmannianam eius editionem instauravit, G. Laubmannus, utramque partem, sublata etiam Halmii rationum explicatione, exstirpavit, et nisi in appendice varietatem quidem scripturae quae ex-

staret memorasset, qui haec legeret *sed quam multos fuisse putatis, qui quae ego deferrem non crederent, quam multos, qui etiam defenderent*, ne sentiret quidem quanto opere haec cum olim vulgatis discreparent: nisi forte qui recens esset ab harum orationum lectione et multum in earum indole perspicienda versatus, hanc tenuitatem dicendi in ista orationis ubertate miraretur. Sed quoniam duo sunt cola, quorum rationes diversae sunt, seorsum ea oportet disceptemus. Ac primum illud *quam multos qui propter stultitiam non putarent*, quod Halmius, uti diximus, cum quinque codicibus deleverat, qua fide librorum fulciatur, nunc melius quam Halmius iudicare possumus Muelleri, Eberhardi beneficio; desiderantur igitur ea verba ex probis codicibus in solo **a** (h. e. Mediceo pl. 45, 2); in **A** (sive Ambrosiano) eadem exstant, sed tertio membro postposita, ut hoc modo se excipiant *quam multos qui etiam defenderent, quam multos qui propter stultitiam non putarent.* Suo loco leguntur ea verba in bona parte codicum quos litteris β et γ complecti solent: quorum fidem etsi universe hodie illis, quos **a** et **A** significavimus, postponendam arbitrantur, tamen multum abest, ut eorum nulla sit auctoritas, illi soli sint audiendi, quorum vis quamvis magna, tamen non tanti putatur, ut non multa quae non habent recipiantur ab editoribus, quae habent ab iisdem omittantur*). Sed hoc utut est, quod in uno quamvis bono codice illa verba desunt, ei rei ne plus tribuatur quam par est, hoc quoque attendendum est (quod numquam in emendandis scriptis Tullianis negligi debet, quamquam raro sic uti decet reputari solet), in promptu esse causam qua causa quae recte scripta erant, per errorem omissa sint: ab iisdem enim verbis ordiuntur hae sententiae, quae hoc ordine leguntur *quam multos qui . . non putarent, quam multos qui etiam defenderent.* Quid ibi mirum aut singulare, priorem earum in aliquo codice scribendi incuria praetermissam esse? Cur instamus ab interpolatore addita esse, quae fortasse mera librarii oscitantia praeteriit invita? Neque plus probatur eo quod in uno de bonis codice, Ambrosiano, sententiae istae inverso ordine ex-

*22) Nos eam rem nunc persequi nolumus: doctis adolescentibus, quibus haec scribimus, commendatam volumus; sed perpauca exempla afferimus: p. 249, 20 Muell. *in nos [omnes iam diu]:* uncinata leguntur in a A, tamen delentur; 250, 37 *ut [nunc] vivis:* item *nunc* est in iisdem sed spernitur; contra p. 251, 4 *Catilina*; 251, 16 *tam atrox* desunt in a A, tamen retinentur ab editoribus, hoc quidem ab omnibus quos noverim, illud a plerisque.

hibentur in hunc modum *quam multos qui etiam defenderent quam multos qui p. st. non putarent.* Halmius quidem, qui librum Ambrosianum non cognitum habebat, quia idem in paucis libris deterioris ordinis acciderat, eo certius putabat glossam coargui. Sed quis nescit, hoc quoque saepius factum esse in codicibus, ut quae forte scribentis aciem effugerant in margine apposita non suo loco rursus reciperentur in ordinem? Et illa quidem duo cola hac serie ferri nullo modo poterant. His igitur rebus in neutram partem
8 quicquam demonstratur. Firmius quaerendum est iudicandi fundamentum. Quod parari non posse censemus nisi accuratius explorata verborum sententia, quam critici fere non tetigerunt librorum testimoniis et illa fiducia confirmati qua has orationes multifariam falsis additamentis auctas esse sibi persuaserunt. Sed haec duo si hoc ordine iuncta erant, *quam multos, qui quae ego deferrem non crederent, quam multos, qui propter stultitiam non putarent,* aegre intelligeres haec a Cicerone profecta esse aut ab eo quem haec suo arbitratu addidisse volunt: adeo bis eadem sententia afferri videtur. Quid enim interesse credimus inter illa *non crederent, non putarent*? Quamquam si haec eadem sunt, rursus mirere, ea non putare stultitiam dici, non credere non stultitiam. Unde probabile fit, eum a quo haec scripta sunt, aliquid differentiae inter tam similis significationis verba intercedere voluisse. Quod quid fuerit ubi quaerimus et huius alterius membri plenam hanc esse orationem attendimus *multos fuisse qui quae ego deferrem propter stultitiam non putarent,* dispicere videmur haec integra non esse: nam illud quidem recte dici poterat *multos fuisse qui quae deferrem non crederent* h. e. non pro veris haberent, sed *multos fuisse qui quae deferrem non putarent,* id quoque recte dici arbitramur ac non potius haec sibi addi flagitare quae aut qualia esse non putarent? Haec dum reputamus et usum verbi *putare* circumspicimus, eo adducimur, ut sententiam negemus constare nisi addatur quod *putandi* verbum poscat aut ferat; nempe suspicamur ita scriptum fuisse *quam multos qui propter stultitiam* TANTI *non putarent.* Hunc enim esse notum est verissimum sermonis morem, quo dici solet *nihili putare, nauci non putare, magni putare, pluris putare,* alia multa. Ex quo genere sat erit duo attulisse exempla Ciceronis de orationibus: pro Milone 23, 63 *Sive enim illud animo irato ac percito fecisset, ut incensus odio trucidaret inimicum, arbitrabantur eum t a n t i mortem P. Clodii p u t a s s e, ut aequo animo*

patria careret; pro Planc. 4, 11 *honores si magni non putemus, non servire populo, sin eos expetamus, non defetigari supplicando.* Illud vix est quod moneatur, in hac oratione quam usu probatam restituimus quam facile *tanti* post *stultitiam* propter syllabarum similitudinem imprudentia potuerit exteri. Sic autem integrata sententia non solum discrimen apparuit, quod inter primam et alteram partem intercedit, sed orationem videmus percommode a minore ascendere ad maius, h. e. ab iis qui quae Cicero deferret nefarie ac seditiose gesta vera esse non crederent ad eos qui quae ille deferret propter stultitiam tanti non putarent, sive nihili ac nauci haberent; et hoc quoque intelligitur, huic parti sententiae, non priori, stultitiae convicium optime aptari. Denique sententiam isto modo recuperatam apertum est ab utraque parte suo loco firmius vindicari: ut enim oratio recte a non credendo ad nihili habendum progreditur, ita hoc perapte excipitur ab eo quod tertio loco insequitur, *quam multos qui etiam defenderent,* non inutiliter *etiam* particula adiecta, si quidem hoc illo gravius est, non solum tanti non putare, verum *etiam defendere* quae Cicero scelerata conamina Catilinae et summo supplicio digna deferret.

Quibus ita constitutis iam quaerere licet, utrum probabilius habeatur, Ciceronem haec addidisse, cuius non leviter sententiam adiuvarent, an nescio quem hac particula orationem amplificare voluisse, cuius rei consilium plane nullum agnoscitur. Ita quaerenti quid respondebimus? Ut opinamur, hoc: quod in uno quamvis probo codice illa verba desunt, quae leguntur in ceteris, quoniam proclivi errore factum esse potest in illo ut desiderentur, tantum valere non debere, ut a Cicerone abiudicetur sententia, qua nihil eius oratione aut hoc potissimum tenore dignius esse potuit.

Nondum hoc quadrivium sententiarum emensi sumus: restat quod quarto loco adiectum legitur, *quam multos qui propter improbitatem faverent.* Quae verba a nullo codice abesse diximus, sed a Blochio et Madvigio addubitata ab Halmio seclusa sunt; qui quibus argumentis hanc confirmare damnationem studuerit, necesse est recognoscamus brevi. Atque *etiam* particulam tertio membro insertam quod indicio esse voluit quartum non insecutum esse, nos hanc particulam vidimus egregie inservire progressui qui est a secundo ad tertium colon, eaque ratio constat sive insequitur quartum sive nullum. Porro nescio quae dubia movit de verbi

faverent structura, quod absolute positum dicit et cui non *Catilinae* addendum, rectius ex superioribus *quae deferrem* suum quoddam obiectum sit arrogandum: quasi vero hoc ullam difficultatem haberet. Quattuor enim genera hominum recensuit orator qui sibi dissuaderent ne Catilinam supplicio afficeret: primum eos qui quae ab illo seditiose perpetrata deferret, non crederent; alterum eorum qui quae illius scelera deferret crederent quidem sed tanti non putarent; tertio loco qui ea etiam defenderent; denique quarto eos qui quae ille commisit morte multanda cum plausu et favore acciperent et prosequerentur. Unde hoc quoque patefactum est, satis differentiae esse inter quartum et tertium genus, id quod Halmius negarat; qui quod scribit, Ciceronem etiam alibi duo tantum genera numerare, *imperitorum* et *improborum*, mirifice accidit quod ipse ea duo genera, quorum *stultitiam* et quorum *improbitatem* accusat, reiicienda esse affirmat. Qui vero conferet quae Halmius in suam sententiam attulit, quae in oratione prima 12, 30 leguntur, *Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea quae imminent non videant aut ea quae vident dissimulent; qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt coniurationemque nascentem non credendo corroboraverunt; quorum auctoritate multi non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam improbum qui non fateatur*, haec, inquimus, qui contendet, fatebitur, opinamur, et *faverent* quid sibi velit declarari et totum quattuor generum recensum luculentissime confirmari ac defendi. Addimus, quo magis Ciceronis cogitatio patefiat, I 2, 5 *Tum denique interficiere, cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur; quamdiu quisquam erit qui te defendere audeat, vives* eqs.

Defendimus interpretando quae defendi posse putavimus. Verum non inutile erit, etiam ea diligentius perspicere quae delendo docti homines effecerunt, *quam multos fuisse putatis qui quae ego deferrem non crederent, quam multos qui etiam defenderent.* Supra notavimus exiguitatem dicendi, idque quam verum sit totus tenor cum huius tum trium reliquarum orationum documento est. Sed ut nobis videtur, si haec duo tantum ponere orator voluisset, proclive erat ea in unum copulare ut ita diceret *qui quae ego deferrem*

non crederent aut etiam defenderent. Quod si fecisset, facilius fortasse persensissent docti, quod ne nunc quidem cum paria paribus adnectuntur obscurum est, haec duo nulla re media coniungi apte non potuisse. Cum vero hanc orationis formam instituerit, *multos esse qui non crederent, multos qui etiam defenderent*, credibile fit plura similia congerere voluisse, cum praesertim hoc agat, ut plurimos esse ostendat, qui sibi impedimento sint, quominus iam nunc Catilinam interficiendum curet. Itaque cumulasse eum consulto arbitramur, quemadmodum consuevit: quod genus, ut hoc exemplo utamur, scribit I 13, 32 *Polliceor hoc vobis, patres conscripti, tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinae profectione omnia patefacta illustrata oppressa vindicata esse videatis.*

3. Ad Atticum scripsit Cicero exsul cum esset Thessalonicae III 12, 3:

> *Ego etiam nunc eodem in loco iaceo, sine sermone ullo, sine cogitatione ulla. Licet tibi, ut scribis, significarem, ut ad me venires si donatam ut intellego, te istic prodesse, hic ne verbo quidem levare me posse. Non queo plura scribere, nec est quod scribam: vestra magis exspecto.*

De media harum sententia *Licet tibi, ut* eqs nobis agendum est, quae sic ut supra posuimus scripta est in libris. In qua quod est monstrum vocabuli *si donatam* quomodo domandum et ad sanitatem revocandum videatur, non litterulis rimandis hariolorum instar divinare temptabimus, sed ex iis, quae recte scripta sunt aut probabiliter emendata, orationis formam assequi studebimus, ut ad eam quid accommodatum sit ratiocinando colligamus. Itaque cum Cicero dicat *significaram* (id enim, quod postea videbimus, rectissime Madvigius restituit pro eo quod est in libris *significarem* vel quod olim vulgabatur de coniectura Victorii *significarim*) *ut ad me venires* et paulo post *intellego te istic prodesse, hic ne verbo quidem levare me posse,* consequitur eum de mutata mente loqui, cum quod paulisper desiderarit iam se relinquere velle fateatur; idque verbo oportebat dici eo loco ubi nunc habetur quod sensu caret. Quare Madvigius (Adv. crit. III p. 170) quod reponendum censuit *id omittamus: intellego te istic* eqs, verbum recuperavit, quo nullum aptius in hac oratione inveniri potuit. A quo nos in eo tantum discedimus quod in eandem sententiam scribi malumus *id omittam, ut intellego te*

istic prodesse . . posse. Nam *ut* illud, modo recte accipiatur, verum esse intelligitur: loquitur autem Cicero, quemadmodum locutus est de fin. II 15, 48 *ut enim consuetudo loquitur, id solum dicitur honestum quod —;* ad quorum normam olim restituimus de leg. I 16, 44 *nam et* ut *communis intelligentia nobis notas res efficit . . honesta in virtute ponuntur.* Item de rep. VI 15, 15 *quoniam haec est vita, ut Africanum audio dicere;* de or. II 55, 224 *tot enim, ut audivi Scaevolam dicere, sunt veri Bruti libri;* pro Rosc. Am. 17, 49 *ut ex his propinquis eius audio, non tu in isto artificio accusatorio callidior.* Quod genus loquendi, quamquam a Cicerone non esse alienum
11 videmus, praecipue familiare fuisse constat comicorum sermoni, Plauto, Terentio, ex quibus Bentleius multa exempla collegit ad Terentii Phormionem II 3, 21. Nos pauca afferimus ab illo praeterita, quo magis eius locutionis vis et natura appareat: Amph. 670 *decumo post mense, ut rationem te ductare intellego.* Bacchid. 218 *Mnesiloche, ut hanc rem natam intellego, quod ames paratum est.* Adelph. 749 *ut video tuam ego ineptiam, facturum credo.* Hautont. 869 *Ne tu propediem, ut istam rem video, istius obsaturabere.*

Ab iis autem quae scripta sunt in libris *venires si donatam* quam prope absint haec quae restitui suademus *venires: id omittam,* neminem praeteribit, qui praesertim sibi animo informarit haec in vetusto aliquo codice sic exarata fuisse *veniresi domitam,* quemadmodum saepe in harum epistolarum codicibus litterae, quae geminandae erant, semel positae sunt, ut *atice* scribitur et hoc quidem saepe, *opidis, alobroges, amisurus,* alia plura: praeterea hoc reminiscendum est, nullo genere frequentius in his epistolis peccari quam quod litterae syllabaeque aut falso diiunguntur aut coniunguntur falso; qualia sunt, ne quid exempli desideretur, *homines quis summos* (*h. nequissumos*) I 16, 3; *ac opilianam* (*Acutilianam*) I 4, 1; *potentia qui illum* (*putent. Aquilium*) I 1, 1; *arguit e lanie difici* (*Argiletani aedificii*) I 14, 7.

Restant superiora *licet tibi ut scribis significarem ut ad me venires.* In quibus Madvigius iure negavit posse *licet . . significarim* scribi, quod adhuc vulgabatur. Ipse quod reposuit *scilicet tibi ut scribis significaram ut ad me venires,* in eo *scilicet* concedendi vim habere voluit, cum ita interpretaretur *non iniuria Atticum scribere antea id a Cicerone significatum esse.* Eamque scripturam et explicationem ille Muellero probavit, qui nuper harum epistolarum editor exstitit. Nos in his non tam *scilicet* addubitamus

quam quod huic adiectum est *ut scribis*, quo nihil opus erat, si ista particula vim concessivam indicabat. Sed ne ex altera quidem parte haec hoc modo coniuncta *tibi ut scribis significaram ut ad me venires* videntur satis placere: cur enim haec *ut scribis* in hac sententia adiecta esse dicimus? Itaque sic existimamus, distinguendum esse et quam unam esse sententiam voluerunt in duas secernendam: *Licet tibi, ut scribis. significaram ut ad me venires.* Nam *significaram* etiam sic recte scriptum est, verba autem *ut scribis* suam vim et consuetam rationem nacta sunt*). Etenim Atticus, cum Cicero significasset se velle eum ad se venire, ea rescripsit, quibus Ciceronem ab ea voluntate deduceret; idque is assecutus est: *licet tibi ut scribis:* quae sic interpretamur *licet tibi ita agere, ut scribis te velle* (*agere*). Quod quid fuerit, ex iis percipitur, quae postea dicit, *intellego te istic prodesse posse.* Incipit autem Cicero ita, ut statim uno verbo indicet, se nolle persistere in consilio quod ceperat cum Atticoque communicaverat, sed se dissuadenti illi accedere. Deinde quo modo ea res gesta sit et quas rationes habeat pluribus exponit, ut ita dicat, *significaram ut ad me venires: id omittam, ut intellego* (ex iis videlicet quae ille perscripserat) *te istic prodesse posse, hic nihil.* Sic, si quid sentimus, sententiae vi- 12
dentur recte progredi apteque omnia inter se colligata et conciliata esse*).

Illud neminem putamus offensurum quod *licet* scriptum est verbo non adiecto: id enim genus quis nescit Ciceroni in his epistolis perplacuisse, ubi vel ita ad Att. vii 2, 8 *cupio ad omnes tuas epistolas, sed nihil necesse est: iam enim te videbo;* v 17, 3 *Cicerones nostros Deiotarus filius . . secum in regnum;* ibid. 4 *ad me scribe, quid et possit et tu censeas;* cf. v 4, 2. 4; nec solum in epistolis, qui etiam in Bruto (40, 149) scripsit: *licet omnia hoc modo.*

Superest ut in Muelleri rationes inquiramus paucis: qui in editione epistolarum a. 1898 facta haec verba in hunc modum adornavit: *Scilicet tibi, ut scribis, significaram, ut ad me venires;*

---

*9) Eadem ratio horum verborum ad Att. i 5, 7 *quae tibi mandavi et quae . . velim, ut scribis, cures;* et saepe similiter, ii 17, 1 *Prorsus, ut scribis, ita sentio;* cf. ibid. 3; ii 15, 1 *Ut scribis, ita video non minus incerta.*

*22) Cum nostra sententia aliquid similitudinis habent ea quae scripsit ad Att. i 11, 1 *Ac ne illud mirere, cur, cum ego antea significarim tibi per litteras me sperare illum in nostra potestate fore, nunc idem videar diffidere, incredibile est quanto* eqs. Cf. v 4, 1.

sed opera tua mihi intellego te istic prodesse, hic ne verbo quidem levare me posse. In quibus *scilicet* et *significaram* a Madvigio accepit, ut diximus: reliqua suo periculo instituit et in mus. Rhen. 1898 p. 123 confirmare studuit. Qui quidem illa quae edidit *sed opera tua mihi* sibi visus est elicere ex librorum scriptura *si donatam ut*, eo scilicet artificio quo quidvis ex quovis effici nullo negotio queat. Omittimus pravitatem sententiae, in qua iam desideratur, quod summum erat aperte dici, Ciceronem quae ante voluerat iam relicturum; omittimus verborum ordinem critici iussu institutum, quem intolerabilem esse quis non percipiat qui paulum modo sensu sermonis praeditus sit. Unum illud dicimus, haec quae tradita sunt *intellego te istic prodesse, hic ne verbo quidem levare me posse*, qui accuratius perspexerit et ad usum sermonis rettulerit, eum non posse non intelligere, nec *mihi* requiri, neque *verbo* quod oppositum sit, sive *re*, quod nonnulli post *te* inseruerunt, sive, quod ille maluit, *opera tua*, addendum fuisse, sed contrarii rationem non mancam esse verum perfectam, quam vel hoc modo liquido patefacere liceat: *intellego te istic prodesse, hic* (non solum non prodesse sed) *ne verbo quidem levare me posse.* Scr. m. Aprili a. MDCCCCV.

LXIII. INDEX LECTIONUM AESTIVARUM 1906.

Perutilis fuit tractatus Graecus de comoedia, quem I. A. Cramerus primus ex codice quodam Coisliniano protractum in Addendis ad Anecdota Graeca Parisiensia (vol. I Oxon. 1839) publici iuris fecit. Eum postea Iacobus Bernaysius subtili cura perscrutatus supplementa quaedam artis poeticae Aristotelicae investigavit, quae in museo Rhenano (vol. VIII. 1853) primum, dein in libello separatim edito exposuit, cui hunc indicem fecit *Zwei Abhandlungen über die Aristotelische Theorie des Drama* (Berol. 1880). Postremo eadem excerpta Georgius Kaibelius tractavit, in commentatione Gottingensi (a. 1898) prolegomenon περὶ κωμῳδίας quae vocantur, quorum illa magna pars fuerunt, naturam et originem persecutus. 3

Ex hoc opusculo nos quamquam poteramus plura nunc non plus unam sententiam promimus edisserendam, eam qua de sermone poetae comici praecipitur; quae nec per se est indigna in quam inquiratur et identidem temptata a doctis nondum eam quae nescio quo pacto periit integritas recuperasse nobis videtur. Hinc igitur petemus argumentum prologi quem huic quoque lectionum academicarum recensui consueto more praemittimus; disputabimus autem ita ut hac quaestione exemplo utentes in re critica factitanda quid probum sit, quid pravum edoceamus eos si qui ad haec studia incumbunt, simul id sectati ut ex uno loco ad scriptores plures si fieri possit aliquid utilitatis redundet.

Scripta in illo codice sunt verba haec

> *Δεῖ τὸν κωμῳδοποιὸν τὴν πάτριον αὐτοῦ γλῶσσαν τοῖς προσώποις περιτιθέναι. τὴν δὲ ἐπιχώριον αὐτῷ ἐκείνῳ.*

Quae verba quamvis neminem fugiat aut depravata esse aut mutila, tamen eorum vim et sententiam ex incerta luce corruptelae Bernaysii ingenium assecutum est, qui discrimen quoddam indicari intellexit, quo poeta comicus uteretur, cum personis agentibus in fabula suam patriam linguam impertiret, hospitem autem si quem

4 induceret sua loqui dialecto iuberet, velut Aristophanes Boeotum in Acharnensibus, Scytham in Thesmophoriazusis, Spartanas mulieres in Lysistrata sua quemque lingua verba facere voluit. Sed hospitis quoniam in verbis scriptis mentio nulla est, ex hac parte violatae integritati sententiae subveniendum esse Bernaysius sibi persuasit. Qui quod hac scriptura quam proposuit et commendavit

δεῖ τὸν κωμῳδοποιὸν τὴν πάτριον αὐτοῦ γλῶσσαν τοῖς ⟨ἄλλοις⟩ προσώποις περιτιθέναι, τὴν δὲ ἐπιχώριον αὐτῷ τῷ ξένῳ

desiderio satisfieri putavit, sententiam quidem restituit, quam non possis non probam habere, sed restituit remediis adhibitis, quae verendum est ne plus damni quam salutis attulerint. Quam enim probabile esse dicimus eas potissimum voces (*αὐτῷ ἐκείνῳ*) corruptelae argui, quas sua integritatis specie vetare credas ne emendando attingantur aut quam credibile esse quae refinxit verba (*αὐτῷ τῷ ξένῳ*) umquam scribentis vitio abiisse in ea quae codicis fide circumferuntur (*αὐτῷ ἐκείνῳ*). Sed earum rerum ille nihil consideravit, criticorum more, qui contenti quoviscumque modo mutatis litteris aliquid sententiae peperisse reliqua non curant.

Itaque non iniuria nobis videmur olim quamvis perbreviter memorasse, irritam esse in sententia iusta Bernaysii opinationem: nec enim *ἄλλοις* addendum fuisse quod addidit, nec vero verba *αὐτῷ ἐκείνῳ* labem traxisse, sed ea quo referrentur in mutilata oratione periisse. Eam autem licere in hunc fere modum redintegrare:

Δεῖ τὸν κωμῳδοποιὸν τὴν πάτριον αὐτοῦ γλῶσσαν τοῖς προσώποις περιτιθέναι, ⟨τῷ δὲ ξένῳ ἀποδιδόναι⟩ τὴν ἐπιχώριον αὐτῷ ἐκείνῳ.

Non persuasimus Kaibelio, qui quid probi aut probabile ista habeat oratio non perspiciens, quam paululum inflectenti licebat invenire verum, Bernaysii rationem nostra potiorem esse affirmat, cuius vestigia insistens huius modi conformationem sententiae requirit (talia enim oculis ut recte aestimentur subiicienda sunt)

Δεῖ τὸν κωμῳδοποιὸν τὴν πάτριον αὐτοῦ γλῶσσαν τοῖς ⟨ἐπιχωρίοις⟩ προσώποις περιτιθέναι, τὴν δὲ ἐπιχώριον ἑκάστου τῷ ξένῳ,

quam in comm. Gotting. (p. 59) proposuit et in Comicorum Graecorum fragmentis vol. I fasc. 1 p. 52 repetiit, nisi quod additum *ἐπιχωρίοις* vocabulum postea praetermisit. Et certe hoc peius etiam quam a Bernaysio *ἄλλοις* addi *προσώποις* videtur. Neque enim erat quod ea definitius designarentur, sed ab universa sententia

orditur scriptor cum ita dicit *δεῖ τὸν κωμῳδοποιὸν τὴν πάτριον αὑτοῦ γλῶσσαν τοῖς προσώποις περιτιθέναι*, ut dein adiiciat ab ea norma quid excipiatur: *τὴν δὲ ἐπιχώριον αὐτῷ ἐκείνῳ*. Eius vero exceptionis quae forma fuerit quaeritur et ambigitur. Qua in re quod Kaibelius ne *ἐπιχώριον* careret eo quo niti posset, *ἑκάστου* addendum censuit, ut mittamus quam hoc verisimile sit ex *αὐτῷ* effici, desideravit quo nihil opus erat: *αὐτῷ* enim in Bernaysii scriptura (*τ. δ. ἐπιχώριον αὐτῷ τῷ ξένῳ*) non cum *ξένῳ* coniungitur, quo nihil ineptius erat, sed coniungitur cum *ἐπιχώριον*, quasi dicas *τὴν δὲ ἐπιχώριον αὐτῷ* (*περιτιθέναι*) *τῷ ξένῳ*; id quod meliore collocatione verborum ita efferendum erat *τῷ δὲ ξένῳ τὴν ἐπιχώριον αὐτῷ*. Longius igitur Kaibelius a vero et a probabili aberravit quam cuius se auctoritati mancipavit Bernaysius. Sed 5 hoc iam liquido apparuit neutrum eorum quamvis Graeci sermonis egregie peritorum hoc satis percepisse quid verba *αὐτῷ ἐκείνῳ* sibi vellent aut quem usum et sententiam haberent; quod si probe perspexissent, non illis potissimum emendandi machinas admovissent sed ab iis sibi persuaderi passi essent, qua via sola opem ferre isti sententiae liceret. Sed ea res quoniam ita se habet, non inepte agere existimabimur quod exemplorum copia docere instituimus, et creberrimi usus esse istam horum pronominum iuncturam, et cui menti cuive consilio eadem iuncta accommodari soleant.

Initium facimus ab eo quod nobis antiquissimum in promptu est exemplum Aeschyli, qui Electram, ubi ad tumulum patris expressa pedum vestigia aspexit, ita loquentem facit (in Choephor. 197 sqq.)

καὶ μὴν στίβοι γε, δεύτερον τεκμήριον,
ποδῶν ὅμοιοι τοῖς τ' ἐμοῖσιν ἐμφερεῖς.
καὶ γὰρ δύ' ἐστὸν τώδε περιγραφὰ ποδοῖν,
αὐτοῦ τ' ἐκείνου καὶ συνεμπόρου τινός.
πτέρναι τενόντων θ' ὑπογραφαὶ μετρούμεναι
εἰς ταὐτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις:

αὐτοῦ ἐκείνου dicit h. e. eius cuius supra semel atque iterum mentionem fecit (proxime v. 186), Orestis, eumque advenisse hoc alterum (post *πλόκαμον*) indicium (*δεύτερον τεκμήριον*) fidem facit, idque eo magis quod non unius sed duorum hominum vestigia agnoscuntur, ipsius et alicuius comitis eius. Sic enim verba (199) *καὶ γὰρ δύ' ἐστὸν τώδε περιγραφὰ ποδοῖν* accipienda cum plerisque ducimus, non amborum pedum circumscriptas notas dici sed

duplicia duorum hominum vestigia. Qua de re secus sensisse Carolum Robertum videmus quo auctore illustris Aeschyli interpres ex duobus versibus 199. 200 (208) alterum seclusit, ut qui relinquitur unus non possit nisi de ambobus pedibus unius intelligi, *καὶ γάρ δύ' ἐστὸν τῷδε περιγραφὰ ποδοῖν*; quod etsi Wilamowitzii interpretatio haud inscite reddidit, tamen haeremus ambigui, quia non satis apparet, quid hoc fidem augere possit, quod amborum pedum, non unius, vestigia conspiciuntur: alterum, duos fuisse advenas, quid afferat ad spem confirmandam apertum est. Et quidquid incerti est in ista oratione (199) adiecto altero versu tollitur. Nec Sophocles cum Electra canat (205 sqq.) *τοὺς ἐμὸς ἴδε πατὴρ θανάτους αἰκεῖς διδύμαιν χειροῖν, αἳ τὸν ἐμὸν εἷλον βίον πρόδοτον*, duas manus maluit quam duorum manus intelligi. Sed quisquis hunc versum scripsit, sive is poeta fuit ut putamus sive nescio quis alius, is plane de more istis pronominibus (*αὐτοῦ τ' ἐκείνου*) usus est.

Non aliter Lichas in Trachiniis (283 sqq.)

τάσδε δ' ἅσπερ εἰσορᾷς
ἐξ ὀλβίων ἄζηλον εὑροῦσαι βίον
χωροῦσι πρὸς σέ· ταῦτα γὰρ πόσις τε σὸς
ἐφεῖτ', ἐγὼ δὲ πιστὸς ὢν κείνῳ τελῶ.
αὐτὸν δ' ἐκεῖνον, εὖτ' ἂν ἁγνὰ θύματα
ῥέξῃ πατρῴῳ Ζηνὶ τῆς ἁλώσεως,
φρόνει νιν ὡς ἥξοντα,

aut Aristophanes in Ecclesiazusis (638 sqq.)

ΒΛ. Οὐκοῦν ἄγξουσ' εὖ καὶ χρηστῶς ἑξῆς τὸν πάντα γέροντα
διὰ τὴν ἄγνοιαν, ἐπεὶ καὶ νῦν γιγνώσκοντες πατέρ' ὄντα
ἄγχουσι.
ΠΡ. Ἀλλ' ὁ παρεστὼς οὐκ ἐπιτρέψει· τότε δ' αὐτοῖς οὐκ ἔμελ' οὐδὲν
τῶν ἀλλοτρίων ὅστις τύπτοι· νῦν δ' ἢν πληγέντος ἀκούσῃ,
μὴ αὐτὸν ἐκεῖνον τύπτῃ δεδιὼς τοῖς δρῶσιν τοῦτο μαχεῖται,

in quibus etsi fuerunt qui titubarent, *αὐτὸν ἐκεῖνον* habet in praecedentibus quo referri possit. Ad quem versum non nescimus Fr. Blaydesium suo more congeriem similium fecisse. Quem nos non sequimur, sed nostrum institutum tenentes ex variis scriptoribus posterioris maxime aetatis petemus exempla eaque afferemus ita ut cui usui illa pronomina aptentur perspicuum fiat.

Platonis sunt in convivio (p. 192 b)

πάντως μὲν οὖν ὁ τοιοῦτος παιδεραστής τε καὶ φιλεραστὴς γίγνεται, ἀεὶ τὸ ξυγγενὲς ἀσπαζόμενος. ὅταν μὲν οὖν καὶ αὐτῷ ἐκείνῳ ἐντύχῃ τῷ αὑτοῦ ἡμίσει καὶ ὁ παιδεραστὴς καὶ ἄλλος πᾶς, τότε καὶ θαυμαστὰ ἐκπλήττονται φιλίᾳ τε καὶ οἰκειότητι καὶ ἔρωτι.

Scilicet respicit pronominibus adiectis ad ea quae pluribus verbis ante exposuit.

aut eiusdem in Phaedone (p. 97 d)

ἐκ δὲ δὴ τοῦ λόγου τούτου οὐδὲν ἄλλο σκοπεῖν προσήκειν ἀνθρώπῳ καὶ περὶ αὐτοῦ ἐκείνου καὶ περὶ ἄλλων, ἀλλ' ἢ τὸ ἄριστον καὶ τὸ βέλτιστον.

In quibus dissensus a librorum testimoniis oritur, quorum Oxoniensis exhibet quod scripsimus *περὶ αὐτοῦ ἐκείνου*, alii, in quibus Venetus T, omittunt aut delerunt *ἐκείνου*. Itaque discedunt editores: Schanzius *αὐτοῦ* induxit, Burnetus nuper cum Veneto *ἐκείνου* inclusit. Utri parti accedimus? Nos ita sentimus, explorata sententia ambigi non posse quin verum sit quod in cod. Oxoniensi perscriptum est *καὶ περὶ αὐτοῦ ἐκείνου καὶ περὶ ἄλλων*. Hoc enim dicit *σκοπεῖν προσήκειν ἀνθρώπῳ καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ ἀνθρώπου καὶ περὶ ἄλλων*, sed quia is *ἄνθρωπος* modo appellatus est, scribit quo nihil aptius aut fortius erat *καὶ περὶ αὐτοῦ ἐκείνου κ. π. ἀ.*, prae quorum vi ac virtute nimis quam debilia sunt quae praeferuntur aut *καὶ περὶ αὐτοῦ* aut *καὶ περὶ αὑτοῦ*. Unum propius accedebat ad verum *καὶ περὶ ἐκείνου*, sed huic quem credimus additurum fuisse *αὐτοῦ*, quod a nullo codice abest? Hoc quoque exemplo putamus satis intelligi doctos parum horum pronominum usum observasse, sed si qui forte haec a nobis congesta exempla attentius persecuti fuerint, fatebuntur, opinamur, nihil verius esse ista pronominum iunctura, quam Platoni restituendam censemus.

Lysias scribit (19, 44)

Ὥστ' οὐκ ἂν εἰκότως ἡμᾶς αἰτιάσαισθε, ἐπεὶ τῶν Κόνωνος, τῶν ὁμολογουμένων δικαίως ἀποφανθῆναι ὑπ' αὐτοῦ ἐκείνου, πολλαπλασίων δοκούντων πλέον ἢ τρίτον μέρος φαίνεται τὰ Ἀριστοφάνους.

Straboni placuit (I c. 2 p. 14 c.)

ὁρᾶν δ' ἔσται τοῦτο μάλιστα ἐν τοῖς λόγοις τοῖς πρὸς τοὺς πρὸ ἡμῶν, ἧττον μὲν τοὺς πάλαι, μᾶλλον δὲ τοὺς μετ' Ἐρατοσθένη καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον.

Permultum est id genus apud Plutarchum tam in vitarum libris quam in scriptis moralibus, velut, ut pauca ex utraque serie scriptorum afferamus, in vita Pompeii (c. 24, 6) de piratarum insolentia agens scribit

ἥρπασαν δέ ποτε καὶ στρατηγοὺς δύο Σεξτίλιον καὶ Βελλῖνον ἐν ταῖς περιπορφύροις καὶ τοὺς ὑπηρέτας ἅμα καὶ ῥαβδοφόρους ᾤχοντο σὺν αὐτοῖς ἐκείνοις ἔχοντες,

et in Pelopidae vita (c. 28, 2)

ἐπεὶ δὲ τοὺς μὲν Φεραίους ὁ Πελοπίδας ὀδυρομένους παρεκάλει θαρρεῖν ὡς νῦν μάλιστα δώσοντος τοῦ τυράννου δίκην, πρὸς δὲ αὐτὸν ἐκεῖνον ἀποστείλας ἔλεγεν ὡς ἄτοπός ἐστι τοὺς μὲν ἀθλίους πολίτας .. στρεβλῶν καὶ φονεύων, αὐτοῦ δὲ φειδόμενος κτλ. Cf. ibid. 35, 4.

In moralibus autem scriptis talia: de aud. poet. p. 23 a (vol. I p. 54, 19 Bern.)

ἀπὸ τῶν θεῶν ἀρχώμεθα διδάσκειν τοὺς νέους ὅτι χρῶνται τοῖς τῶν θεῶν ὀνόμασιν οἱ ποιηταὶ ποτὲ μὲν αὐτῶν ἐκείνων ἐφαπτόμενοι τῇ ἐννοίᾳ, ποτὲ δὲ δυνάμεις τινὰς ὧν οἱ θεοὶ δοτῆρές εἰσι .. προσαγορεύοντες.

de rat. aud. p. 43 e (I p. 106, 1 B.)

οἱ πολλοὶ χαίρουσι τοῖς φιλοσόφοις περὶ ἄλλων διαλεγομένοις καὶ θαυμάζουσιν· ἂν δὲ τοὺς ἄλλους ἐάσας ὁ φιλόσοφος αὐτοῖς ἐκείνοις ἰδίᾳ παρρησιάζηται .. καὶ ὑπομιμνήσκῃ, δυσχεραίνουσιν.

de adul. p. 56 f. (I p. 137, 20 B.)

διὸ φυλακτέον ἐστὶ μάλιστα τὸν κόλακα περὶ τοὺς ἐπαίνους, ὅπερ οὐδ' αὐτὸν ἐκεῖνον λέληθεν, ἀλλὰ δεινὸς ὢν φυλάττεσθαι τὸ ὕποπτον κτλ.

de Pythiae orac. p. 404 b (vol. III p. 53, 7 B.)

ἔστι δ' οὐδέτερον παράλογον, μόνον ἂν ὀρθὰς καὶ καθαρὰς περὶ τοῦ θεοῦ δόξας ἔχωμεν καὶ μὴ νομίζωμεν αὐτὸν ἐκεῖνον εἶναι τὸν τὰ ἔπη συντιθέντα πρότερον καὶ νῦν ὑποβάλλοντα τῇ Πυθίᾳ τοὺς χρησμούς.

de def. orac. p. 422 d (vol. III p. 101, 15 B.)

ἐλέγχει δ' αὐτὸν ὁ τῶν κόσμων ἀριθμὸς οὐκ ὢν Αἰγύπτιος οὐδ' Ἰνδὸς ἀλλὰ Δωριεὺς ἀπὸ Σικελίας, ἀνδρὸς Ἱμεραίου τοὔνομα Πέτρωνος· αὐτοῦ μὲν ἐκείνου βιβλίδιον οὐκ ἀνέγνων οὐδ' οἶδα διασῳζόμενον.

ibid. p. 435 a (vol. III p. 133, 8 B.)

ἄρτι γὰρ οὐκ οἶδ' ὅπως τῷ λόγῳ παρεχωρήσαμεν ἐκ τῶν θεῶν τὴν μαντικὴν ἐς δαίμονας ἀτεχνῶς ἀποδιοπομπουμένῳ· νυνὶ δέ μοι δοκοῦμεν αὐτοὺς πάλιν ἐκείνους ἐξωθεῖν καὶ ἀπελαύνειν ἐνθένδε κτλ.

Omissis aliis similibus uno etiam Plutarchi loco defungemur brevi, quem a novissimo editore cum male habitum videamus conabimur ad suam sententiam revocare. Sunt verba haec de tranq. anim. p. 468 c (vol. III p. 217, 11 B.)

τὸ μὲν οὖν ἀπευθύνειν ταῦτα μὴ νόμιζε σὸν ἔργον εἶναι 8
μηδ' ἄλλως ῥᾴδιον· ἂν δ' ὡς τοιούτοις αὐτοῖς πεφυκόσι χρώμενος, ὥσπερ ἰατρὸς ὀδοντάγραις καὶ ἀγκτῆρσιν, ἤπιος φαίνῃ καὶ μέτριος ἐκ τῶν ἐνδεχομένων, εὐφρανῇ τῇ σῇ διαθέσει μᾶλλον ἢ λυπήσῃ ταῖς ἑτέρων ἀηδίαις καὶ μοχθηρίαις καὶ ὥσπερ κύνες ἂν ὑλακτῶσι τὸ προσῆκον αὐτοῖς ἐκείνοις οἰόμενος περαίνειν ἐπιλήσῃ πολλὰ λυπηρὰ συνάγων ὥσπερ εἰς χωρίον κοῖλον καὶ ταπεινὸν ἐπιρρέοντα τὴν μικροψυχίαν ταύτην καὶ τὴν ἀσθένειαν ἀλλοτρίων ἀναπιμπλαμένην κακῶν.

Haec enim sic scripta in libris ac vulgata putamus omnia in unam comprehensionem esse colligenda, ut haec sit structura: *λυπήσῃ ταῖς ἑτέρων ἀηδίαις καὶ μοχθηρίαις καὶ τὸ προσῆκον αὐτοῖς ἐκείνοις οἰόμενος περαίνειν ἐπιλήσῃ πολλὰ λυπηρὰ συνάγων*, in iisque *αὐτοὶ ἐκεῖνοι* dubium non est quin dicantur quorum modo *ἀηδίαι* et *μοχθηρίαι* notatae sunt. Quod si tenemus, iam apparet qua haec ratione inter se nectantur, quae Bernardakis interpungendo et corrigendo discerpsit et obscuravit.

Praeter Plutarchum Dionis Chrysostomi orationes hunc usum quem dicimus frequentant, velut or. XVIII 3

πολλάκις οὖν ἔστιν ἰδεῖν ἐν ταῖς πόλεσιν ἀναλίσκοντας μὲν ἑτέρους καὶ χαριζομένους καὶ ἀναθήμασι κοσμοῦντας, ἐπαινουμένους δὲ τοὺς λέγοντας, ὡς καὶ αὐτῶν ἐκείνων αἰτίους.

or. XXI 8

ὅπου γε καὶ ὁπόταν βασιλέα ἀποδεῖξαι δέῃ, τὸν πλουσιώτατον αἱροῦνται καὶ παρ' οὗ ἂν ἐλπίσωσιν ὡς πλεῖστον ἀργύριον λήψεσθαι, τὰ δὲ ἄλλα οὐδὲν φροντίζουσιν ὁποῖος ἂν ᾖ, κἂν μέλλῃ πάντας διατεμεῖν παραλαβὼν τὴν ἀρχήν, τούς τε ἄλλους ἅπαντας καὶ αὐτοὺς ἐκείνους τοὺς εἰληφότας τὰ χρήματα.

or. XXXVIII 35

ὥστε ἐν ᾧ περὶ τοῦ πρωτείου μάχεσθε ὑμεῖς, κινδυνεύει τὸ πρωτεῖον παρ' ἐκείνοις εἶναι τοῖς θεραπευομένοις ὑφ' ὑμῶν· οὐδὲ γὰρ ἔνεστιν οὐκ ἔχειν τοῦτο δοκεῖν τινας, ὃ παρ' αὐτῶν ἐκείνων ὑμεῖς λαμβάνειν ἀξιοῦτε.

or. LVII 12

εὖ γὰρ ἴστε ὅτι τοῖς μὲν ἰδιώταις οἱ λεγόμενοι λόγοι πρὸς αὐτοὺς ἐκείνους τείνουσι, καὶ ὀλίγους τῶν ἄλλων.

or. LXXIII 1

Ἆρά γε τὸ πιστεύεσθαι τοῖς πιστευομένοις ἀγαθόν ἐστι καὶ τοιοῦτον οἷον τὸ πλουτεῖν καὶ τὸ ὑγιαίνειν καὶ τὸ τιμᾶσθαι τοῖς τιμωμένοις καὶ ὑγιαίνουσι καὶ πλουτοῦσιν, αὐτοῖς ἐκείνοις τινὰ φέρον ὠφέλειαν; Cf. ibid. 7.

or. LXXV 6

τοσαύτης δὲ δικαιοσύνης καὶ φιλανθρωπίας μεστός ἐστιν, ὥστε καὶ τοῖς ἀτυχοῦσι χρησιμώτερος καθέστηκε τῶν γένει προσηκόντων καὶ τοῖς ἀδικουμένοις ἰσχυρότερος τῆς αὐτῶν ἐκείνων ῥώμης καὶ πατράσιν υἱέων εὐνούστερος κτλ.

9 or. LXXVII 1

Ἆρα διὰ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα ἐνομίσθη σοφὸς ἐν τοῖς Ἕλλησιν Ἡσίοδος καὶ οὐδαμῶς ἀνάξιος ἐκείνης τῆς δόξης ὡς οὐκ ἀνθρωπίνῃ τέχνῃ τὰ ποιήματα ποιῶν τε καὶ ᾄδων, ἀλλὰ ταῖς Μούσαις ἐντυχὼν καὶ μαθητὴς αὐτῶν ἐκείνων γενόμενος;

Quid, haec quoque toleranda ducimus, ac non alterum utrum eorum pronominum ocius auferimus? Sed addimus ex Pausania unum, IV 26, 7

ὁ δὲ Ἐπιτέλης παραγενόμενος ἐς τὸ εἰρημένον χωρίον ἐπέτυχεν ὀρύσσων ὑδρίᾳ χαλκῇ καὶ αὐτίκα παρὰ τὸν Ἐπαμεινώνδαν κομίσας τό τε ἐνύπνιον ἐξηγεῖτο καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον τὸ πῶμα ἀφελόντα ἐκέλευεν ὅ τι ἐνείη σκοπεῖσθαι.

Item unum ex Alciphronis epistolis I 29 (IV 2)

δέδοικα δὲ οὐ σὲ τοσοῦτον ὅσον αὐτὸν ἐκεῖνον,

scribit Glycera, Menandrum dicens supra memoratum.

Denique ex Longi Pastoralibus (IV 17, 1), apud quem Gnatho parasitus Daphnidis amore pueri pastoricii incensus precibus dominum adit, filium erilem, ut se eius compotem reddat; quod ille se facturum promittit: c. 17

οὐκ ἀντέσχε κλάοντι καὶ αὖθις τοὺς πόδας καταφιλοῦντι

νεανίσκος μεγαλόφρων καὶ οὐκ ἄπειρος ἐρωτικῆς λύπης, ἀλλ' αἰτήσειν αὐτὸν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐπηγγείλατο καὶ κομιεῖν εἰς τὴν πόλιν αὐτῷ μὲν δοῦλον, ἐκείνῳ δὲ ἐρώμενον. εἰς εὐθυμίαν δὲ καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον θέλων προαγαγεῖν ἐπυνθάνετο μειδιῶν εἰ οὐκ αἰσχύνεται Λάμωνος υἱὸν φιλῶν ἀλλὰ καὶ σπουδάζει συγκατακλινῆναι νέμοντι αἶγας μειρακίῳ· καὶ ἅμα ὑπεκρίνετο τὴν τραγικὴν δυσωδίαν μυσάττεσθαι. Quae ille non ita esse respondet et pluribus amoris naturam exponit. In his quae attulimus non iniuria offensioni fuerunt verba *καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον*, quae quo referenda sint non apparet: nam nec amasium istum qui ne aderat quidem dici poterat adulescens velle in *εὐθυμίαν* adducere, et si Gnathonem dicebat, obscurum erat quem praeter eum per *καὶ* particulam indicari vellet. Itaque corrigendo haec ad sanam rationem cogere temptarunt, et G. A. Hirschigius quidem in exemplari Parisiensi a. 1856 haec ita edenda curavit *εἰς εὐθυμίαν δὲ καὶ αὐτὸς, ἐκεῖνον θέλων προάγειν, ἐπυνθάνετο μ.* Quam mirifice discerptam orationem fatemur nec intelligi posse nec probari. Fortius eam rem egit R. Hercherus in Eroticis a. 1858, qui et *καὶ* et *ἐκεῖνον* sustulit et scriptori haec tantum relinquens *εἰς εὐθυμίαν δὲ αὐτὸν θέλων προαγαγεῖν ἐπυνθάνετο* effecit quod ferri posse nemo negaverit, illud non quaeritur, unde nata sint quae scripta circumferuntur *καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον*; nam scribentis errore talia non oriuntur. Sed hi duo a pronominibus petierunt quo in emendando uterentur. Nos aliunde proficiscimur, ut explorato narrationis consilio hoc fundamento nisi sententiae formam restituamus. Nam si quaeritur, quo pertineant ea quibus adulescens parasitum suum amantem excitari et hilariori se sensui dare cupit, ilico intelligitur, non pertinere ea nisi ad eum ipsum amasium quem ei modo promisit quemque, quoniam statim eo potiri non potest, interim iocando viliorem esse ostendit quam cuius amore Gnatho teneatur. Quod si ita recte interpretabimur, consentaneum est *αὐτὸν ἐκεῖνον* puerum istum pastoricium appellari nec peccatum esse nisi in *καὶ* particula; cuius loco ubi reponitur *κατ'*, sententiam nanciscimur quae omne explere desiderium videatur: *αὐτῷ μὲν δοῦλον, ἐκείνῳ δὲ ἐρώμενον. εἰς εὐθυμίαν δὲ κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον θέλων προαγαγεῖν ἐπυνθάνετο κτλ*; nam et hoc *κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον* h. e. 'quod attinet ad illum ipsum' recte addi apparet nec desiderari quem ille *προαγαγεῖν* dicatur, qui praesertim modo appellatus est. Ita-

que nos hoc quoque verissimum eius usus exemplum habemus quem declarare instituimus.

His exemplis si qua fides est, iam constabit, nihil frequentius esse apud scriptores Graecos his pronominibus iunctis. In qua re tamen ne illud quidem negligendum est nonnumquam alterum utrum eorum pronominum sive *αὐτὸν* sive *ἐκεῖνον* abesse potuisse, adeo nostrum si sensum consulimus melius abfuisse, ut perspicuum esse possit, quod iuncta poni solent, in eo consuetudinem quandam sermonis Graeci agnosci, a nostro more alienam: quod cum ita sit, eo magis cavendum est, ne quod saepe fieri solet nostro inducente sensu abripiamur in errores.

Ut redeamus tandem ad eam quam agebamus sententiam, iam nemo, putamus, infitiabitur verba *ἐπιχώριον αὐτῷ ἐκείνῳ* recte scripta et eum quem haec pronomina designant defectu orationis haustum esse. Hoc enim exempla docuerunt, eum vel eos, quorum ista pronomina legentem admonent, ante, saepe proxime ante nominatos esse. Itaque hoc nomine non inepta erant, quae nos olim proposueramus, *⟨τῷ δὲ ξένῳ ἀποδιδόναι⟩ τὴν ἐπιχώριον αὐτῷ ἐκείνῳ*, et haec certe emendandi ratio praestabat iis, quae Bernaysius ante nos temptarat, et quae postea Kaibelius, qui ne admonitus quidem se retineri a via devia voluit.

At vero, *ut vineta egomet caedam mea*, inquit Horatius, fatemur in illis quoque erratum esse neque ea stare posse. Saepe admonuimus adulescentes, quorum studia regere solebamus, ut in manca oratione cum supplementa quaeruntur caveant ne addendo simul cogantur movere quae tradita exstant: nullam posse fidem habere supplementa quae hac condicione orationi inculcentur. Hoc praeceptum a nobis migratum est. In istis enim additamentis *δὲ* particula, tantula vox, neglecta est; quae quod abiicienda non fuit, nisi propter ea quae ipsi adiecimus, gravissima testis exstitit, quamvis iustissima sit sententia, orationem veram non esse istis supplementis resartam.

Itaque *hac non successit, alia aggrediamur via*, ut ait Davus; quamquam viam omnino eandem insistendam ducimus, eam scilicet qua fieri possit ut *ξένου* notio, quam abesse non posse diximus, apta oratione et quae traditis verbis parcat recipiatur. Hoc igitur videant ii si qui haec legent utrum nunc nobis contigerit necne. Suspicamur enim haec olim scripta fuisse

> *Δεῖ τὸν κωμῳδοποιὸν τὴν πάτριον αὐτοῦ γλῶσσαν τοῖς προσώποις περιτιθέναι, ⟨πλὴν τῷ ξένῳ οὐ ταύτην ἀποδιδόναι⟩, τὴν δὲ ἐπιχώριον αὐτῷ ἐκείνῳ.*

His quidem verbis receptis, ut iam hanc orationem suis laudibus 11
laudemus, nihil mutatur in iis quae scripta habet codex, simul, quod est alterum eorum quibus in reparando orationis defectu prospici iubemus, causa est erroris aperta: ex duabus partibus orationis in eundem exitum desinentibus (*περιτιθέναι — ἀποδιδόναι*) alteram librarii oscitantia praetermisit. Porro exceptione universae sententiae rite et ex usu (per *πλὴν* particulam) subiecta eo magis perspicuum fit, nihil *τοῖς προσώποις* nec *ἄλλοις* neque *ἐπιχωρίοις* addendum fuisse; et nobis una addendi opera defungi licebat. Optime autem inter se opponi apparet *τὴν πάτριον αὑτοῦ γλῶσσαν* et *τὴν δὲ ἐπιχώριον αὐτῷ ἐκείνῳ*, et quoniam Kaibelius *ἐπιχώριον ἑκάστου* maluit quam *ἐπιχώριον αὐτῷ*, non omittimus verbo monere nihil usitatius esse quam cum *ἐπιχωρίῳ* coniunctum tertium casum, velut Pausanias, ut hoc utamur, VII 17, 10 scribit *νομίζουσιν οὐχ οὕτω τὰ ἐς τὸν Ἄττην, ἀλλὰ ἐπιχώριός ἐστιν ἄλλος σφίσιν ἐς αὐτὸν λόγος* vel ibid. 21, 7 *Ποσειδῶνι .. καὶ ἰδίᾳ σφίσιν ἐπιχώρια ὄντα (ὀνόματα) ἕκαστοι τίθενται.* Unum restat quod vel maxime defendentis operam requirit, ne labantur rursus quae nobis videbamur firmius stabilivisse, illud dicimus quod haec sibi contraria fecimus *οὐ ταύτην ἀποδιδόναι, τὴν δὲ ἐπιχώριον αὐτῷ.* Sed hanc dubitationem si qua est tollent exempla pauca selecta, primum Platonis, cuius vel haec sunt de legibus I p. 637 d

> *λέγω δὲ οὐκ οἴνου περὶ πόσεως τὸ παράπαν ἢ μή, μέθης δὲ αὐτῆς πέρι, πότερον .. χρηστέον,*

vel ibid. p. 640 b

> *νῦν δέ γε οὐ στρατοπέδου περὶ λέγομεν ἄρξοντος ἐν ἀνδρῶν ὁμιλίαις ἐχθρῶν ἐχθροῖς μετὰ πολέμου, φίλων δ' ἐν εἰρήνῃ πρὸς φίλους κοινωνησόντων φιλοφροσύνης,* quae plana sunt

et mutandi licentia sumpta obscurantur; vel ut tria sint ibid. p. 643 e

> *οὐ γὰρ ταῦτα ἡγουμένων ὡς ἔοικ' εἶναι παιδείαν ὁ νῦν λόγος ἂν εἴη, τὴν δὲ πρὸς ἀρετὴν ἐκ παίδων παιδείαν.*

Qui usus multus est in libello *περὶ ὕψους*, velut XXXVIII 4

> *οὐ γὰρ τὸ πρᾶγμα ἕνεκα τῆς ὑπερβολῆς παραλαμβάνεσθαι δοκεῖ, ἡ ὑπερβολὴ δ' εὐλόγως γεννᾶσθαι πρὸς τοῦ πράγματος.*

Sed hoc persequi supersedemus, praevertimus illi Dionem Chrysostomum, cuius quae sunt in or. XLV 2

> *παρ' ὑμῖν δὲ ἂν διεξίω τὸν τῆς φυγῆς χρόνον, οὐκ ὀδύρεσθαί με φήσει τις, πολὺ δὲ μᾶλλον ἀλαζονεύεσθαι,*

vel or. XXXVI 61

εἰ δὲ ἀτεχνῶς ὑψηλόν τε καὶ ἐξίτηλον ἀπέβη τὸ τοῦ λόγου σχῆμα . . ., οὐκ ἐμὲ ἄξιον αἰτιᾶσθαι, τὴν δὲ Βορυσθενιτῶν ἀξίωσιν, ὡς τότε ἐκεῖνοι λέγειν προσέταξαν,

volumus nobis viam munire ad disceptandum locum quendam eius oratoris, quem a novissimo editore parum recte tractatum videmur nobis illa observatione utentes tutari atque explicare posse. Leguntur haec in oratione de secessu XX 7

12 *ἀλλ' ὅτι γε οὐ τόπος ἐστὶν ὁ παρέχων οὐδὲ τὸ ἀποδημῆσαι τὸ μὴ φαῦλ' ἄττα πράττειν οὐδὲ ⟨τὸ⟩ εἰς Κόρινθον ἢ Θήβας ἀνακεχωρηκέναι [τὸ δὲ] τὸν βουλόμενον πρὸς αὐτῷ εἶναι — καὶ γὰρ ἐν Θήβαις καὶ ἐν Μεγάροις καὶ πανταχοῦ σχεδὸν οὗ τις ἂν ἀπέλθῃ τῆς Ἑλλάδος καὶ τῆς Ἰταλίας ἔνεστι τό τε ἀργεῖν καὶ τὸ ῥᾳθυμεῖν.*

Sic enim Arnimius edidit qui et ⟨τὸ⟩ inseruit de suo et [τὸ δὲ] quae scripta sunt in libris resecuit: quo facto (missum facimus inutiliter additum articulum) nec orationis formam neque sententiam constare arbitrere; non magis probamus quod idem in adnotatione memoravit, insequentem sententiam *καὶ γὰρ ἐν Θήβαις κτλ* 'per anacoluthiam apodosis loco' esse: nobis quidem haec sententia per *γὰρ* particulam recte priori explicandi et confirmandi causa videtur adnexa esse. Illud verum est vocem deesse unde *ὅτι* particula pendeat, sed ea fortasse ipsius est oratoris culpa omissa. Ad summam sententiae ut accedamus, ne decipiamur errore, omittimus paulisper quae nisi ornandae et amplificandae orationis non sunt; quae restant hanc planam habent et perspicuam sententiam: *οὐ τόπος ἐστὶν ὁ παρέχων τὸ μὴ φαῦλ' ἄττα πράττειν, τὸ δὲ τὸν βουλόμενον πρὸς αὐτῷ εἶναι*, scilicet *παρέχει τὸ μὴ φαῦλα πράττειν.* Sic enim haec sibi contraria sunt, eo modo quem exemplis nonnullis declaravimus. Eamque sententiam inde a proxime insequenti orator deinceps pluribus argumentis exsecutus est. Ex quibus, quoniam totam explanationem transferre non licet, satis sit ad fidem faciendam pauca excerpsisse. Sic igitur pergit post ea quae supra allata sunt: § 7 *καὶ οὐκ ἀπορήσει προφάσεως, ὅπου ἂν τύχῃ ὤν, δι' ἣν βλακεύων τε καὶ ἀσχολούμενος ἀναλώσει καὶ πάνυ πολὺν χρόνον, ἂν οὕτως τύχῃ. μὴ οὖν βελτίστη ᾖ καὶ λυσιτελεστάτη πασῶν ἡ εἰς αὐτὸν ἀναχώρησις καὶ τὸ προσέχειν τοῖς αὑτοῦ πράγμασιν, ἐάν τ' ἐν Βαβυλῶνι τύχῃ τις ὢν ἐάν τ' Ἀθήνησιν κτλ* et paulo post § 9 *ἰδεῖν τε ἔστι καὶ ἐν τῷ πάνυ πολλῷ θορύβῳ τε καὶ πλήθει οὐ κωλυόμενον πράττειν ἕκαστον τὸ αὑτοῦ ἔργον.*

His omnibus opinamur satis aperiri quid sit quod supra dixit *τὸ τὸν βουλόμενον πρὸς αὑτῷ εἶναι* (cf. XXX 42), cui *τὸ ἀποδημῆσαι* esse oppositum voluit. Quae vero primae parti primariae sententiae amplificandi causa addita sunt *οὐδὲ τὸ ἀποδημῆσαι οὐδὲ εἰς Κόρινθον ἢ Θήβας ἀνακεχωρηκέναι* (quae quoniam per sententiam sic iunguntur, non erat quod alteri infinitivo articulus praefigeretur), ea paene magis prioribus intermixta sunt quam iis adiecta, ita quidem ut bis media parte interiecta secernantur quae intime connexa erant: *οὐ τόπος ἐστὶν ὁ παρέχων* | *οὐδὲ τὸ ἀποδημῆσαι* | *τὸ μὴ φαῦλ' ἄττα πράττειν*, et rursus *οὐδὲ τὸ ἀποδημῆσαι* | *τὸ μὴ φαῦλ' ἄττα πράττειν* | *οὐδὲ εἰς Κόρινθον ἢ Θήβας ἀνακεχωρηκέναι*. Sed tamen qui consilium oratoris et pondus sententiae cum cura consideraverit, fatebitur non potuisse aptiore ordine hanc orationem conformari eamque varietatem habere sine ulla obscuritate.

De positu vocabulorum h. e. de conformandis periodis in orationibus Dioneis agere non est huius loci, sed forsitan non inutile sit confirmandi causa unum et alterum exemplum similiter formatae orationis ascivisse; velut or. LXVIII ab his sententiis orditur

> *Οἱ πολλοὶ ἄνθρωποι ὁπόσα ἐπιτηδεύουσιν ἢ ζηλοῦσιν, οὐ-* 13
> *δὲν αὐτῶν εἰδότες ὁποῖόν ἐστιν οὐδὲ ἥντινα ἔχει ὠφέλειαν ἐπιτηδεύουσιν ἀλλ' ὑπὸ δόξης ἢ ἡδονῆς ἢ συνηθείας ἀγόμενοι πρὸς αὐτὰ* (scil. *ἐπιτηδεύουσιν*), *οὐδ' αὖ ὅσων ἀπέχονται καὶ εὐλαβοῦνται μὴ πράττειν, εἰδότες ἃ βλάπτει ἀπέχονται οὐδὲ ὁποίαν τινὰ φέρει τὴν βλάβην.*

vel XVIII 9

> *ὁ γὰρ πλεῖστα ἑτέροις συμβάντα ἐπιστάμενος ἄριστα οἷς αὐτὸς ἐγχειρεῖ διαπράξεται καὶ ἐκ τῶν ἐνόντων ἀσφαλῶς.*

Intellegi putamus *ἄριστα καὶ ἐκ τῶν ἐνόντων ἀσφαλῶς διαπράξεται*, sed maluit orator secerni quae coniungi poterant: neque enim Arnimium probamus qui alterum verbum (*διάξει*) ad *ἀσφαλῶς* addendum censuit, quod nobis nec orationis forma nec aurium iudicio posci videtur, non magis quam XXVII 7

> *οὔτε τῶν τοιούτων λόγων ἀκούειν ἐθέλουσιν ὡς τὸ πολύ, ὅτῳ ἂν μὴ λυπηρόν τι ξυνενεχθῇ καὶ τῶν δοκούντων χαλεπῶν,*

ubi item ab uno verbo pendent quae tamen diiuncta sunt.

Sed subsistimus *προλογίζοντες* ut ad fabulam ipsam commilitones h. e. ad harum lectionum academicarum quas indicimus copiam et varietatem vocemus. Scr. m. Decembri a. MDCCCCV.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

IN PARTE PRIORE.

P. 10, *8 Ad Horatii c. II 11, [13—24] addas eiusdem c. III 14, 17—21.

P. 14, *14 Doctorum nominibus in adnotatione compositis adiiciendus erat U. de Wilamowitz-Moellendorff *Philolog. Untersuchungen* XVIII *Die Textgeschichte der Griechischen Bukoliker* 1906 p. 125 sqq. Sed et hic liber et alter textum editum bucolicorum exhibens (Oxonii) tum nondum editi erant cum ego haec adornare coepi ut prelo subiicerentur. Itaque omnino ab his libris citandis abstinui.

P. 68, 25 *quandoque* de indefinito tempore futuro (*einmal*) ne addubitetur, frequens est apud Suetonium, velut in vita Claudii c. 1 p. 148, 15 R. *ut deos precatus sit . . sibi tam honestum quandoque exitum darent quam illi dedissent.*

P. 72, 9 Horatius sat. II 8, 1—3 *Ut Nasidieni iuvit te cena beati? . . Sic ut mihi numquam In vita fuerit melius.*

P. 86 Addo Madvigium adv. crit. I (1871) p. 632 proposuisse ἀκράτῳ πυρὶ καὶ σκληρῷ καταθάλπειν, id quod Bernardakis recepit, praeierat autem ex parte Wyttenbachius ita scribens ἀκράτῳ πυρὶ καὶ σκληροτάτῳ θάλπειν. Quorum uterque verbo ipso, non ut Hauptius structura verbi, offensus ut videtur hoc mutatum ierunt: quod si ferri non potest (et desidero quod eum usum firmare possit) tam Hauptii opinio quam meum explicandi conamen irritum factum est.

P. 105, *33 Plauti addas Pseud. 877 *Si credis, nummo, si non, ne mina quidem;* Rud. 884 L. *Sicine me spernis?* Ch. *Sic ago: semel bibo* (de naufragio dicit).

P. 126, 15 'Conf. Ovidius Metam. VIII 659 *vilis vetusque Vestis erat, lecto non indignanda saligno.*' Aem. Thomas.

P. 134, *13 Haec forma negativa comparationis latius patet nec recte semper accipi videtur: Hor. sat. I 5, 33 *ad unguem Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus*, ubi non *sit* intelligitur, ut Kiesslingius dicit, sed sic interpretamur *Antoni amicus ut non magis alter;* sat. II 8, 48 *cocto Chium sic convenit, ut non Hoc magis ullum aliud.* Idem genus agnoscitur Hor. epod. 17, 30 *o mare et terra, ardeo, Quantum neque atro delibutus Hercules Nessi cruore nec Sicana fervida Virens in Aetna flamma,* aut sat. II 8, 55 *trahentia pulveris atri Quantum non aquilo Campanis excitat agris.*

P. 193, *31 Conf. similia quae in opusc. p. post. p. 375 sq. afferuntur.

P. 260, 19 sqq. De ludibrio quod est in vv. 1440. 1441 ne severius iudicetur, contendantur quae Plautus in Poenulo a. II a v. 477 militem exaggerandi causa effutientem facit.

P 334, 14 Plautina haud vulgaria sunt vel Rud. 453 *Iam illud mali plus nobis vivit quam ratae;* ibid. 688 sq. *Quid istaec ara Prodesse nobis plus potest quam signum in fano hic intus Veneris, quod amplexae modo, unde abreptae per vim miserae?* Stich. 73 *Neque equidem id factura neque tu ut facias consilium dabo.*

P. 339, 6 Versus singulos in nonnullis codd. omissos, in aliis rursus receptos, sed non suo loco positos exempla docent, sat. II 6, 89 aut epist. I 17, 14. 15 cum Vollmeri adn.

P. 365, 15 Idem prae se fert sat. I 5, 71 *ubi sedulus hospes Paene macros arsit dum turdos versat in igni,* si quidem *macros* non sua in sententia sed aliena locum habet; conf. sat. II 5, 100 sq.; II 1, 60.

P. 386, *19 Iis quae attuli et explicare studui duo addam exempla quibus idem quod illis declaretur, Horatium plenis maluisse sententiis efferre quam qua licebat brevitate uti et iis quidem sententiis quae colore poetico tinctae placerent: epod. 17, 54

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo

et epod. 11, 5

Hic tertius december, ex quo destiti
Inachia furere, silvis honorem decutit.

Satis enim erat: *Non saxa nudis surdiora navitis* et altero exemplo *hic tertius december ex quo destiti —.* Sic illo loco cui haec adscribo cum satis esset *dum pecori lupus et nautis infestus Orion* maluit a descripta Orionis vi aliquid venustatis petere.

P. 476, 20 Plautus Trin. 609 *Quam dudum istuc aut ubi actum est?* ‖ *Ilico hic ante ostium, Tam modo, inquit Praenestinus.*

IN PARTE POSTERIORE.

P. 13, 19 Lucianus de Alex. pseudom. 2 (II p. 72, 15 Bekk.) οὐδὲ ὀλίγα τῆς Ἀσίας μέρη τὰ ἐρημότατα λεηλατῶν —.

P. 24, 9 Mostell. III 1, 147 *Iterum iam ad unum saxum me fluctus ferunt;* Merc. III 1, 22 *De lanificio neminem metuo una aetate quae sit;* Pseud. I 3, 84 *Quia pol qua opera credam tibi Una opera alligem fugitivam canem —;* et in *opera* hoc idem saepius occurrit.

P. 27, *25 De *edepol,* si quidem ipsum ferri non potest, in mentem venit, potuisse scribi *Qui scis?* | *Scio de me: olfacio.* | *Nam —;* ex *demeol* ut per scribendi errorem *edepol* natum esset. Oratio, opinor, perapta et ea quidem qua in Casina II 3, 9 scribitur *Hanc ego de me coniecturam domi facio magis quam ex auditis,* vel in Cistell. II 1, 2 *Hanc ego de me coniecturam domi facio ne foris quaeram;* in Amphitr. II 2, 7 *Nam ego id nunc experior domo atque ipsa de me scio —;* Stich. I 1, 3 *nam nos eius animum De nostris factis noscimus;* Curcul. I 1, 81 *De odore adesse me*

scit; ibid. II 1, 17 *De forma novi: de colore non queo Novisse,* et saepe similiter.

P. 119, 26 Plautus Trin. 1156 *desponsam,* sed *desponsatam* CD et Nonius; et Mil. Gl. 1007 *desponsa est,* sed iidem codd. *desponsatast.*

P. 140, *24 *tuis hic omnia plena Muneribus* (Verg. georg. II 4).

P. 147, 16 In Poenuli Plautinae prol. 68 (cf. 64 sq) narratur *Quoniam periisse sibi videt gnatum unicum, Facit illum heredem fratrem patruelem suum;* ne dubites recte scribi quod proposui *unicus.*

P. 148, 29 De *agri modo* cf. quod legitur in prol. Aulul. 13 *Agri reliquit ei non magnum modum* et apud Hor. sat. II 6, 1 *modus agri non ita magnus.*

P. 150, 1 In Casina II 2, 23 Cleostrata matrona dicit

Quin mihi ancillulam ingratiis postulat
Quae mea est, quae meo educta sumptu siet
Vilico se suo dare,

eademque II 3, 43 *Me sinas curare ancillas: quae mea est curatio.* Unde apparebit quid sit quod *dominam* a me repositum ad *ancillulam* referri scripsi, quod fuit qui se negaret intelligere.

P. 153, 1 Euclio in Aulularia III 6, 50 ait *Ibo ad te fretus tua, Fides, fiducia,* id est, nisi fallor, *fretus mea fiducia tui.*

P. 232, 32 Plautus quoque in Casina II 5, 13 ubi huius modi sermo est:

OL. *Orat obsecrat*
Ne Casinam uxorem ducam. LY. *Quid tu postea?*
OL. *Negavi enim ipsi me concessurum Iovi,*
Si is mecum oraret.

et alibi saepius sed vario modo.

P. 260, *30 Cistell. 670 *Spes mihi sancta subveni.*

P. 334, 23 Plautus Mil. Gl. IV 8, 40 *Mea, non illorum dedi.*

P. 349, *16 Brut. 56, 204 *hoc doctoris intellegentis est videre quo ferat natura sua quemque, et ea* d u c e u t e n t e m *sic instituere, ut —.*

P. 400, 10 Confer eundem in eodem museo XLI (1886) p. 12.

P. 403, 19 Plautus Capt. II 3, 39 *Non tuum tu magis* v i d e r e *quam ille suum gnatum* c u p i t. Trucul. IV 3, 57 *Non vinum viris* m o d e r a r i, *sed viri vino* s o l e n t a Schoellio emend. Asin. III 3, 140 *Nec quid dicatis* s c i r e *nec me cur ludatis* p o s s u m, ubi libri *scire possum,* ab Hermanno corr. Horatius c. I 27, 21 *Quae saga, quis te* s o l v e r e *Thessalis Magus venenis, quis* p o t e r i t *deus?* epist. I 3, 29 *Si patriae* v o l u m u s, *si nobis* v i v e r e *cari.* sat. I 3, 76 *quatenus* e x c i d i *penitus vitium irae, cetera item* n e q u e u n t *stultis haerentia.*

P. 408, 35 Ex Plautinis non indigna quae afferantur Rud. I 2, 15 *Pater salveto amboque adeo:* sic Pleusidippus Daemonem senem et Sceparnionem servum appellat; Stich. I 1, 10 *sed hoc soror crucior, Patrem tuum meumque adeo, unice qui unus . . probus perhibetur* —; saepius in enumerandis rebus ultimae adhaerescit, non quasi haec gravior sit ceteris, velut Poen. III 3, 28 *Boni de nostro tibi nec ferimus nec damus neque pollicemur neque adeo volumus datum.*

P. 421, 14 Plautus Capt II 2, 77 *Est etiam ubi profecto damnum praestet facere quam lucrum,* non de loco sed de occasione in oratione compari

P. 423, 20 De *ubī* perpauca addam exempla, sed quae satis certa videantur. Capt. v 2, 2

Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falsum autumas?

Cistell. IV 2, 51

Hanc scire oportet filia tua ubi sit, signa ut dicit.

ibid. IV 2, 69. Poen. III 3, 89

Quid multa verba? faciam, ubi tu laveris —.

Aulul. III 5, 33

Sed hoc étiam pulcrumst praequam ubi sumptus petunt.

Rud. v 2, 60

Tecum hóc habeto tamen, ubi iuraveris.

In quibus quid sit tamen ambigui neminem fugiet. Menaechm. II 2, 7

M. *Non hercle vero.* C. *Ubi convivae ceteri?*

De quo versu olim ob ipsam hanc particulam variis modis mutato nunc nemo dubitat.

P. 435, 39 Plautina poterant quaedam addi, velut Men. v 1, 24

ME. *an mos hic ita est*
Peregrino ut advenienti narrent fabulas?
MA. *Quas fabulas?*

Cas. II 5, 11 L. *Quicum litigas, Olympio?*
O. *Cum eadem qua tu semper.* L. *Cum uxore mea?*
O. *Quam tu mi uxorem?*

Quae quidem habent aliquid proprii, quamquam eundem sequi usum videntur. Capt. III 4, 42

H. *ille quidem, quem tu esse hunc memoras, hodie hinc abiit Alidem*
Ad patrem huius. A. *Quem patrem? qui servos est?*

Poenul. v 2, 11

A. *Si ad eam rem testis habeam, faciam quod iubes.*
M. *Quid tu mihi testis? quin tu insistis fortiter?*

Rud. II 3, 12

T. *Sed quam mox coctumst prandium?* A. *Quod prandium, obsecro te?*

Trucul. II 2, 28

A. *Mulieres volo convenire vostras.* S. *Quas tu mulieres*
Mihi narras —.

Sed de Curculionis versibus quae p. 436 dubitanter proposui nihili sunt. Quos versus Goetzius et Schoellius scite formarunt in hunc modum:

TH. *Scire volo quoi reddidisti.* LY. *Lusco liberto tuo:*
Is Summanum se vocari dixit: ei reddidi,
Qui has tabellas obsignatas attulit, quas tu mihi [tabellas] —
TH. *Quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos somnias?*

Ut tamen ne sic quidem omnis dubitatio sublata sit. Malis enim ex eo usu quem dicimus *tabellas, libertos, Summanos* uno ordine indignanti militi relinqui: et *has tabellas* quod Lyco dicit (non addito enuntiato relativo) cogitat et designat, opinor, eas quas Therapontigonus miserit et quas ipse cognitas habeat necesse sit. Quodsi versus istos scribimus sic ut Plautini libri tradunt (omissis aliis testimoniis quibus cavendum est ut nimia fides habeatur: cf. Leonis adnotationem)

TH. *Scire volo quoi reddidisti.* LY. *Lusco liberto tuo:*
Is Summanum se vocari dixit: ei reddidi:
545 *Qui hás tabellas óbsignatas áttulit.* TH. *Quas tú mihi tabellas,*
Quós tu mihi luscós libertos, quos Summanos somnias?
Nec mihi quidem libertus ullust. LY. *Facis sapientius*
Quám pars lenonum libertos qui habent et eos deserunt.
549 TH. *Quid fecisti?* LY. *Quod mandasti feci tui honoris gratia,*
Tuum qui signum ad me attulisset nuntium ne spernerem.

in oratione quidem nihil esse crediderim quod non egregie huic sententiarum et sermonis decursui conveniat: nam *feci* quoque in versu 549 insequentibus verbis *tui honoris gratia* melius adesse censeas quam abesse ut expelli sine damno possit. Interrogatio autem *Quid fecisti* non tam interrogantis est qui responsum exspectet quam admirantis et rem factam aegre ferentis. Quo graviora sunt quae in versuum forma legentem impediant, quoniam et v. 545 et 549 ambo sed non eodem modo legitimum septenariorum ambitum excedunt, ut frequens illa controversia nascatur, orationi utrum plus tribui an metrorum necessitati oporteat. Fortasse fallor nec quidquam affirmo confidentius: sed certe in promptu est exemplum, versui 545 quod geminum sit, et ipsum dubitationi multifariam obnoxium. Versum dico Pseudoli I 3, 25, qui ibi medius inter baccheos unus trochaicus interpositus est,

PS. *Vah.*
Manta. BA. *Omitte.* CA. *Ballio, audi.* BA. *Surdus sum profecto inanilogistae.*

De qua versus forma quidquid statuitur, tantum dico *profecto* qua particula nihil aptius huic loco, nihil frequentius est in Plauti comoediis temptari non debere. Versui alteri Curculionis (549), in quo sane seclusum *feci* restituendae mensurae satis facit, qui similes sint plures afferuntur in nunt. acad. 1907 p. 706 sqq., quibus hoc cavere studebam, ne dum normae metricae succurrimus oratio depravetur.

P. 561, 13 Lucianus Verae historiae I c. 7 (vol. II p. 43, 2 Bekk.) *ἦν δὲ καὶ ἴχνη δύο πλησίον ἀλλήλων ἐπὶ πέτρας, τὸ μὲν πλεθριαῖον, τὸ δὲ ἔλαττον. ἐμοὶ δοκεῖν, τὸ μὲν Διονύσου τὸ μικρότερον, θάτερον δὲ τοῦ Ἡρακλέους.*

INDICES[1].

CONFECIT

AEMILIUS THOMAS.

I.

INDEX RERUM[2].

---

1) Ubi eadem res per plures deinceps paginas tractatur, fere prima tantum indicata est.

2) In genere grammatico, metrico, critico Latina nullo signo, Graeca stellula *, ad utramque linguam pertinentia cruce † insignita sunt.

II.

INDEX VOCABULORUM.

A. GRAECA.

B. LATINA.

III.

INDEX LOCORUM[1]).

1) In hoc indice stellula * locis controversis curiosiusve explicatis adiecta est. Scholiastae ad nomina eorum quos commentantur positi sunt.

1) Versuum numeri sunt Nauckiani; sicubi in textu discrepantes numeri Kirchhoffiani laudantur, iis hic Nauckiani intra cancellos additi sunt.

